P. Joanne Muncunill, S. J.

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI

TRACTATUS

DE

GRATIA CHRISTI

AUCTORE

JOANNE MUNCUNILL

E SOCIETATE JESU

ALMA COLLEGE
234.02
LIBRARY
M922
Alma, California

TYPIS LIBRARIÆ RELIGIOSÆ
IN VIA AVIÑÓ, 20
BARCINONE
MCMXXVII

5779

Opus cui titulus **Tractatus de Gratia Christi**

IMPRIMI POTEST

Joachimus Vilallonga, S. J.

Praep. Prop. Arag.

Barcinone, 1 Januarii 1927

NIHIL OBSTAT

Dr. Alphonsus M.ª Ribó Bulbena, Canonicus

Censor

Barcinone, 11 Januarii 1927

IMPRIMATUR

† *JOSEPHUS, Episcopus Barcinonensis*

De mandato

Dr. Franciscus M.ª Ortega de la Lorena

Canc. Secret.

INDEX GENERALIS

Pag.

PROEMIUM 1

DISPUTATIO I

De gratiæ actualis natura, causa et necessitate

CAPUT I

De gratiæ actualis natura. 3
ARTICULUS I. De notione et divisione gratiae generatim. . . . 3
ARTICULUS II. De natura gratiae excitantis. 10
THESIS I. Gratia excitans consistit in illustratione seu illuminatione salutari intellectus et simili inspiratione seu pia affectione voluntatis. 11
THESIS II. Gratia excitans est prima gratia interna, quam Deus homini ad suam salutem communicat; et illustratio intellectus et pia affectio voluntatis, in quibus formaliter consistit, sunt actus indeliberati et vitales, inefficaces et varii. 14
ARTICULUS III. De gratia adjuvante, et de variis gratiae actualis divisionibus. 25
THESIS. Admittenda est gratia adjuvans. 25
ARTICULUS IV. De supernaturalitate gratiae actualis. . . . 33
THESIS. Gratia actualis ad salutem per se conducens est supernaturalis quoad substantiam. 35
ARTICULUS V. De gratuitate gratiae. 39
THESIS. Homo solis naturae viribus gratiam nullo modo mereri potest, ideoque neque de condigno, neque de congruo. . . . 40
SCHOLION I. Utrum gratia per solas vires naturae per impetrationem obtineri possit. 46
SCHOLION II. Utrum homo possit se disponere positive ad gratiam recipiendam 49
SCHOLION III. De dispositione negativa. 53

CAPUT II

Pag.

De causis gratiae actualis 55
Articulus I. Gratia aliqua creata non vitalis non est causa gratiae actualis 55
THESIS. Qualitas seu motio non vitalis, quae sit principium actuum supernaturalium non est admittenda. 56
Articulus II. De veris causis gratiae actualis. 59
THESIS I. Gratia excitans non influit physice in actus salutares, sed moraliter. 60
THESIS II. In homine habitibus per se infusis destituto principium physice producens actus salutares est divina omnipotentia, seu Spiritus Sanctus; et in homine habitibus per se infusis informato sunt ipsi habitus per se infusi. 61
SCHOLION. De concursu Dei in actus salutares. 66
Articulus III. De concursu facultatum naturalium cum auxiliis gratiae. 67
THESIS I. Voluntas in actus salutares aliquo modo influit, immo in illos physice et immediate influit. Et quod de influxu voluntatis dictum est, etiam de intellectu accipiendum. 68
SCHOLION I. Actio principii supernaturalis et potentiae naturalis est una eademque. 76
SCHOLION II. De mente S. Thomae. 76
SCHOLION III. De causa principali et instrumentali. . . . 77
THESIS II. Intellectus et voluntas possunt concurrere ad actus supernaturales adjuti per solam divinam omnipotentiam sine ullo principio supernaturali illis inhaerente. 77

CAPUT III

De necessitate gratiae ad veritates ordinis naturalis cognoscendas et ad recte operandum naturaliter 81
Articulus I. Utrum gratia sit necessaria ad veritates naturales cognoscendas. 81
THESIS. Homo lapsus sine gratia cognoscere potest singillatim plures veritates ordinis naturalis sive speculativas, sive practicas; collective vero nec speculativas, neque practicas sine gratia cognoscere potest. 82
Articulus II. Utrum homo in statu naturae lapsae possit sine gratia aliquod opus bonum facere. 89
THESIS. Homo in statu naturae lapsae potest facere aliqua opera omni ex parte naturaliter honesta sine ulla gratia. 91
SCHOLION I. Sunt nonnullae propositiones damnatae, quibus necessitas fidei ad recte operandum saltem implicite asserebatur. . 99

Pag.

SCHOLION II. Sunt plures propositiones, quibus damnatur omnia opera peccatorum esse peccata, ex quibus aliqua hic subjiciam. 100
SCHOLION III. De requisitis ad bonum opus morale ordinis naturalis secundum S. Augustinum. 100
ARTICULUS III. Utrum homo sine gratia tentationes vincere possit. 103
THESIS I. Homo sine gratia leves tentationes seorsim sumptas vincere potest. 104
THESIS II. Homo tentationes graves collective sumptas non potest superare, immo nec unam gravem disjunctim acceptam. . . 106
ARTICULUS IV. Utrum homo sine gratia Deum super omnia amare possit. 110
THESIS. Homo in statu naturae lapsae sine auxilio extrinseco speciali diligere potest Deum amore benevolentiae perfecto et efficaci affective. 112
ARTICULUS V. Utrum homo sine gratia universam legem naturalem servare possit. 115
THESIS. Homo in statu naturae lapsae non potest per longum tempus custodire sine gratia universam legem naturalem. . . . 116
SCHOLION I. In statu naturae integrae homo per longum tempus universam legem naturalem sine gratia servare poterat. . . 121
SCHOLION II. De qualitate gratiae necessariae ad servandam totam legem naturalem et vitanda peccata per longum tempus. . 122

CAPUT IV

De necessitate gratiae ad actus salutares. 123
ARTICULUS I. De erroribus pelagianorum et semipelagianorum aliorumque. 123
ARTICULUS II. De necessitate gratiae ad actus salutares. . . . 143
THESIS. Omnes et singuli actus, ut ad vitam aeternam conducant, debent esse supernaturales, immo supernaturales quoad substantiam, et idcirco gratiam ut causam physicam requirunt. . . 144
ARTICULUS III. Qualis sit gratia necessaria in peccatoribus et in justis pro actibus salutaribus. 154
THESIS I. Peccatores ut actus salutares elicere possint, requirunt gratiam actualem et increatam. 155
THESIS II. Justus ad salutariter operandum gratiam excitantem probabilius requirit. 155
SCHOLION I. Qualis gratia sit necessaria ad vitanda peccata mortalia per longum tempus. 157
SCHOLION II. Qualis gratia habitus per se infusos determinet ad producendos actus supernaturales indeliberatos. 159
SCHOLION III. An species impressae concurrentes ad actus entitative supernaturales, sint quoque entitative supernaturales? . 160

Pag.

SCHOLION IV. An species quae a cognitionibus entitative supernaturalibus relinquuntur, sint naturales, vel supernaturales? . 162
ARTICULUS IV. Utrum justus omnia peccata venialia vitare possit. 163
THESIS. Justus in praesenti vita omnia peccata venialia vitare nequit. 165
SCHOLION I. Sola Virgo Maria fuit per totam vitam prorsus immunis ab omni peccato. 172
SCHOLION II. De natura privilegii immunitatis ab omni peccato. 173
ARTICULUS V. De necessitate gratiae ad perseverantiam finalem. . 173
THESIS I. Omnibus justis datur gratia sufficiens ad perseverandum, licet auxilium proxime sufficiens per orationem saepe obtinendum sit. 176
THESIS II. Perseverantia in statu gratiae usque ad finem vitae est donum Dei, immo magnum Dei donum. 185
SCHOLION I. Doctrina S. Augustini de petitione praesertim perseverantiae. 189
SCHOLION II. De discrimine inter donum perseverantiae et confirmationem in gratia. 190
ARTICULUS VI. De discrimine inter gratiam status innocentiae et naturae lapsae. 191
THESIS. Probabilius videtur in statu innocentiae non requiri gratiam excitantem voluntatis, sed sufficere excitationem intellectus. 195
SCHOLION. De adjutorio sine quo non, et de adjutorio quo. . . 199

DISPUTATIO II

De gratia sufficiente, efficaci et distributione gratiae

CAPUT I

De gratia sufficiente 202
ARTICULUS I. De exsistentia et natura gratiae sufficientis. . . 202
THESIS I. In statu naturae lapsae datur gratia vere et pure sufficiens, id est, tribuens potestatem completam et expeditam ad agendum salutariter, licet non detur operatio; atque ideo talis gratia est etiam relative sufficiens. 204
THESIS II. Gratia vere sufficiens debet constare gratia excitante intellectus et voluntatis, et omnibus principiis physicis necessariis ad eliciendum actum salutarem, et praeterea Deus debet esse paratus ad concurrendum. 210
SCHOLION I. De mente S. Augustini circa gratiam sufficientem. 214
SCHOLION II. De causa inefficaciae gratiae sufficientis. . . 219
ARTICULUS II. Nonnullae catholicorum sententiae circa gratiam suf-

Pag.

ficientem rejiciuntur. 219
Articulus III. Utrum gratia sufficiens sit Dei beneficium. . . 227
THESIS. Gratia sufficiens est Dei beneficium materiale et formale. 228

CAPUT II

De gratia efficaci 233
Articulus I. Refutantur systemata haereticorum. 233
THESIS. Homo sub gratia efficaci libere operatur, et rejiciendae sunt sententiae Lutheri, Calvini et Jansenii. 236
Articulus II. Efficacia gratiae non consistit in praemotione physica. 245
THESIS. Gratia efficax non consistit in praemotione physica. . 250
SCHOLION. De sententia F. Norberti del Prado circa conciliationem gratiae efficacis cum libero arbitrio. 262
Articulus III. Gratia ab intrinseco efficax rejicienda videtur. . 267
THESIS. Gratia ita intrinsece efficax, ut necessario physice vel saltem moraliter consensum trahat, rejicienda videtur. . . 267
SCHOLION. De gratia efficaci secundum scotistas. 270
THESIS. Gratia efficax non consistit in decreto divino efficaci et condeterminante ad mentem scotistarum. 271
Articulus IV. De natura gratiae efficacis. 273
THESIS I. Gratia efficax non addit sufficienti novum auxilium praevium, aut novam aliquam entitatem vel proprietatem, quae intrinsece ad auxilium gratiae in actu primo spectet; immo gratia mere sufficiens potest intrinsece esse perfectior gratia efficaci. 277
THESIS II. Gratia efficax in actu primo est auxilium adaequate praeveniens, infallibiliter connexum cum consensu, non ex suis intrinsecis, sed per scientiam mediam. 278
THESIS III. Deus gratiam efficacem tribuit cum cognitione eventus, quam per scientiam mediam habet, et per decretum efficax benevolum: ideoque gratia efficax est speciale Dei beneficium. 284
SCHOLION I. Patres Societatis Jesu in natura gratiae efficacis explicandae sunt concordes. 289
SCHOLION II. Decretum Adm. R. P. Claudii Aquaviva circa doctrinam a theologis Societatis Jesu defendendam de gratia efficaci. 290
SCHOLION III. De libro P Molina inscripto Concordia. . . . 291
SCHOLION IV. Defensio P. Molina contra F. N. Del Prado. . . 292
Articulus V. Quid de gratia efficaci senserint S. Augustinus et S. Thomas. 297
THESIS I. S. Augustinus non reponit gratiam efficacem in praemotione physica. 297

Pag.

THESIS II. S. Thomas contrarius est gratiae physicae praedeterminanti. 316
SCHOLION I. Quid senserint de efficacia gratiae theologi, qui ante Tridentinum scripserunt. 324
SCHOLION II. De Sancto Francisco Salesio. 326

CAPUT III

De distributione gratiae. 329
ARTICULUS I. Utrum peccatoribus omnibus detur gratia sufficiens ad salutem. 329
THESIS. Deus omnibus peccatoribus fidelibus auxilia necessaria ad salutem consequendam tribuit, neque ab hac regula peccatores excaecati et indurati excipiendi sunt. 332
SCHOLION. Utrum Deus omnibus peccatoribus auxilia saltem remote sufficientia ad peccata mortalia vitanda tribuat. . . . 346
ARTICULUS II. De gratia infidelium. 348
THESIS. Infidelibus omnibus tempore opportuno largitur Deus gratiam saltem remote sufficientem ad fidem et justificationem obtinendam. 353
SCHOLION I. De modo, quo Deus gratiam sufficientem infidelibus concedit. 362
SCHOLION II. De axiomate, facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam. 363
SCHOLION III. De inaequali gratiae distributione. 364
APPENDIX. De gratiis gratis datis. 368
QUAERES 1.° Utrum novem charismata memorata sint numerus eorum completus? 371
QUAERES 2.° Utrum novem charismata recensita sint habitus? . 371
QUAERES 3.° Utrum gratia gratis data sit excellentior gratia gratum faciente. 371
QUAERES 4.° Utrum sermo sapientiae et sermo scientiae sint idem ac donum sapientiae et donum scientiae. 372

DISPUTATIO III

De gratia formaliter sanctificante

CAPUT I

De dispositionibus ad gratiam formaliter sanctificantem . . 373
ARTICULUS I. Utrum fides sit necessaria ad justificationem. . 373
THESIS I. Fides est necessaria ad justificationem obtinendam; et haec fides debet esse supernaturalis. 376

Pag.

THESIS II. Fides necessaria ad justificationem est illa, qua revelata a Deo credimus esse vera propter auctoritatem Dei revelantis; non autem fiducia illa, vel cognitio, qua firmiter nobis persuademus peccata nobis non imputari seu esse remissa. . . 378
SCHOLION. De his, quae ad justificationem consequendam credenda sunt. 386
ARTICULUS II. Praeter fidem ad justificationem alia requiruntur. 387
THESIS I. Ad justificationem consequendam sola fides non sufficit; sed praeterea actus voluntatis requiruntur. 389
THESIS II. Fides et reliqui actus concurrentes ad justificationem sunt verae dispositiones ad illam; et libere debent elici. . . 396

CAPUT II

De infusione gratiae sanctificantis, et de ipsius natura . . 407
ARTICULUS I. De infusione gratiae sanctificantis, et de ipsius ordine. 407
THESIS I. Posita ultima dispositione, in eodem instanti gratia sanctificans infallibiliter infunditur; justificatio vero adaequate sumpta, seu pro omnibus requisitis ad gratiam sanctificantem recipiendam ordinarie necessariis, non ponitur in instanti; sed absolute poni posset. 408
THESIS II. Actus fidei est prior natura actu spei et caritatis; et actus spei est prior actu caritatis; et actus caritatis in Deum est prior actu detestationis peccati. Denique infusio gratiae sanctificantis est prior remissione peccati. 409
THESIS III. Ultima dispositio, seu actus caritatis et contritionis perfectae constituentes dispositionem proximam sunt natura priores gratia habituali; possunt tamen dici posteriores eadem gratia sanctificante quatenus sunt informati per illam. . . 410
ARTICULUS II. Quid sit justificatio, justitia et gratia sanctificans. 412
THESIS. Justitia vel gratia sanctificans est donum homini intrinsecus inhaerens, et ex se permanens. 416
SCHOLION I. Spiritus Sanctus non est gratia sanctificans. . . 427
SCHOLION II. De reali distinctione gratiae sanctificantis ab anima ejusque potentiis. 431
SCHOLION III. Assertio. Gratia sanctificans est accidens absolutum, spirituale, et qualitas quaedam. 432
ARTICULUS III. Gratia sanctificans est specialis et formalis divinae naturae participatio. 435
THESIS I. Gratia sanctificans est natura quaedam in ordine supernaturali, et specialis participatio divinae naturae, quatenus est radix virtutum per se infusarum omniumque donorum ad Deum immediate ut est in se attingendum ordinatorum, et ideo supernaturalium: quare est formalis participatio naturae di-

Pag.

vinae. 440
THESIS II. Gratia sanctificans creata est etiam specialis divinae naturae participatio ethice seu in genere morum. 445
SCHOLION I. Refutantur sententiae adductae n. 639 praeter ultimas. Sententiae Ekardi et Molinos sunt absurdae, quum ponant animam cum Deo identificari; est enim impossibile duas substantias fieri unum physice et utramque manere. 445
SCHOLION II. De excellentia gratiae habitualis, si cum aliis conferatur. 446
ARTICULUS IV. De reali distinctione gratiae sanctificantis a caritate. 448
THESIS. Gratia sanctificans est realiter distincta a virtute caritatis. 449
SCHOLION I. Utrum gratia sanctificans sit simplex qualitas. . 455
SCHOLION II. Utrum gratia sanctificans habeat aliquid speciale propter Christum. 456

CAPUT III

De effectibus gratiae sanctificantis et de ipsius productione . 457
ARTICULUS I. De remissione peccatorum per gratiam sanctificantem. 457
THESIS I. In justificatione peccatoris peccata vere remittuntur et delentur. 458
THESIS II. Gratia sanctificans peccatum originale et omnia mortalia omnino delet, et hoc quidem physice et ex natura sua facit. 462
SCHOLION. De dubiis nonnullis circa peccatorum remissionem. 464
ARTICULUS II. Utrum gratia sanctificans essentialiter peccato mortali repugnet. 467
THESIS. Absolute repugnat gratiam sanctificantem conjungi simul cum peccato mortali in eodem subjecto. 468
ARTICULUS III. Gratia sanctificans facit homines justos, sanctos, Deo gratos et amicos ipsiusque Dei filios adoptivos. . . . 471
THESIS I. Gratia sanctificans homines justos et sanctos facit, et hoc quidem ex natura sua adaequate. 474
THESIS II. Gratia sanctificans facit homines Deo gratos et amicos, et hoc ex natura sua et physice. 475
THESIS III. Gratia sanctificans facit hominem filium Dei adoptivum ex natura sua; et hoc physice et formaliter. 478
ARTICULUS IV. De inhabitatione divinarum personarum per gratiam. 479
THESIS. Simul cum gratia sanctificante non modo datur animae Spiritus Sanctus, verum etiam Pater et Filius se donant. . . 481
SCHOLION. De ratione, qua justi cum divinis personis conjunguntur. 487
ARTICULUS V. De existentia et infusione virtutum theologicarum. 489
THESIS I. Dantur tres virtutes theologicae fides, spes et caritas.

Pag.

per se infusae, realiter inter se distinctae, et tantum tres. . . 490
THESIS II. Virtutes per se infusae a gratia sanctificante dimanant. 496
SCHOLION. A gratia sanctificante actus salutares tantum mediate procedunt secundum S. Thomam. 498
ARTICULUS VI. De existentia virtutum moralium, donorum, beatitudinum et fructuum. 498
THESIS I. Virtutes morales per se infusae admittendae sunt. . 499
THESIS II. Admittenda sunt dona Spiritus Sancti, quae probabilius videntur esse habitus, et quidem a virtutibus per se infusis realiter distincti, et numero septenario. 502
De beatitudinibus et fructibus. 513
ARTICULUS VII. De causa finali et efficiente gratiae sanctificantis. 514
THESIS. Solus Deus est causa physice producens gratiam sanctificantem tanquam causa principalis. 517
SCHOLION I. De ratione, qua gratia habitualis producitur. . . 519
THESIS. Gratia sanctificans ex potentia oboedientiali animae educitur. 520
SCHOLION II. Utrum repugnet aliquid creatum posse producere gratiam sanctificantem. 522
SCHOLION III. Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei et res miraculosa. 522

CAPUT IV

De proprietatibus justificationis 524
ARTICULUS I. De augmento et inaequalitate gratiae sanctificantis. 524
THESIS. Gratia sanctificans bonis operibus augetur. . . . 524
SCHOLION I. Utrum gratia sanctificans et virtutes per se infusae diminui possint? 526
SCHOLION II. Multae quaestiones habentur referentes ad augmentum gratiae sanctificantis et virtutum per se infusarum. 527
ARTICULUS II. Utrum homo possit scire se habere gratiam sanctificantem. 528
THESIS. Nemo sine speciali revelatione scire potest certitudine fidei se esse justum, immo nec hoc scire potest certitudine stricte tali. 529
SCHOLION I. Qualis certitudo de statu gratiae haberi potest. . 534
SCHOLION II. Utrum detur certitudo de virtutibus per se infusis et de donis. 536
ARTICULUS III. Gratia sanctificans amitti potest. 537
THESIS. Gratia sanctificans semel habita quolibet peccato mortali amittitur, et quidem solo; et etiam ita amitti potest, ut non amplius recuperetur. 537

DISPUTATIO IV

De merito

CAPUT I

Pag.

De merito in genere 542
Articulus I. De notione et divisione meriti. 542
Articulus II. De conditionibus, quae ad meritum sunt necessariae. 545
THESIS I. Pro merito sive condigno, sive congruo requiritur actus positivus, bonus, liber, supernaturalis, re ipsa in aliqua temporis differentia existens, et ut merens sit in statu viae. 546
THESIS II. Pro merito condigno requiritur, ut merens sit justus, pro se mereatur, ut meritum sit aliquo modo aequale praemio, et divina promissio; et pro merito congruo praeter conditiones necessarias pro omni merito, requiritur divina promissio, ut efficax sit. 550
SCHOLION I. Qualis debet esse libertas sufficiens ad meritum. 555
SCHOLION II. Utrum meritum propter Christum habeat aliquid speciale, quod, secluso Christo, non haberet. 556
SCHOLION III. De Elia et Enoch. De his Sanctis Patriarchis, quum adhuc vivant, quaeritur, utrum etiam nunc mereantur. . 556
Articulus III. Utrum ad meritum condignum requiratur actus elicitus aut imperatus a caritate. 557
THESIS I. Ad meritum gloriae et augmenti gratiae non opus est, ut actus sit elicitus aut imperatus a caritate. 558
THESIS II. Omnes liberi et supernaturales hominis justi sunt proprie meritorii. 565
SCHOLION. Utrum omnes actus boni et liberi hominis justi sint meritorii. 565
THESIS. Omnes actus boni et liberi hominis justi sunt meritorii. 566
Articulus IV. Rejiciuntur nonnullae conditiones tanquam non necessariae ad meritum. 569
THESIS I. Opera praecepta sunt etiam meritoria; neque ad hoc, ut sint meritoria, ita debent esse nostra, ut nullo modo sint Dei. . 569
THESIS II. Intentio meriti vel praemii non impedit meritum; sed potest esse sufficiens ad illud, licet non sit necessaria. . . . 570
Articulus V. Utrum detur meritum de condigno et de congruo. . 572
THESIS I. Admittendum est verum meritum in hominibus justificatis, et quidem de condigno. 572
THESIS II. Homo potest quoque de congruo apud Deum mereri. 575
Articulus VI. Utrum Deus merita condigna ex justitia remuneret. 580

Pag.

THESIS. Deus ex aliqua justitia retribuit merita. Et quidem hoc facere videtur tum ex justitia distributiva, tum ex commutativa. 581

CAPUT II

De objecto meriti 585
ARTICULUS I. De merito augmenti gratiae et gloriae, et de gloria accidentali. 585
THESIS I. Justi augmentum gratiae mereri possunt, et quidem de condigno. 585
THESIS II. Justus vitam aeternam de condigno mereri potest. . 587
SCHOLION. De gloria accidentali. 589
ARTICULUS II. Utrum homo justus de condigno primam gloriam mereri possit. 589
THESIS. Justus primam gloriam de condigno mereri potest. . 590
ARTICULUS III. Utrum homo possit sibi vel alteri gratiam sanctificantem mereri. 593
THESIS I. Homo non potest sibi mereri de condigno primam gratiam sanctificantem, potest tamen de congruo. 593
THESIS II. Homo non potest alteri mereri de condigno primam gratiam sive actualem sive habitualem, potest tamen de congruo. 594
ARTICULUS IV. Utrum justus possit mereri reparationem post lapsum. 595
THESIS. Nemo sibi mereri potest reparationem post lapsum de condigno; sed potest justus illam sibi mereri probabilius de congruo. 596
ARTICULUS V. Utrum justus perseverantiam finalem emerere possit. 597
THESIS. Justus non potest emereri de condigno perseverantiam finalem; probabilius de congruo illam emereri potest. . . . 598
SCHOLION. Utrum per impetrationem perseverantiam finalem obtineri modo infallibili possit. 600
ARTICULUS VI. Nonnulla dubia meritum respicientia breviter solvuntur. 601
QUAERES 1.° Utrum actus exterior meritum augeat? . . . 601
QUAERES 2.° Utrum actus imperatus ipsius voluntatis addat meritum actui imperanti? 601
QUAERES 3.° Utrum opera justorum propter eorum unionem cum Christo sint aestimabiliora etiam in ordine ad praemium? . . 601
QUAERES 4.° Utrum continuatio seu perseverantia in eodem actu meritum augeat? 602
QUAERES 5.° Utrum meritum augeatur ratione majoris sanctitatis personae? 602
QUAERES 6.° Utrum meritum crescat ratione difficultatis vel intensionis actus? 603

Pag.

QUAERES 7.° Utrum justus gratias efficaces mereri possit? . 604
QUAERES 8.° Utrum peccator possit mereri de congruo auxilia sufficientia ad justificationem- 604
QUAERES 9.° Utrum Deus remuneret supra condignum? . . 604
QUAERES 10.° Utrum bona temporalia cadant sub mérito? . . 304

PROOEMIUM (1)

1. Tractatus de gratia Christi inter diversas Theologiae partes locum valde praecipuum tenet, quum sine illa nihil ad beatitudinem supernaturalem per se concurrens habeatur, nihil ad salutem stricte conducens, nihil formaliter sanctificans; etenim opera nostra salutaria, virtutes per se infusae, sanctificatio, gradus gloriae a gratia tribuuntur. Magni igitur momenti est hanc materiam rite exponere, solide stabilire et propugnare et opposita dissolvere. Hoc igitur pro viribus praestare conabor; et prout in aliis tractatibus quos hucusque scripsi, feci, methodum scholasticam sectabor, quaestiones accurate definiens et declarans, quod verum existimem, probabo, et contraria diluere enitar. Hunc quidem tractatum *de gratia Christi* voco; quia revera tota gratia, quae in hac providentia hominibus communicatur, est gratia quam Christus suis meritis comparavit, saltem si eae gratiae, quae Adamo ante peccatum collatae sunt, et gratia unionis hypostaticae, excipiantur (2). Gratia quidem Christi non ideo ponitur a gratia Dei distincta, quia non sit etiam Dei; sed propterea quod ex meritis Christi est, et gratia Dei simpliciter dicta, per Christum, qui Deus simul et homo est, non fuit obtenta.

In diversis quaestionibus errores indicabuntur, sed breviter;

(1) In praesenti tractatu his auctoribus praecipue utar, videlicet: S. Thoma, Scoto, Capreolo, Suarez, Bellarmino, Molina, Vazquez, Valentia, Lessio, Ripalda, Mauro, Joanne a S. Thoma, Gonet, Salmanticensibus, Gotti (Card.), Billuart, Wirceburgensibus, Mendive, Pesch, Lahousse, Billot (Card.), Schiffini, Herrmann, Van der Meersch, Beraza, qui eximium de gratia Christi tractatum et doctrinae plenitudine, et expositionis claritate, et probationum soliditate, et in difficultatibus solvendis solertia exaravit.

(2) Vide *Tractatum de Verbi Divini incarnatione*, d. 17, a 3, n. 936 et sq.

etenim eorum auctores et varia propagatio et conservatio ex historia ecclesiastica jam esse nota supponitur. Verum errores *pelagiani et semipelagiani*, quum in hac materia praecipui sint, speciatim exponentur.

Porro hunc tractatum in quatuor disputationes dividam: quarum prima de gratiae actualis natura, causa et necessitate aget; altera de gratia sufficiente, efficaci, et de gratiae distributione; tertia de gratia habituali; quarta denique de merito.

DISPUTATIO I

De gratiæ actualis natura, causa et necessitate

CAPUT I

De gratiæ actualis natura

Articulus I

De notione et divisione gratiæ generatim

1. Variae acceptiones gratiae (1). Sacra Scriptura diversis significationibus vocabulum *gratia* usurpat. 1.° Pro pulchritudine, et etiam pro elegantia et suavitate sermonis. Sic *Prov.* XXXI, 30, dicitur: "Fallax gratia et vana est pulchritudo." Et *Luc.* IV, 22: "Et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius..." 2.° Pro amore benevolo, ut *Gen.* XXXIX, 4, ubi legitur: "Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo..." Item *Luc.* I, 30: "Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum." 3.° Pro gratitudine seu gratiarum actione propter donum gratis datum. Hoc modo accipitur *II Reg.* II, 6, ubi David ait: "Et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud." Similiter ad *Coloss.* III, 16: "In gratia cantantes in cordibus vestris Deo." 4.° Denique pro dono omnino gratuito ut *Rom.* IV, 4: "Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum." Et XI, 6: "Si autem gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia."

(1) Maurus (Sylv.), *In 1. 2. trac.* 8, q. 52; Wirceburgenses, *De gratia*, c. I, a. 1, n. 147.

2. Ex his quatuor acceptionibus *gratiae,* prima est aliena a scopo praesenti, et ideo a S. Thoma non recensetur (1). Ex aliis tribus, ultima est, quae ad rem nostram magis facit, et est secundum etymologiam verbi *gratia,* quae originem ducere videtur a vocabulo gratis (2), quod significat aliquid dari sine debito et sine ulla exigentia cujuscumque compensationis. Atque gratia ita accepta potest in genere ita definiri: *bonum aliquod, ex benevolentia gratis donatum.* Dicitur *bonum aliquod,* quod potest consistere in actione aliqua, quae prosit illi, pro quo elicitur, vel in re absoluta; sed debet esse *bonum,* quia gratia sumitur pro munere digno aestimatione. *Ex benevolentia,* i. e, amor benevolentiae, est motivum donationis; quia si motivum esset amor concupiscentiae, res non daretur omnino gratis, sed propter commodum aliquod vel lucrum donantis, saltem inadaequate. Itaque gratia requirit non modo rem dari cum affectu benevolentiae comitante, sed etiam ipsam benevolentiam esse rationem formalem donationis; et bonum quod datur est objectum materiale. *Donatum,* quia gratia habetur per donationem, non propter debitum.

Deinde *gratis,* quia bonum quod datur, nec stricte debetur, nec exigitur. Gratiam hoc habere significat S. Paulus in locis paulo antea citatis ad *Rom.* Et hoc ipsum manifeste asserunt PP. Ita S. Augustinus inquit (3): "Ipsum quippe gratiae nomen, et ejus intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam, qui dignus est accipit... Quisquis ergo dignus est, debitum est ei; si autem debitum est, gratia non est: gratia quippe donatur, debitum redditur." Et ipse S. Doctor (4): "Quid est gratia? gratis data. Quid gratis data? Donata, non reddita." Et alibi (5): "Ideo gratia, quia gratis datur. Ideo gratis datur, quia non quasi merces redditur post discussionem meritorum, sed donum datur post veniam delictorum." Item S. Isidorus dicit (6): "Ipse (Spiritus Sanctus) est *gratia,* quae, quia non meritis nostris, sed voluntate divina *gratis* datur, inde *gratia* nuncupatur." Gratia in genere posset etiam definiri, *donum gratis collatum;* nam quum

(1) *1. 2.,* q. 110, a. 1.
(2) Vide P. Suarez, De gratia, prolegom. 3, n. 2; Beraza, De gratia, p. 1.ª, c. 1.
(3) *De gestis Pelagii,* c. 14, n. 33 (M. L. 44, 340).
(4) *Tractatus 3 in Joan.,* n. 9 (M. L. 35, 400).
(5) *Sermo 144,* c. 1 (M. L. 38, 788).
(6) *Etymol.* l. 7, c. 3, n. 20 (M. L. 82, 269).

dicitur *donum collatum* innuitur donatio rei bonae, et verbum *gratis* significat donationem fieri ex animo benevolo, et sine ulla exigentia; aliter non esset omnino gratuita.

3. Atque animadvertendum est hic ipsum amorem benevolum esse gratiam; quia datur amato gratis per benevolentiam seu amorem benevolum (1). *Datur* quidem, quia dirigitur ad amatum et habetur propter ipsum; *gratis,* quia praecise habetur, quia amans vult bonum amato, quia huic est bonum, non ex aliquo debito, utilitate vel concupiscentia. *Per benevolentiam,* quia ipse amor benevolus est formaliter benevolentia, licet non sit causaliliter a benevolentia. Notandum vero est magnum discrimen inter amorem benevolum Dei et hominis; nam amor Dei benevolus nullum in amato requirit bonum, sed ex benevolentia potest tribuere omnia amato, quum a voluntate Dei omnia pendeant; verum amor benevolus hominis jam requirit dari bonum in amato, ut illi bonum gratuito tribuat (2).

4. Quare ex diversis acceptionibus gratiae n. 1, quae est primo loco non est vere gratia, ut jam antea indicatum est; quae vero ponuntur secundo et quarto loco sunt vere gratiae, ut eruitur ex dictis; quae vero tertium locum tenet, solum potest dici gratia, quia est ex gratia; et sic dicit P. Suarez (3): "Gratitudo ipsa, seu gratiarum actio gratia vocata est, quasi gratia pro gratia." Haec tertia acceptio gratiae nullo modo convenire potest Deo; quia nihil ipsi dari potest prorsus gratuitum; omnia enim creata a Deo creaturis donata sunt. Unde *Rom* XI, 35 et sq., dicitur: "Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia..." Ideoque neque quarta acceptio Deo convenire potest sensu passivo; quia nihil recipere potest omnino gratuitum. Neque est contra rationem gratiae, quod Deus omnia propter se ipsum velit; quia ex una parte est magnum hominis bonum omnia velle propter Deum, et ex altera Deus nullum commodum sive utilitatem ex suis donis reportat.

5. Profecto secundum definitionem gratiae antea traditam non modo supernaturalia bona sunt gratia, verum etiam naturalia; haec enim a Deo dantur quoque gratuito, et sine ullo debito

(1) S. Thomas, *1.* p. q. 38. a. 1.
(2) S. Thomas, *1. 2.*, q. 110, a. 1.
(3) *Prolegom.* 3, c. 1, n. 5.

vel exigentia. Ita Deus tribuit unicuique creaturae rationali naturam, et licet illa, quae a natura exiguntur, non sint gratuita, quum a natura jam exigantur; verum sunt etiam gratuita, quatenus Deus sine ullo debito, et sine ulla exigentia gratis dedit naturam cum suis exigentiis.

Verum gratia theologice et stricte sumpta non est nisi supernaturalis. Quid sit supernaturale et quo modo a naturali distinguatur, dictum est in *Tractatu de Deo Creatore* (1). Gratia sic accepta definiri potest: *donum a Deo gratis concessum et intrinsecus ordinatum ad Deum ut est in se aliquo modo attingendum.* Dicitur *donum a Deo gratis concessum,* quia est bonum aliquod quod Deus omnino gratuito donat. *Intrinsecus ordinatum ad Deum ut est in se attingendum;* quia illud donum est tantae perfectionis, ut ex se tendat ad Deum attingendum, non in rebus creatis, sed in se ipso. *Aliquo modo;* quia dona supernaturalia diverso modo Deum attingunt; alia enim, ut visio Dei, Deum ut est in se immediate attingunt; alia vero solum mediate, ut sunt dispositiones supernaturales vel merita supernaturalia vitae aeternae (2). Unde si daretur aliquod ens, quod omnes vires naturae sive activas sive exactivas superaret, sed non ordinaretur ad Deum ut est in se attingendum, non esset gratia, licet esset ens supernaturale. Verum neque ens supernaturale esset absolute et primario, sed tantum secundario et per comparationem cum natura.

6 Gratiae divisiones (3). 1.° *Gratia dividitur in gratiam Dei et gratiam Christi.* Gratia Dei, ut opposita gratiae Christi, sicut in prooemio jam indicatum est, dicitur illa, quae non datur propter merita Christi; et gratia Christi est illa, quam Christus suis meritis comparavit. Quare tam gratia Dei, quam Christi est gratia Dei; sed cum discrimine indicato. In praesenti providentia probabilius est gratia Dei, et non Christi, gratia communicata angelis et primis parentibus, et etiam gratia unionis hypostaticae; ceterae omnes gratiae sunt Dei et simul propter merita Christi (4).

7. 2.° In gratiam increatam et creatam. *Gratia increata*

(1) D. 1, c. 3, a. 1.
(2) Vide quae *Tractatu de Deo Creatore,* d. 1, c. 3, a. 1, *de ente supernaturali* dicta sunt.
(3) Suarez, *Prolegom. 3 de gratia,* c. 2 et sq.; Maurus (Sylv.) *De gratia,* q. 53 et sq.; Struggl (Marc.), *De gratia,* q. 1, a. 1; Mazzella, (Camil. Card.), *De gratia,* d. 1, a. 1, §. 2; Beraza, *De gratia,* p. 1.ª, c. 2.
(4) Vide *Tractat. de Verbi Divini Incarnatione,* d. 17, a. 3, n. 936 et sq.

sunt ea, quae ipsi Deo identificata sunt quatenus hominibus in ordine ad ipsorum salutem donantur; et *creata* sunt omnia dona ab alio stricte supernaturalia secundum ea, quae n. 5 dicta sunt. Quod vero etiam gratia increata admittenda sit, constat ex Scriptura. Nam *Joan.* III, 16, dicitur: "Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret." Et *XIV*, 23: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus." Item *Rom.* V, 5: "Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis." Id ipsum ex S. Augustino constat, qui dicit (1): "Gratia quippe Dei donum Dei est. Donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est; et ideo gratia dicitur." Similiter Christum ratione unionis hypostaticae asserit gratia constitui his verbis (2), videlicet: "At enim gratia ille talis et tantus." Et ibidem, n. 31, addit: "Qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus" (3).

Denique S. Thomas gratiam increatam admittit, ut elucet ex ipsius verbis modo allatis in nota. Item dicit (4): "Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipsa aeterna Dei dilectio, secundum quod dicitur etiam gratia praedestinationis, inquantum Deus gratuito et non ex meritis aliquos praedestinavit sive elegit. Dicitur enim (*Ephes.* I, 5): *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum... in laudem gloriae suae.*"

8. 3.° In gratiam internam et externam (5). Gratia interna est illa, quae physice aut saltem moraliter conjungitur cum subjecto cui communicatur; et externa est illa, quae nec physice, nec moraliter conjungitur cum subjecto capaci sanctificationis. Sunt gratiae internae unio hypostatica respectu humanitatis

(1) *Sermo 144*, c. 1 (M. L. 38, 788).
(2) *De praedestinat. sanct.*, c. 15 (M. L. 44, 982).
(3) Aliqui negarunt secundum S. Augustinum gratiam increatam esse gratiam; quia S. Doctor dicit (*De praedest. canct.* c. 10: M. L. 44, 974): "Inter gratiam porro et praedestinationem hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero jam ipsa donatio." Verum hic S. Augustinus non videtur negasse praedestinationem esse gratiam; nam eam vocat gratiae praeparationem, et certe praeparatio gratiae etiam est gratia; solum igitur negat S. Augustinus praedestinationem esse gratiam in homine passive receptam. Et S. Thomas circa hanc rem dicit (3. p., q. 7, a. 13, ad 10). "Dicendum, quod Augustinus ibi gratiam nominat gratuitam Dei voluntatem, gratis beneficia largientem: et propter hoc eadem gratia dicit hominem quemcumque fieri christianum, qua gratia factus est homo Christus; quia utrumque gratuita Dei voluntate absque meritis factum est."
(4) *1. 2.* q. 110, a. 1, ad finem c.
(5) Suarez, *Prolegom. 3 de gratia*, c. 3, n. 10 et sq.; Maurus, *De gratia*, q. 56; Struggl, *De gratia*, q. 1, a. 1, n. 5; Mazzella, Card. *De gratia*, d. 1, a. 1, n. 14; Beraza, *De gratia*, p. 1.ª, c. 2. n. 13.

Christi, et omnes habitus et actus supernaturales, sive indeliberati, sive deliberati, quae essentiae animae vel potentiis spiritualibus ipsius inhaerent; item est gratia interna Spiritus Sanctus, qui moraliter cum anima propter inhabitationem conjungitur; dicitur enim *I Cor.* III. 16: "Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?" Sunt vero gratiae externae redemptio Christi et ipsius merita et satisfactiones, veritates revelatae ex se ad salutem hominum ordinatae et omnia sacramenta N. L., praesertim Eucharistia.

9. 4.° In gratiam gratis datam et gratum facientem. *Gratia gratis data* est donum supernaturale collatum pro salute aliorum; *et gratia gratum faciens* est donum supernaturale collatum pro salute ipsius, cui gratia communicatur (1). Utraque, quum sit quid supernaturale, est donum indebitum, et ideo gratia proprie talis, et gratis donata; verum hoc nomen, quod est commune, servatur ut proprium pro gratia minus excellenti, ut est illa, quae pro salute aliorum communicatur (2); et hoc in aliis evenit, ut nomen commune applicetur ut proprium speciei inferiori, sicut *animal,* speciatim de irrationali dicitur. Hae gratiae invicem distinguuntur ratione finis; nam gratia gratum faciens dirigitur ad salutem ipsius, qui illam recipit; et gratia gratis data ad salutem aliorum. Item gratia gratum faciens in suo gradu supremo seu gratiae sanctificantis non datur nisi in justis; sed gratiae gratis datae etiam in peccatoribus reperiri possunt. Sic dicit Christus (*Matth.* VII, 22 et sq.): "Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem." Hoc ipsum innuit S. Paulus (*I Cor.* XIII, 1 et sq.), et S. Thomas (3).

Sive gratia gratum faciens, sive gratis data sumuntur pro gratiis creatis et in homine receptis. De gratiis gratis datis agetur post tractationem gratiae actualis et immediate ante habitualem sed breviter. Ad gratiam vero gratum facientem pertinent gratiae actuales et habituales, de quibus in toto hoc tractatu agen-

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 111, a. 1; Suarez, *De gratia, prolegom.* 3, c. 4, n. 5 et sq.
(2) S. Thomas, loco proxime citato, ad 3, et a. 5.
(3) *2. 2.*, q. 172, a. 4, et q. 178, a. 2.

dum est, et inter gratias habituales numerandae sunt virtutes per se infusae, de quibus in *tractatu de virtutibus* agitur (1). Divisiones gratiae sequentes ponuntur dumtaxat respectu gratiae gratum facientis, et praescinditur a gratia gratis data.

10. 5.° In gratiam habitualem et actualem. Prior est illa, quae animae infunditur et in ea permanet, ut habitus; posterior vero est, quae in anima recipitur ut res transiens, ut actus. Subdivisiones gratiae habitualis et actualis inferius tradentur, ubi de singulis his gratiis sermo erit.

6.° In gratiam supernaturalem quoad substantiam et supernaturalem tantum quoad modum. Gratia supernaturalis quoad substantiam est illa, cujus entitas ex se est supernaturalis stricte et proprie talis, seu ordinatur ex se ad Deum attingendum prout est in se, ut est gratia sanctificans; supernaturalis vero quoad modum est illa, quae entitative et ex se est naturalis, sed a Deo tribuitur modo indebito et praeter exigentiam naturae et cursus naturalis (2). Tales, v. gr., erunt illustratio intellectus et motio voluntatis in bonum ordinis mere naturalis, sed a Deo immediate excitatae sine concursu objectorum externorum.

11. 7.° In gratiam elevantem et medicinalem. Gratia elevans est illa, quae naturam attollit, ut possit aliquo modo tendere in Deum supernaturaliter, i. e., ad attingendum illum prout est in se; et gratia medicinalis dicitur, prout ignorantiam tollit, et vires ad concupiscentiam vincendam communicat. Ignorantia vero praesens et concupiscentia sunt effectus peccati originalis. Gratia elevans debet esse stricte supernaturalis; gratia vero medicinalis ut talis non requirit nisi supernaturalitatem quoad modum. In praesenti vero gratia elevans utrumque praestat, sci-

(1) Divisio gratiae in gratis datam et gratum facientem prout explicata est, communiter post Conc. Tridentinum inter theologos recepta est. Verum non defuerunt alii sentiendi modi, quos P. Suarez indicat (*De gratia, proleg.* 3, c. 4, n. 2 et sq.). Porro inter antiquiores theologos plures sub nomine gratiae gratum facientis complexi sunt solam gratiam formaliter sanctificantem, et ceteras omnes gratias vocaverunt gratis datas. Ita Alexander de Ales, *Summ. theolog.*, p. 3.ª, q. 73, membr. 2, dicit: "Disponens vero ad salutem dicitur (gratia gratis data), ad differentiam gratiae gratum facientis, quae non est sicut dispositio ad salutem, quasi distans; sed est dispositio salutis: quia habens illam dignus est salute aeterna, immo gratia gratum faciens est ipsa salus, ad quam disponit gratia gratis data." Et inferius, membr. 3: "Est enim gratia (gratis data), quae datur homini propter utilitatem propriam; et tamen non gratum facit, sed ad hoc disponit, ut fides informis, spes et timor servilis. Et iterum gratia gratis data, quae datur propter utilitatem Ecclesiae seu proximi, ut sermo sapientiae et scientiae et hujusmodi." Idem docet S. Bonaventura, *II sent.*, d. 28, a. 2, q. 1, et Dionysius Cartusianus, *II sent.*, d. 26, q. 3.

(2) Suarez, *De gratia, proleg.* 3, c. 6, n. 15 et sq.; Struggl (Marcus M.), *De gratia*, q. 1, a. 1, n. 3.

licet et sanat vulnera inflicta per peccatum originale, hoc est, ignorantiam et concupiscentiam, et elevat naturam aliquo modo ad statum supernaturalem. Eadem vero gratia elevans in angelis et in primis parentibus ante peccatum non fuit medicinalis.

8.° In gratiam intellectus et voluntatis, prout in intellectu, aut in voluntate recipiatur. Denique vocatur *gratia viae* illa, quae viatoribus communicatur, et gratia patriae, quae solis beatis tribuitur, ut lumen gloriae.

Articulus II

De natura gratiæ excitantis

12. Praemitt. 1.° Gratia excitans est illa, qua voluntas veluti dormiens et sopiens ad salutaliter operandum incitatur, et definiri potest: *illustratio mentis et affectio voluntatis salutares a Deo immissae, ut voluntas ad deliberate et salutariter operandum inducatur.* Dicitur excitans non modo actus intellectus, verum etiam *voluntatis;* quia, saltem plerumque, uterque requiritur; *salutares,* quia debent esse actus inducentes ad operandum salutariter; *a Deo immissae,* quatenus in intellectu et voluntate fiunt nobis operantibus vitaliter, sed non libere. Denique verba *ut voluntas ad deliberate et salutariter operandum inducatur* significant finem immissionis illustrationis mentis et affectionis voluntatis. Si homo gratiae excitanti respondet, datur *gratia actu adjuvans,* quae definiri potest: *gratia illa, qua adjuvante voluntas salutariter et libere operatur.* Dicitur *qua adjuvante,* quia sine illa voluntas salutariter operari non posset; *libere operatur,* quia voluntas cum gratia adjuvante facit id, ad quod per gratiam excitantem incitabatur. Utraque gratia et excitans et adjuvans omnino admittenda est, ut ex dicendis constabit.

Gratia excitans vocatur quoque *praeveniens, operans,* et gratia adjuvans *comitans, cooperans, subsequens.* Ratio horum nominum et discrimina, quae importare possunt, explicabitur inferius, a. 3.

13. Praemitt. 2.° Illustratio seu illuminatio intellectus potest esse judicium et etiam simplex apprehensio. Quod judicium sit aptum ad voluntatem movendam constat; quia ex una

parte experimur objecta proposita per intellectum saepe movere voluntatem; et ex altera nullus actus est perfectior judicio ad id praestandum. Quod vero etiam simplex apprehensio possit esse apta ad hoc, in ordine naturali experientia docet. Quod si in ordine naturali id habetur, poterit quoque haberi in ordine supernaturali, si objecta convenienter proponantur, et voluntas sit sufficienter parata. De conclusione autem seu judicio illato dicendum est esse aptum, si quidem est judicium, ad movendam voluntatem; et supernaturaliter, si judicium supernaturale sit (1). Et Deus quidem potest facere, ut conclusio sit supernaturalis, et credendum est semper esse talem, quum justi pie meditantur et discurrunt (2).

THESIS. I. Gratia excitans consistit in illustratione seu illuminatione salutari intellectus et simili inspiratione seu pia affectione voluntatis

14. Nota. Gratia excitans in thesi sumitur formaliter, non causaliter, et sensus est illustrationem salutarem et piam affectionem esse apta ad inducendum ad operationem salutarem, et re ipsa inducere, si homo secundum receptam illustrationem et affectionem velit agere. Non agitur hic de necessitate gratiae excitantis, videlicet utrum semper ad salutariter operandum sit necessaria gratia excitans; neque utrum ad singulos actus salutares sit semper necessaria tum illustratio salutaris, tum pia affectio, an aliquando sola illustratio intellectus possit sufficere; etenim de his omnibus disseretur, ubi de necessitate gratiae pro actibus salutaribus disceptabitur. Neque in praesenti agitur, utrum illustratio salutaris et pia affectio sint adaequate gratia excitans, an praeter illas aliquid amplius requiratur. Hoc postremum tenent PP. Dominicani et alii, qui praeter illustrationem et affectionem requirunt et in intellectu et in voluntate principium a Deo infusum et transiens, quod sit causa physica illustrationis et affectionis.

(1) Vide Ripaldam, *De ente supernaturali*, l. 3, d. 55; l. 5, d. 102, s. 3; Struggl, *p. 1. tract.* 6, d. 1, q. 2, a. 1, n. 6; Beraza, *De gratia actuali*, s. 1, c. 1, a. 1.

(2) Conclusio non videtur supernaturalis ex influxu praemissarum; non ex influxu physico, quia praemissae non videntur physice influere in conclusionem (Lossada, *Log., tract.* 6, d. 1, c. 1, n. 4 et sq.); neque ex influxu morali, quia hic non videtur sufficiens ad supernaturalitatem tribuendam. Neque est supernaturalis, quatenus ab intellectu infertur; nam intellectus, admissis praemissis, naturaliter infert conclusionem.

Verum de hoc sermo erit inferius, ubi de causis gratiae excitantis pertractabitur. Thesis sic declarata videtur certa, imo de fide, si ageretur de necessitate gratiae excitantis pro prima conversione, ut inferius dicetur (1).

15. Prob. 1.ª p. seu de illustratione *1.° ex S. Scrip.* Ad *Ephes.* I, 17, 18, ubi reperitur: "Ut Deus, Domini nostri Jesu Christi pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis." In hoc textu sermo est de illuminatione cordis, i. e., intellectus et voluntatis, et de illuminatione salutari, quia conducit ad cognoscendam *spem vocationis et divitias gloriae haereditatis;* et eo ipso talis illuminatio est gratia excitans, quum conducat ad cognoscendum objectum spei et promissae haereditatis, ideoque et ad voluntatem movendam. Item *Apoc.* III, 20 dicitur: "Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et caenabo cum illo, et ipse mecum." Pulsatio, de qua hic est sermo, videtur esse vocatio ad vocem Christi audiendam eamdemque sequendam; haec vero vocatio necessario exigit saltem illuminationem, quae quidem illuminatio est salutaris, quum ducat ad Christum sequendum et ad conjunctionem cum illo; et eo ipso est gratia excitans (2). Deinde testimonia Scripturae, quae pro 2.ª parte, seu pia voluntatis affectione adducentur, etiam pro prima parte probant; quia affectio voluntatis sine illuminatione intellectus non datur. Et hoc tenet pro omnibus argumentis secundae partis.

16. 2.° *Ex Conc. Tridentino et S. Augustino. Conc. Tridentinum* dicit (3): "Unde tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat..." Et S. Augustinus ita loquitur (4): "Primo ista bona opera, si non ea praecessissent cogitationes bonae, nulla essent." Et idem S. Doctor inquit (5): "Ab ipso (Deo) accipiunt eam (potestatem filios Dei fieri), qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat

(1) Denz. — Bannwart, 180.
(2) Textus *Apocalypsis* modo allatus non videtur interpretandus, ut volunt Estius et alii, de judicio sive particulari, sive universali; nam pulsatio ad judicium non est ad audiendam vocem Christi eamdemque sequendam; sed ad exigendam rationem de bonis et malis operibus.
(3) Sess. 6.ª c. 5 (Denz. — Bannwart, n. 797, ed. 11.ª).
(4) *De gratia et liber. arbitrio,* c. 7, n. 16 (M. L. 44, 891).
(5) *De dono perseverantiae,* c. 8, n. 19 (M. L. 45, 1004).

fidem, quae operetur per dilectionem (*Galat*, V, 6)." Item dicit (1): "Aut eum (hominem) qui forte poterat ad sapientiam pervenire, sive extrinsecus ab aliquo admonitus, sive interioribus cogitationibus divinitus illustratus." Item denique (2): "Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus..."

17. Prob. 2.ª p. 1.° Ex S. Scrip. *Joan.* VI, 44, legitur: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum..." Homines vero potissimum trahuntur voluntate, ideoque Pater trahit homines ad veram religionem per infusionem piarum affectionum. Unde S. Augustinus inquit (3): "Inde et hic si advertis, *nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit.* Noli te cogitare invitum trahi; trahitur animus et amore... Est quaedam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille caelestis. Porro si Poetae dicere licuit, *trahit sua quemque voluptas* (Virg. Eclog. 2); non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus trahit hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est?"

18. 2.° **Ex traditione** *a*) Ex *Conc. Arausicano II*, can. 7, dicente (4): "Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritate, haeretico fallitur spiritu..." Item dicitur (5): "Ideo utique, quia *praeparatur voluntas a Domino* (Prov. VIII, 25; LXX), et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium". Et postea: "Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, *sine quo nihil possumus* (*Joan.* XV, 5)."

b) **Ex S. Augustino.** Hic S. Doctor inquit (6): "Restat ut

(1) *De moribus manichaeor.*, l. 2, c. 17, n. 55 (M. L. 32, 1369).
(2) *De Spiritu et litt.* c. 34, n. 60 (M. L. 44, 240).
(3) *Tract. 26 in Joan.* c. VI, v. 44, n. 4 (M. L. 35, 1608).
(4) Lenz. — Bannwart, n. 180.
(5) *De gratia Dei Indiculus seu* praeteritorum Sedis Apostolicae Episcoporum auctoritates, nn. 8 et 9 (Denz. — Bannwart, nn. 134, 135).
(6) *Enchiridion*, c. 32 (M. L. 40, 248).

propterea recte dictum intelligatur, *non volentis,* neque *currentis, sed miserentis est Dei,* ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam... Nolentem praevenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit... Itemque cur admonemur petere ut accipiamus (*Matth.* VII, 7), nisi ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus?" Et alibi (1): "Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo." Denique idem S. Doctor *dicit* (2):" Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat?"

19. 3.° **Utraque pars probatur ratione.** Gratia excitans ponitur, ut homo stimuletur ad agendum salutariter. Atqui homo stimulatur ad agendum per illuminationem intellectus circa aliquod objectum et motionem voluntatis ad illud amplectendum. Ergo gratia excitans debet consistere in illuminatione intellectus circa aliquod objectum et in motione voluntatis circa idem.

THESIS II. Gratia excitans est prima gratia interna, quam Deus homini ad suam salutem communicat; et illustratio intellectus et pia affectio voluntatis, in quibus formaliter consistit, sunt actus indeliberati et vitales, inefficaces et varii

20. Nota. Gratia excitans asseritur in thesi prima gratia interna tum absolute seu ante omnem gratiam internam homini communicatam; tum in qualibet serie actuum, quum homo ab omni salutari actu cessaverat, et iterum incipit salutariter operari. Haec assertio supponit non dari aliquod principium physicum supernaturale et internum, quod cap. 2.° probabitur. In praesenti thesi et in toto hoc tractatu de homine adulto et ratione utente agitur. In thesi dicuntur *actus indeliberati,* qui sine libertate fiunt; *vitales,* qui fiunt etiam a principio vitali; *inefficaces,* quia ex se non inducunt infallibiliter actum deliberatum; *varii,* quia sive actus intellectus, sive voluntatis gratiam excitantem constituentes possunt esse diversae speciei (3). Thesis quatuor partibus

(1) *Tract. 26 in Joan.*, n. 7 (M. L. 35, 1610).
(2) *De peccat. merit. et remiss.*, l. 2, c. 19, n. 33 (M. L. 44, 170).
(3) *Suarez de gratia,* l. 3, c. 2 et sq., Ripalda, *De ente supernaturali,* l. 5, d. 103, ss. 2 et 3; Beraza, *De gratia actuali,* s. 1, c. 1, a. 1.

constat: 1.ª pars est gratia excitans est prima inter gratias internas; 2.ª actus gratiae excitantis sunt indeliberati et vitales; 3.ª sunt inefficaces; 4.ª sunt varii. Tres priores partes ad sensum theseos defenduntur ut probabiliores, et ultima pars est communiter recepta et omnino certa contra haereticos.

21. Prob. 1.ª pars. 1.° *Ex Conc. Tridentino* dicente (1): "Declarat praeterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione..." Atqui haec vocatio nihil aliud esse potest, nisi quaedam excitatio ad salutem seu gratia excitans. Ergo. Idem *Tridentinum* de initio conversionis addit (2): "Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest..." Denique etiam dicit (3): "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti... libere moventur in Deum..."

22. 2.° **Ex S. Augustino et ratione.** S. Augustinus inquit (4): "Quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, et haec est voluntas bona." Ratio id ipsum suadet; quia non possumus agere salutariter, nisi illustratio salutaris intellectus voluntatem dirigat; nam voluntas agere non potest sine convenienti cognitione intellectus. Atque ideo prima cognitio salutaris interllectus ad agendum salutariter excitans est prima gratia interna; et pia affectio voluntatis respondens illi cognitioni est prima gratia ex parte voluntatis.

23. 2.ª p. seu actus gratiae excitantis sunt indeliberati et vitales. 1.° *Ex Tridentino* dicente (5): "Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti... neque posse dissentire, si velit... A. S." Jam vero secundum Tridentinum homo potest assentire et dissentire excitationi seu vocationi; non esset autem ita, si jam ipsa excitatio seu vocatio esset consensus. Item Conc. Tridentinum appellat (6) gratiam praevenientem sive excitantem

(1) *Sess.* 6.ª, c. 5 (Denz. — Bannwart, 797).
(2) Eodem loco antea citato, paulo inferius.
(3) *Sess.* 6.ª, c. 6 (Denz — Bannwart, n. 798).
(4) *De peccatorum meritis et remiss.*, l. 2, c. 18, n. 31 (M. L. 44, 169).
(5) *Sess.* 6, can. 4 (Denz. — Bannwart, n. 814).
(6) *Sess.* 6, c. 5 (Denz. — Bannwart, n. 797).

vocationem; vocatio autem hominis ad salutem non est ipsi libera, ut dicit (1) S. Augustinus: "Propterea et si quisquam sibi tribuat quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est."

24. 2.° Quia gratia ideo excitans dicitur, quia per illam homo excitatur ad vigilandum et attendendum. Talis autem excitatio non est libera, fit enim antequam homo vigilet et attendat. Id ipsum ex ipso vocationis nomine infertur; nam vocatio non est nisi penes vocantem. Praeterea excitationem et vocationem ab intellectu incipere necesse est; non enim voluntas movetur, nisi prius aliquid ipsi ab intellectu proponatur; intellectus vero non est potentia libera, sed necessario ex se operatur; ac proinde illuminatio intellectus est actus necessarius et indeliberatus. Et etiam prima affectio pia voluntatis debet esse necessaria et indeliberata; quia in statu naturae lapsae propter hujus infirmitatem, voluntas non libere agit salutariter nisi antea actum necessarium seu indeliberatum acceperit.

Quod vero illustratio salutaris intellectus et pia affectio voluntatis sint actus vitales, constat eo ipso, quod sint actus potentiarum vitalium, nimirum intellectus et voluntatis.

25. 3.ª **p** seu illustratio salutaris et pia affectio sunt actus inefficaces. Nam si essent efficaces, seu quibus resisti non posset, voluntas non posset facere nisi sequi illustrationem salutarem et affectionem piam; et ideo non posset eas abjicere eisque dissentire, quod quidem Tridentino (2) contrarium est.

26. **4 ª p.** seu actus gratiae excitantis possunt esse varii, seu diversae speciei. Imprimis respectu intellectus jam dictum est n. 12, simplicem apprehensionem et judicium posse esse apta ad movendam voluntaten. Deinde affectus voluntatis diversae speciei posse conducere ad deliberate tendendum in Deum, sic probatur.

1.° *Ex S. Scriptura. Psal. CXVIII,* 112, dicitur: "Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum, propter retributionem." Et *II Cor.* VII, 10: "Quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur." Item *Eccli.* I, 27: "Timor Domini expellit peccatum." Rursus *Luc.* VII, 16: "Accepit autem omnes timor: et magnificabant

(1) *Lib. octoginta trium quaest., quaest.* 68. n. 5 (M. L. 40, 73).
(2) *Sess.* 6, cap. 5 et can. 4 (Denz — Bannwart, nn. 797, 814).

Deum...” Denique *Act. Ap.*, XIX, 17: “Et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu.” Ex his vero apparet spem retributionis, tristitiam, timorem ad Deum conducere, et erga illum excitare.

27. 2.° *Ex Conc. Tridentino.* Hoc Concilium docet (1): “Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem *ex auditu* concipientes, libere moventur in Deum... et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur...”

28. 3.° Ex *PP.* S. Prosper asserit (2) homines ad Deum trahere timorem, laetitiam, desiderium, delectationes. Et S. Cyrillus Alex. inquit (3): “Optimus maximus universitatis Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Hinc eos qui infirmi erant, commonefaciens, et qui animam suam nihil fecerunt, in rectam et planam semitam revocans, omnes vias omnemque orationem admovet: nunc enim suppliciorum minis ac irae terroribus concutiens, ad melius reducit, nunc autem bonorum pollicitationibus inescat, attrahitque ad utile.” Denique *Auctor Librorum de vocatione gentium* dicit (4): “Hunc autem consensum (voluntatis in gratiam) non solum cohortatio praedicantium et incitamenta doctrinae, sed etiam metus gignit: propter quod scriptum est, *Principium sapientiae timor Domini* (*Prov.* IX, 10). Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit quam ut quem fecerit timentem, faciat et volentem, nec solum volentem, sed etiam sapientem.”

29. 4.° *Ratione.* Dari certe possunt diversae illustrationes supernaturales aptae, ut sub illis diversi affectus supernaturales, indeliberati et inefficaces excitentur, ut, v. gr., timor poenarum, spes vitae aeternae, desiderium salutis, odium peccati, amor virtutis, etc.; non enim in hoc aliqua repugnantia ostendi potest. Aliunde sub illis illustrationibus possunt affectus memorati et alii similes excitari immediate a Deo; et quum tales affectus sint apti ad inducendum in actus supernaturales deliberatos, ut manifestum videtur; inde consequitur gratiam excitantem voluntatis

(1) *Sess. 6.ª*, c. 6 (Denz. — Bannwart, n. 798).
(2) *Contra Collatorem*, c. 7, n. 2 (M. L. 51, 230).
(3) *In Isa.*, l. 3, tom. 2, c. 28, vv. 20, 21 (M. G. 70, 635).
(4) Libr. 2, c. 27 (M. L. 51, 712).

constitui posse variis affectibus. Nec ostenditur omnes affectus, ut sint boni et salutares, debere esse ex caritate: contrarium constat ex testimoniis adductis S. Scripturae, Tridentini et Patrum. Doctrina contraria damnata fuit in damnatione errorum Baii, Jansenii et praesertim Quesnelli, in cujus erroribus habentur de hac materia plures propositiones damnatae, videlicet a 44.ª ad 58.ᵃᵐ. et praesertim a 53.ª ad 58.ᵃᵐ,

Ex dictis re ipsa sequitur piam affectionem esse gratiam physice distinctam ab illustratione salutari intellectus et immediate a Deo, vel a principio supernaturali ut tali cum concursu Dei productam; verum speciatim de hac re agetur in cap. 2.° hujus disputationis, ubi de causis gratiae actualis sermo erit.

30. Obj. S. Augustinus non semel indicat omnia debere fieri ex caritate; ac proinde etiam gratiam excitantem. Ergo haec non potest haberi diversis affectibus. Prob. antec. Dicit S. Doctor (1): "Aliud est enim caritas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus et vitium." Item (2): "Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quae fiunt per dilectionem Dei." Rursus (3): "Haec omnia praecepta dilectionis, id est caritatis, quae tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene..." Iterum (4): "Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus?" Et plura alia in eamdem sententiam habet.

Resp. Neg. antec.; nam alibi dicit (5): "Ergo simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes." Certe S. Augustinus verbis adductis non significat omnia facienda esse *propter regnum Dei;* secus caritatem proprie talem excluderet, quae propter bonitatem Dei in se consideratam agit. Quare mens Augustini est ita esse operandum, ut opera nostra sive implicite, sive formaliter sive virtualiter in regnum Dei tendant idemque quaerant. Unde similiter quum dicit sola opera facta ex dilectione Dei esse bona, non videtur significare ea tantum opera esse bona, quae ex caritate stricte tali fiunt; sed sumit caritatem pro amore, qui saltem virtualiter in Deum tendat. Ali-

(1) *De gratia Christi,* c. 20, n. 21 (M. L. 44, 379).
(2) *Enarrat. in Ps. 67,* n. 41 (M. L. 44, 838).
(3) *De gratia et liber. arbitr.,* c. 18, n. 37 (M. L. 44, 904).
(4) *De gratia Christi,* c. 26, n. 27 (M. L. 44, 374).
(5) *L. 2 de sermone in monte.* c. 16, n. 17 (M. L. 34, 1204).

unde S. Augustinus non semel habet opera ut bona, licet non sint ex caritate. Sic dicit (1): "Tota die Deum laudare quis durat? Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum: lingua quid agit, nisi laudet et conscientia tua? Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli inebriari, et laudasti Deum. Negotium agis? Noli fraudem facere, et laudasti Deum. Agrum colis? Noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum praepara te ad laudandum Deum tota die."

Profecto omnia testimonia allata et alia plura explicari possunt, quatenus in illis caritas et dilectio non accipiuntur stricte, sed pro amore supernaturali ad Deum conducente. Deinde S. Augustinus saepe non probat opera facta sine caritate, quia caritas habitualis requiritur ut opera sint meritoria vitae aeternae. Accedit quod opera caritatis stricte talis sunt excellentiora et magis meritoria, quam opera aliarum virtutum. Praeterea S. Augustinus loquitur saepius de actibus prosecutionis et amoris, quia revera hi actus sunt frequentiores, et amor est radix omnium actuum voluntatis; nam etiam actus odii et aversionis fundantur in amore objecti oppositi (2). Denique apud S. Augustinum delectatio nonnunquam sumitur late, seu pro amore.

31. Scholium I. Actus deliberati possunt quoque fungi munere *gratiae excitantis* (3). Prob. 1.° Ex Conc. Arausicano II (4): "Ipse (Deus)... et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio ea, quae sibi sunt placita, implere possimus." Ubi sermo est de fide et amore deliberatis; nam actus, quibus requiritur baptismus, et statuitur implere ea, quae sunt Deo placita, certe deliberati sunt actus. Sed fides et amor de quibus sermo est in testimonio allato ducunt et excitant ad alios actus salutares, ut ex ipsis verbis adductis patet. Ergo. Item ex Conc. Tridentino (5): "In ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt (justificati)..." Fides

(1) *Psal. 34, serm. 2*, n. 16 (M. L. 36, 341).
(2) Vide S. Thomam, *l. 2.*, q. 28, a. 6, et q. 29, a. 2.
(3) Ripalda, *De ente supernaturali*, d. 103, s. 4.
(4) Can. 25 (Denz. — Bannwart, n. 200).
(5) *Sess. 6*, c. 10 (Denz. — Bannwart, n. 803).

autem bonis operibus cooperatur, et non aliter cooperari videtur, nisi dirigendo et excitando ad bona opera.

2.° Gratia excitans est donum Dei internum quo ad recte agendum excitamur. Atqui actus voluntatis deliberatus et salutaris potest excitare ad alios actus salutares. Ergo. Prob. min. Nam pia affectio credendi ad actum fidei excitat, caritas ad praeceptorum impletionem, etc. Ergo.

32. Scholion II. De auctoritate S. Augustini in materia de gratia (1). Auctoritas quidem S. Doctoris in omnibus materiis magna est, verum in materia de gratia maxime elucet. Id ex Summis Pontificibus et PP. ostenditur.

1.° *Ex Summis Pontificibus et Conc.* S. Caelestinus inquit (2): "Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suscipionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur." Et S. Gelasius I; (3). Adhuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et praesentia sacerdotum, beatae memoriae Hieronymum atque Augustinum ecclesiasticorum lumina magistrorum, *musca moritura,* sicut scriptum est, *exterminans oleum suavitatis* (*Eccle.* X, 1), lacerare contenderet". Item S. Hormidas (4): "De arbitrio tamen libero, et gratia Dei, quod Romana (hoc est catholica) sequatur et asseveret ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum possit cognosci..." Iterum S. Bonifacius II (5): "Atque ideo, cum de hac re multi patres, et prae ceteris beatae recordationis Augustinus episcopus, sed et majores nostri apostolicae sedis antistites, ita ratione probentur disseruisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum..." Et Joannes II (6): "S. Augustinus, cujus doctrinam, secundum praecessorum

(1) Suarez, *De gratia, Proleg.* 6, c. 6, n. 14 et sq.; Salmanticenses, *De gratia,* d. 1, c. 7; Contenson (Vincentius), tom. 2, dissert. 1; Frassen, *Proeludia ad tract. de gratia,* §. 3; Mazzella (Card.), *De gratia Christi,* d. 1, a. 1, §.4; Portalié (Eugenius), *Dictionnaire de théolog.* Vacant, *Augustin,* col. 2462.

(2) *Epist. ad Episc. Galliae,* c. 2, n. 3 (M. L. 50, 530; Denz. — Bannwart, n. 128).

(3) *Epist. ad episc. per Picenum* (Mansi, *Concil. omn. ampliss. collect.*, t. 8, 29; M. L. 45, 1771).

(4) *Ad Possessorem Episcopum* (Mansi, *Con. omn. ampliss. collect.*, t. 8, col. 500; M. L. 63, 493).

(5) *Epist. ad Caesarium Arelatens.* (Mansi, *Conc. omn. ampliss. collect.*, tom. 8, 737; M. L. 45, 1730).

(6) *Epist. ad Senatores* (Mansi, *Conc. omn. ampliss. collec.* tom. 8, col. 804; M. L. 66, 21).

meorum statuta, Romana sequitur et servat Ecclesia..." Denique Conc. Florentinum inquit (1): "Beatus Augustinus praeclarissimus Doctor Latinorum, quem sancta quinta Synodus recepit, qui et praestantissimus appellatur..."

33. 2.° Ex PP. S. Hieronymus inquit (2): "Certe quid quid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te (Augustino) positum atque dissertum est. Sed quaeso reverentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium... Mihi autem decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere." Et alibi (3): "Macte virtute (Augustine), in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suspiciunt; et, quod signum majoris gloriae est, omnes haeretici detestantur..." Item dicit (4). "Unde supersedendum huic labori censeo... Aut enim eadem diceremus ex superfluo: aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio (Augustini) occupata sunt meliora." Item S. Prosper (5): "Viginti et eo amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiae Dei catholica acies, hujus viri (S. Augustini) ductu pugnat et vincit. Et vincit, dico, quia non patitur respirare quos vicit, et in quorum excidium, unam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit." Et S. Fulgentius (6): "Haec itaque catholicorum Patrum apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesiis sine aliqua dubitatione, doctrina, quam Graeci Latinique pontifices... uno atque indissociabili semper tenuere consensu. In qua beatus Augustinus inductus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit; non autem ipse, sed gratia Dei cum illo (I Cor. XV, 10). Ipsius enim ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem praebuit."

Iterum Cassiodorus (Aurelius) dicit (7): "Ipse etiam doctor eximius beatissimus Augustinus, debellator haereticorum, defensor fidelium, et famosorum palma certaminum..." Et alibi (8): "Est enim litterarum omnium magister egregius (S. Augustinus); et, quod in ubertate rarum est, cautissimus disputator.

(1) Mansi *Conc. omnium amplis. collec.*, t. 31, col. 586, sess. 7.ª
(2) *Epist. CXXXIV ad Augustinum* (M. L. 22, 1161).
(3) *Epist. CXLI ad Augustinum* (M. L. 22, 1180).
(4) *Dialog. 3 contr. pelag.*, n. 19 (M. L. 23, 589).
(5) *Lib. contra Collatorem*, c. 1, n. 2 (M. L. 51, 216).
(6) *De veritate praedestinat.*, l. 2, c. 18, n. 30 (M. L. 65, 643).
(7) *De institut. divinar. litterar.*, c. 22 (M. L. 70, 1136).
(8) *Praefatio in Psalt., initio* (M. L. 70, 10).

Decurrit quippe tanquam fons purissimus nulla faece pollutus; sed in integritate fidei perseverans, nescit haereticis dare unde se possint aliqua colluctatione defendere: totus catholicus, totus orthodoxus invenitur; et in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radiatur." Et S. Gregorius M. (1): "Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotae vestri opuscula legite, et ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quaeratis." Denique S. Isidorus (2): "De nostris quoque apud Graecos Origenes in Scripturarum labore, tam Graecos quam Latinos operum suorum numero superavit. Denique Hieronymus sex millia librorum ejus se legisse fatetur. Horum tamen omnia studia Augustinus ingenio vel scientia sua vicit. Nam tanta scripsit, ut diebus ac noctibus non solum scribere libros ejus quisquam, sed nec legere quidem occurrit."

34. Verum nonnulla annotanda sunt circa auctoritatem S. Augustini. 1.° Sententiae S. Doctoris non sunt ut sententiae S. Scripturae, aut ut definitiones Conciliorum Oecumenicorum, aut Romanorum Pontificum; nam Alexander VIII hanc propositionem damnavit (3), sc.: Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam." Jam vero si sententiae S. Augustini tantam haberent vim, quantam habent S. Scripturae et definitiones sive Conciliorum Oecumenicorum, sive Romanorum Pontificum, absolute possent teneri et doceri, quod certe prop. 30.ª ab Alexandro damnata reprobat.

2.° Singulae S. Augustini sententiae non sunt certo orthodoxae; aliter enim absolute admitti possent, *non respiciendo ad ullam Pontificis bullam;* et oppositum statuitur in prop. 30.ª ab Alexandro VIII damnata. Id ipsum confirmatur, quia neque constat singulas S. Augustini propositiones esse certo orthodoxas ex aliqua divina revelatione, neque ex alio fonte. Summi quidem Pontifices probarunt generatim doctrinam Augustini, etiam speciatim plures ipsius propositiones; non vero speciatim omnes et singulas.

(1) *Epist. l.* 10, *Epist. 37 Ad Innocentium Africae praefectum* (M. L. 77, 1095).
(2) *Etymol.* l, 6, c. 7 (M. L. 82, 237).
(3) *Prop. 30.ª* (Denz. — Bannwart n. 1320).

3.° Propositiones S. Augustini approbatae a Summis Pontificibus sunt illae, quae continentur apud Migne (1) in Epistola S. Caelestini Papae ad Episcopos Galliae a cap. 3 ad 13; item canones Conc. Arausicani II, probati a Bonifacio II; item omnes ipsius sententiae, quae ostendantur habere doctrinam contentam in normis catholicis, vel in aliqua illarum, sc., in S. Scriptura, Conc. Oecumenicis et Summis Pontificibus.

4.° Non adest obligatio amplectendi quascumque S. Augustini sententias. Etenim in capitulis, quae in Epist. S. Caelestini modo citata adducuntur, in ultimo dicitur (2): "Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum, gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas apostolicae sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit praefixis sententiis esse contrarium." Ubi Summus Pontifex, S. Caelestinus, non astruit singulas sententias S. Augustini, et agnoscit sufficere regulas traditas ad gratiam defendendam.

Praeterea Theologi communiter docent unum vel alterum Patrem non facere rem certam, neque ex hac regula excipiunt S. Augustinum. Ita Cano (Melchior) dicit (3): "Unius aut duorum sanctorum auctoritas, etiam in his, quae ad sacras Litteras et doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest." Et ibidem post conclusionem tertiam docet S. Augustinum angelos asseruisse corporeos esse. Denique ipse S. Augustinus dicit (4): "Neque enim quisquam, nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit." Et inferius, n. 3, addit: "Scribere autem ista mihi placuit, ut haec emittam in manus hominum, a quibus ea quae jam edidi, revocare emendanda non possum." Quocirca S. Augustinus non vult singulas illius sententias probari; agnoscit enim in illis *errata* et *emendanda*.

35. 5.° Hoc ipsum confirmatur ex iis, quae Augustinus ver-

(1) P. L. tom. 50, col. 531 et sq.; Denz. — Bannwart, n. 129 et sq.; edit. 13.ª.
(2) Denz. — Bannwart, n. 142.
(3) *De locis theologicis*, l. 7, c. 3. concl. 2.ª
(4) *Retract. libris, in Prologo* (M. L. 32, 583 et sq.).

sus finem vitae suae scripsit, sc. (1): "Quamvis neminem vellem sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errasse perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione coepisse: quandoquidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista aetate venisse. Sed interest quantum et in quibus rebus erretur; et quam facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum conetur defendere errorem. Bonae quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitae hujus invenerit, ut adjiciantur ei quae proficienti defuerunt, et perficiendus quam puniendus potius judicetur." Profecto ex allatis verbis apparet S. Augustinum neque ad extremum vitae suae se habuisse ut immunem ab omni errore in scribendo; constat enim Librum de dono perseverantiae versus finem vitae a S. Doctore fuisse exaratum (2).

6.° Conc. Constantinopolitanum II, Oecumenicum V, (3), aequiparat S. Augustinum aliis PP., quorum singulae sententiae certe non habentur ut infallibiles. Haec sunt verba Concilii: "Super haec sequimur per omnia et sanctos patres et doctores ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum; et suscipimus omnia quae de recta fide et condemnatione haereticorum exposuerunt." Porro Conc. Constantinopolitanum non poterat ignorare mentem Ecclesiae de S. Augustino, et si Ecclesia singulas S. Augustini sententias habuisset ut infallibiles, Concilium S. Augustinum ceteris Patribus non aequiparasset, sed super illos posuisset.

7.° Ex propositione 30. ab Alexandro VIII damnata aliisque argumentis allatis infertur sententiam baianorum et jansenista-

(1) *De dono perseverant.* c. 21, n. 55 (M. L. 45, 1028).
(2) In eamdem sententiam loquitur *Epist. 82 ad Hieron.* nn. 3, 32 (M. L. 33, 289); *Epist. 147, ad Paulinam,* nn. 2, 53, 54, col. 597 et sq.; *Epist. 148 ad Fortunatianum,* c. 4, n. 15, col. 628; *Epist. 193 ad Mercatorem,* n. 10, col. 873. *De vera relig.,* c. 10, n. 20 (M. L. 34, 131); *Contr. Faustum,* l. 11, c. 5 (M. L. 42, 249); *De Trinit.* l. 2, proem. n. 1 (M. L. 42, 845); l. 3, *proem.* n. 2, col. 869; *Contra Cresconium,* l. 2, c. 32 (M. L. 43, 490). Vide tract. de locis theologicis, d. 2, c. 1, a. 1, n. 167.
(3) Collatio 3.ª (Mansi, *Conc. omnium ampliss. collect.,* t. 9, col. 201).

rum asserentium singulas S. Augustini sententias esse absolute admittendas et infallibiles, sustineri non posse (1).

Articulus III

De gratia adjuvante (2), et de variis gratiæ actualis divisionibus

36. Praemitt. *Gratia adjuvans,* si modo generali sumatur, est omnis gratia, quae aliquo modo ad salutariter operandum juvat, et sic etiam gratia excitans est quoque adjuvans, quia ad salutariter operandum praeparat. Sed in praesenti sumitur *gratia adjuvans,* quatenus actu juvat et concurrit ad operationem salutarem ponendam. Dividitur in adjuvantem *moraliter* et *physice.* Gratia adjuvans *moraliter* est illa, quae ad actum salutarem actu eliciendum juvat alliciendo, suadendo, delectando vel similibus modis; et gratia adjuvans *physice* est illa, quae ad actum salutarem juvat per actionem physicam, seu per actualem ipsius productionem. In hoc articulo intenditur dumtaxat probare existentiam gratiae adjuvantis; verum eadem argumenta, saltem aliqua, ejus necessitatem etiam probant. Accuratior explicatio gratiae adjuvantis in capite proximo, ubi de causis gratiae actualis sermo erit, tradetur.

THESIS. Admittenda est gratia adjuvans

Haec thesis est de fide, ut eruitur ex testimoniis Concilii Tridentini postea afferendis (3).

37. *Prob.* 1.° *Ex S. Scriptura.* Ad *Philipp.* I, 6, dicitur: "Confidens hoc ipsum, quia qui coepit, in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu." *Perficere* vero opus inceptum ad gratiam adjuvantem spectat. Etiam *ad Philipp.* II, 13, legi-

(1) Clemens VIII in oratione quam habuit in prima Congregatione de auxiliis, (ut refert Serry Jac., Hyacint., *Historia Congreg. de auxiliis. Appendix*) asseruit *quaestiones praesentes esse solvendas secundum doctrinam* S. Augustini. Verum, quum ageretur de auxiliis divinae gratiae, notum est S. Augustinum in hac re esse normam ab omnibus sequendam. Tamen inde minime infertur omnes et singulas sententias S. Augustini esse absolute admittendas et infallibiles.

(2) Suarez, *De gratia,* l. 3, c. 13 et sq.; Bellarminus, *De gratia et lib. arbitr.,* c. 2; Gotti, *De divina gratia,* q. 2, dub. 3, §. 2; Beraza, *De gratia Christi,* pars. 2.ª, n. 37, et cap. 2; Herrmann (Joannes), *De divina gratia,* p. 1.ª, sect. 1.ª cap. 1, a. 2; Pesch (Chr.), *De gratia,* p. 1.ª, s. 1.ª, n. 36.

(3) Vide ea, quae dixi in *Tractatu de Christi Ecclesia,* d. 3, c. 2, a. 4, n. 605.

tur: "Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate." Certe proprium gratiae adjuvantis est *perficere,* quod gratia excitans incepit. In hunc textum dicit Conc. Tridentinum (1): "Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, *operans velle et perficere.* Rursus, I *Cor.* XV, 10: "Non ego autem, sed gratia Dei mecum." Ergo gratia adjuvat ad salutariter operandum. Item ex Scriptura probatur gratia excitans, ut constat ex n. 14; ergo etiam ex illa infertur gratia adjuvans; nisi enim haec daretur, inutilis esset gratia excitans. Denique in *Psalm.* LXIX, 2, habetur: "Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina." Atque his verbis Ecclesia in horis canonicis utitur ad postulandum adjutorium modo generali; ideoque etiam ad perficiendum id, ad quod gratia excitans nos incitat.

38 2.° *Ex Conciliis.* Conc. Tridentinum dicit (2): "Qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur..." Et inferius (3): "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes..." Et can. (4): "Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. A. S." Item Conc. Milevitanum II inquit (5): "Item, quisquis dixerit eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus..... non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, A. S." (6).

39. 3.° *Ex PP.* S. Augustinus inquit (7): "Restat ut propterea recte dictum intelligatur, non volentis neque currentis, sed

(1) *Sess.* 6.ª, c. 13.
(2) *Sess. 6.* cap. 5. (Denz. - Bannwart, n. 797).
(3) Cap. 6, n. 798.
(4) Denz. - Bannwart, n. 813.
(5) Cap. 4 (Denz. - Bannwart, n. 104). Hoc Concilium celebratum fuit an. 416.
(6) Conc. Arausicanum II post canonem 25 eamdem tradit doctrinam (Denz.-Bannwart, n. 200).
(7) *Enchir.* c. 32 (M. L. 40, 248).

miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam." Et idem S. Doctor (1): "Si ergo consenserit nobis (Pelagius), non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem et actionem, id est, ut bene velimus et bene agamus, quae non sunt in homine, nisi quando bene vult et bene agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia quae nobis ab illo est; nihil de adjutorio gratiae Dei, quantum arbitror, inter nos controversiae relinquetur." Rursus S. Augustinus (2): "Quocirca quoniam quod a Deo nos avertimus, nostrum est, et haec est voluntas mala; quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso *excitante* atque *adjuvante* non possumus, et haec est voluntas bona: quid habemus quod non accepimus?"

Et S. Fulgentius dixit (3): "Ut autem deficiat (voluntas), potest ipsa sola sibi sufficere; ut proficiat vero, indiget semper divinae miserationis auxilio. Nisi enim gratia praeveniente levetur, nullatenus surgit..... nisi ea deducente juvetur, nullatenus currit... Nisi gratia custodiente perducatur, nullatenus pervenit..." Denique S. Bernardus (4): "De cetero, libero arbitrio nec extra ipsum quaeretur damnationis causa, quod jam non damnat nisi propria culpa; nec ab ipso salutis merita, quod sola salvat misericordia. Cujus quippe conatus ad bonum, et cassi sunt, si a gratia non adjuventur; et nulli, si non excitentur."

40. De variis gratiae actualis divisionibus (5). Jam dictum est de divisione gratiae actualis in excitantem et adjuvantem; in praesenti de ejusdem divisione in *operantem* et *cooperantem*,

(1) *De gratia Christi*, c. 47 (M. L. 44, 383).
(2) *De peccatorum meritis et remiss.* l. 2, c. 18, n. 31 (M. L. 44, 169).
(3) *De veritate praedestinat.*. l. 2, c. 7 (M. L. 65, 633).
(4) *De gratia et libero arbitrio*, c. 13, n. 42 (M. L. 182, 1024).
(5) S. Thomas, *1. 2.*, q. 111; *2.*, dist. 26, q. 1; Suarez, *De gratia*, l. 3, c. 20 et sq., et l. 4, c. 1; Valentia, *In 1. 2.*, d. 8, q. 3; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 5, d. 112; Ruiz de Montoya, *De divina Providentia* dd. 31 et 32; Joannes a S. Thoma, *In 1. 2.*, q. 111; Sylvius, *In 1. 2.*, q. 111, aa. 2 et 3; Frassen, *De gratia*, d. 2, a. 3, sect. 3 et 4; Salmanticenses, *De gratia*, disp. 5, *dubium* 7; Gotti, *In 1. 2., de gratia*, q. 2, Mazzella (Card.), *De gratia Christi*, d. 1, a. 1, §. 3; Pesch (Ch.), *De gratia*, p. 1, sect. 1, prop. 3; Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, n. 36 et sq.

praevenientem, comitantem et *subsequentem, sufficientem* et *efficacem* dicendum est.

De gratia operante et cooperante. Gratia operans videtur dicenda illa, quae in nobis operatur nobis non libere cooperantibus, et cooperans illa, quae in nobis operatur nobis libere cooperantibus. Id probatur ex S. Augustino dicente (1): "Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est (*Philipp.* II. 13): *Deus est enim qui operatur in vobis et velle...* De cooperante autem cum jam volumus et volendo facimus: *Scimus,* inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28)." In his verbis S. Augustini continetur quoque probatio ex sacra Scriptura. Deinde traditae definitiones ratione confirmantur. Nam Deus, ut constat ex dictis de gratia excitante, incipit vocare homines ad viam salutis per illuminationem salutarem intellectus et similem affectionem voluntatis; quae quidem sunt actus salutares, qui fiunt in nobis sine nobis, ideoque sunt gratia operans. Item actus, qui respondent gratiae excitanti, sunt actus salutares, qui nobis cooperantibus fiunt, et idcirco sunt gratia cooperans. Accedit quod re ipsa auxilia actualia gratiae, quibus salutem consequimur, aut sunt auxilia, quae in nobis non libere cooperantibus recipiuntur, aut libere cooperantibus; si primum, habetur gratia operans, si alterum, gratia cooperans.

Definitionibus traditis non videtur contrarius S. Thomas, quum dicat (2): "Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem et cooperantem. Operatio enim alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur; et secundum hoc dicitur *gratia operans*. In illo autem effectu in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animae; et secundum hoc dicitur gratia cooperans."

41. Corollarium. Ex dictis sequitur gratiam operantem et cooperantem esse eamdem cum gratia excitanti et adjuvanti.

(1) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 17, n. 33 (M. L. 44, 901).
(2) *1. 2.*, q. 111, a. 2.

Atque hoc ipsum eruitur ex Conc. Tridentino (1), in quo omnis gratia actualis pro conversione peccatorum ad gratiam excitantem et adjuvantem revocari potest; et simul est gratia, quae fit in nobis sine nobis libere agentibus, ut *vocatio,* et gratia, cui cooperamur, *assentiendo et cooperando.* Et quod dicitur de gratia actuali pro conversione peccatorum, idem de gratia actuali pro perseverantia justorum sentiendum est; quum etiam haec gratia non consistat nisi in excitationibus, quae fiunt in nobis sine nobis, et in adjutoriis, quibus cooperamur. Et Conc. Arausicanum II (2) etiam indicat gratiam actualem aut esse in nobis solo Deo operante, aut in nobis Deo operante nobiscum.

42. Divisio gratiae in operantem et cooperantem secundum S. Thomam et ceteros theologos applicari quoque potest gratiae habituali. Sic loquitur S. Thomas (3): "Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiae effectus, sicut et cujuslibet alterius formae: quorum primus est esse, secundus est operatio; sicut caloris operatio est facere calidum, et exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia, inquantum animam sanat vel justificat, sive gratam Deo facit, dicitur *gratia operans;* inquantum vero est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur *cooperans.*"

Verum divisio gratiae in operantem et cooperantem convenit principaliter gratiae actuali. Hoc eruitur tum ex ipsis nominibus *operans* et *cooperans,* quae operationem, non habitum significant; tum ex S. Augustino, n. 39, adducto; tum denique ex communi theologorum sententia. Atque probabilior et communior explicatio gratiae operantis et cooperantis videtur ea esse, quae supra tradita est (4). Tamen sunt plures aliae explicationes. Sic Card. Bellarminus asserit (5) gratiam operantem esse illam, qua voluntas primum actum salutarem et deliberatum efficit, ut conversionem ab infidelitate ad fidem; et cooperantem illam, qua voluntas ceteros actus salutares et deliberatos facit.

S. Thomas praeter ea, quae ex ipso adducta sunt, etiam di-

(1) *Sess. 6.ª,* cap. 5.
(2) Can. 9.
(3) Eodem loco proxime antea citato.
(4) P. Ruiz de Montoya (*De Providentia,* d. 31, s. 7) ostendit antiquiores scholasticos traditam explicationem tenere.
(5) *De gratia et libero arbitrio,* l. 1, cap. 14.

cit (1): "Est autem in nobis duplex actus: primus quidem interior voluntatis; et quantum ad istum actum voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens; et praesertim cum voluntas incipit bonum velle, quae prius malum volebat; et ideo secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur *gratia operans*. Alius autem actus est exterior, qui cum a voluntate imperetur, ut supra habitum est (q. 17, a. 9), consequens est quod ad hunc actum operatio tribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, et interius confirmando voluntatem, ut ad hunc actum perveniat, et exterius facultatem operandi praebendo; respectu hujus modi actus dicitur *gratia cooperans*."

In hisce S. Thomae verbis communiter accipitur *actum exteriorem* non praecise sumi pro actu elicito a facultate diversa a voluntate; sed pro omni actu, qui sit imperatus a voluntate et actum alium ejusdem voluntatis praesupponat. Verum in aliis plures sunt interpretationes. P. Ruiz de Montoya (2) pro actu interiore intelligit actus necessarios a quibus incipit motio supernaturalis, et etiam liberos, qui aut initio fuerunt necessarii et adveniente advertentia evaserunt liberi, aut jam initio fuerunt liberi, sed erant necessarii quatenus praecise ex divina motione erant. Atque secundum hanc explicationem gratia operans est illa, quae complectitur actus necessarios, quibus inchoatur conversio in Deum, et etiam similes actus liberos, quatenus sunt sub motione Dei independenter ab humana voluntate. Atque haec explicatio mihi magis probatur, et videtur conformior verbis D. Thomae, quibus ita de *gratia operante* loquitur (3): "In illo ergo effectu in quo mens nostra est mota, et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur: et secundum hoc dicitur *gratia operans*." Jam si actus gratiae operantis esset simpliciter liber, non attribueretur tantum Deo, sed etiam homini.

Alii pro *gratia operante* intelligunt omnes illos actus, qui tendunt in finem ex motione divina, non ex deliberatione rationis; et pro *gratia cooperante* omnes illos actus, qui sunt propter finem et procedunt ex deliberatione rationis. Haec sententia sine in-

(1) Eodem loco antea citato.
(2) *De Providentia Dei*, d. 31, s. 1 et s. 7; et d. 32, s. 3.
(3) *1. 2.*, q. 111, a. 2.

commodo admitti potest, dummodo actus gratiae operantis, qui fit ex motione et determinatione Dei, et sine deliberatione ex parte voluntatis, non ponatur simpliciter liber. Salmanticenses reponunt (1) gratiam operantem in illa qualitate non vitali, quae juxta plures est principium actuum salutarium in homine carente habitibus per se infusis; et gratiam cooperantem in eadem qualitate, quatenus actus salutares plene liberos et deliberatos ponit. Denique Gonet statuit praemotionem physicam ut gratiam operantem (2), et exsecutionem praemotionis ut gratiam cooperantem.

43. De *gratia praeveniente, comitante et subsequente.* Haec gratiae divisio in sacra Scriptura et in Traditione fundatur. In *Psal.* LVIII, 11, legitur: Deus meus misericordia ejus *praeveniet me.*" Et in *Psal.* XXII, 6." "Et misericordia tua *subsequetur* me..." Item *I, Cor.*, XV, 10: "Sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum." Certe in textibus allatis gratia praeveniens, subsequens et comitans indicatur.

Id ipsum confirmatur ex S. Augustino dicente (3): "Nolentem praevenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit." Et inferius: Oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos." Rursus (4): "Praevenit autem ut sanemur, quia et subsequetur ut etiam sanati vegetemur; praevenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur: praevenit ut pie vivamus, subsequitur ut cum illo semper vivamus: quia sine illo nihil possumus facere (*Joan.* XV)." Denique ipse S. Augustinus (5): "Si enim sine illo nihil possumus facere, profecto nec incipere, nec perficere: ut perficiamus, dictum est, *Misericordia ejus* subsequetur me (*Ps.* XXII, 6)."

Eadem divisio confirmatur a Tridentino, quum dicit (6): "Cum enim ille ipse Christus Jesus... in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent..." Et ipsum Tridentinum inquit (7): "Ip-

(1) *De gratia*, q. 111, d. 5, dub. 7.
(2) *De gratia*, d. 3, de divisione gratiae, a. 2.
(3) *In Enchiridion.*, c. 32, (M. L. 40, 248).
(4) *De natura et gratia*, c. 31, n. 35 (M. L. 44, 264).
(5) *Contr. duas epist. pelagianorum*, l. 2, c. 9, n. 21 (M. L. 44, 586).
(6) *Sess. 6* cap. 16 (Den .-Bannwart, n. 809).
(7) Eadem *sess.* c. 5 (Denz.-Bannwart, n. 797).

sius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione..."

44. Explicatio quidem hujus divisionis diversa est, prout sunt diversi termini comparationis. S. Thomas explicat (1) gratiam praevenientem et subsequentem respectu effectuum gratiae; et ita gratia praeveniens est ea, quae primum effectum habet, et subsequens, quae secundum; et in genere gratia, quae effectum habet ante aliam dicitur praeveniens respectu hujus, et haec posterior subsequens. S. Thomas ponit (2) quinque effectus gratiae, et sic loquitur: "Sunt autem quinque effectus gratiae in nobis; quorum primus est ut anima sanetur; secundus, ut bona velit; tertius est, ut bonum quod vult, efficaciter operetur; quartus est, ut in bono perseveret; quintus est ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia, secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur praeveniens respectu secundi effectus; et prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus." Comitans vero est, quae consensum nostrum coefficit.

Possunt quoque gratiae memoratae cum justificatione comparari; et sic gratia praeveniens est quae justificationem antecedit, et subsequens, quae eam subsequitur. Item comparari possunt cum libero consensu; et sub hac ratione gratia praeveniens est, quae liberum consensum praevenit, comitans, quae ponitur simul cum libero consensu, et subsequens, quae illum consequitur. Subsequens dicitur etiam ea gratia, quae exsequitur id, ad quod gratia praeveniens inducit.

45. Haec gratiae divisio gratiae quoque habituali applicari potest, ut innuit (3) S. Thomas, quum dicit hanc divisionem fieri *qualitercumque gratia accipiatur* (4). Nam gratia habitualis potest dici gratia praeveniens, quatenus praecedit actus meritorios vitae aeternae, comitans, quatenus datur simul cum actibus meritoriis et ad hos concurrit, et subsequens, quatenus sequitur dispositiones ad justificationem.

Ad finem notandum est secundum communiorem theologorum senentiam gratias actuales, sc. praevenientem, excitantem et operantem, esse eamdem gratiam, et solum distingui per diversos

(1) *1.* 2., q. 111, a. 3.
(2) Loco proxime citato.
(3) *1.* 2., q. 111, a. 3.
(4) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 3, c. 23, n. 12.

respectus; et idem dicendum est de gratia comitanti, subsequenti, adjuvanti, et cooperanti. Gratiam operantem esse eamdem cum excitanti jam supra ostensum est; et excitantem esse quoque eamdem cum praevenienti eruitur ex Tridentino (1), quod identificat gratiam praevenientem cum vocante; et de hac constat non differre ab excitanti. Gratia vero comitans, subsequens et cooperans non possunt esse nisi gratia adjuvans ad liberum consensum ponendum, quum considerantur ut gratiae actuales.

Denique gratia in *sufficientem et efficacem* dividitur. Dicitur gratia *sufficiens*, quae vires ad salutariter operandum tribuit, sed caret effectu; e contra *efficax* ita vires tribuit, ut actus salutaris re ipsa eliciatur. De hac divisione late agetur inferius.

Articulus IV

De supernaturalitate gratiæ actualis

46. Praemitt. 1.° Gratia theologica et stricte talis, ut supra n. 5 dictum est, est res supernaturalis; ideoque, quum hic gratia actualis sumatur theologice et stricte talis, dicenda est supernaturalis. Verum hoc est speciatim probandum in praesenti, nimirum gratiam actualem esse supernaturalem, et qua ratione talis sit. Ad hoc autem scilicet, ut sit proprie supernaturalis, secundum alibi dicta (2), necesse est ut ad Deum ut est in se attingendum conducat. Gratia creata quidem potest esse supernaturalis vel ratione ipsius entitatis actus, vel per modum seu accidens actui superadditum. Et de fide est contra pelagianos actus ad vitam aeternam conducentes debere esse aliquo modo supernaturales; vita enim aeterna per media mere naturalia obtineri nequit.

47. Praemitt. 2.° Animadvertendum hic est gratiam actualem creatam consistere in actibus intellectus et voluntatis, sive indeliberatis, sive deliberatis. Ratio est, quia ex una parte actus potentiarum materialium ad vitam aeternam non conducunt, quum ad illam non habeant proportionem; et ex alia, ut in capite proximo probabitur, non videtur admittenda gratia actualis non

(1) *Sess. 6*, cap. 5.
(2) *In tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 3, a. 1, n. 206 et sq.

vitalis. Advertendum quoque est actus bonos posse conducere ad salutem *per se* et *directe*, vel tantum *indirecte* et *negative*. Conducunt *directe* et *per se*, quum ex ipsa sua entitate proxime vel remote ordinantur ad Deum prout est in se attingendum, sive ad vitam aeternam; conducunt vero *indirecte* et *negative* tantum ad salutem, si tollunt obstacula salutis, sed ex se non ordinantur ad possessionem vitae aeternae. In praesenti intenditur probari gratiam actualem esse intrinsece et entitative supernaturalem, et ideo constitui per actus *per se* et *directe* conducentes ad salutem; ad tollenda vero aliqua impedimenta salutis et observanda praecepta mere naturalia non requiritur gratia entitative supernaturalis, ut inferius dicetur. Attamen hoc non impedit quominus Deus communicet etiam gratiam entitative supernaturalem pro his, in quibus gratia supernaturalis tantum quoad modum sufficeret; quia hoc modo actus per se ad salutem conducunt. Imo Deus respectu fidelium videtur constanter ita facere; quia in hac Providentia ad salutem hominum dirigit omnem gratiam.

48 Praemitt. 3.° De opinionibus theologorum. P. Vazquez docet (1) esse actus salutares omnes, qui ex cognitione congrua procedunt, hoc est, a cognitione sub cujus directione homo ponit actum bonum, quamvis hic sit naturalis. Contendit enim P. Vazquez omnem cognitionem congruam etiam naturalem esse gratiam per Christum. Plures alii theologi ad actus salutares requirunt tantum gratiam supernaturalem quoad modum (1'). Verum communior sententia, quae omnino tenenda videtur, ad singulos actus salutares requirit gratiam entitative supernaturalem. Ita inter alios docent P. Ripalda (2), Ruiz de Montoya (3), Oviedo (4), Maurus (5), Sylvius (6), Frassen (7), Henno (8), Struggl (9), Mayr (10), Wirceburgenses (11), Beraza (12), Card. Billot (13),

(1) *In 1. 2.*, d. 189, c. 15; d. 190, c. 12 et d. 217, c. 6, n. 58 et sq.
(1') Vide P. Suarez, *De gratia*, 1. 2, c. 4 et sq.
(2) *De ente supernaturali*, 1. 5, d. 105.
(3) *De providentia*, d. 40, s. 2 et sq.
(4) *In 1. 2., de necessitate gratiae, controv. 1.ª punct. 9; de merito, controv. 3.ª*, punct. 1.
(5) *De merito*, q. 92.
(6) *In 1. 2.*, q. 114, a. 2, *quaer.* 1.
(7) Frassen, *De gratia, appendix de merito*, q. 3.
(8) *De gratia, tract*, 5, d. 2, qq. 2 et 4.
(9) *De gratia*, d. 6, a. 2, quaer. 7.
(10) *De gratia*, d. 3, a. 1.
(11) *De gratia*, d. 6, c. 3, a. 1.
(12) *De gratiae*, p. 2. s. 1, c. 1, a. 1, n. 66 et sq.; *De merito*, s. 4, c. 1, a. 2, n. 996 et sq. et n. 999.
(13) *De gratia*, q. 109, thes. 3; et q. 114, thes. 20.

Pesch (Christ.) (1), Lahousse (2), Hugon (Eduardus) (3), Einig (4).

THESIS. Gratia actualis ad salutem per se conducens est supernaturalis quoad substantiam

Haec thesis accipienda est secundum dicta in praenotatis, et videtur omnino tenenda, ut ex probationibus afferendis infertur. Doctrina hujus theseos, ad rem quod attinet, eadem est cum doctrina de necessitate gratiae ad actus salutares, et ad meritum vitae aeternae.

49. *Prob. 1.° Ex sacra Scriptura.* a) Ex *Joan.* XV, 5, ubi legitur: "Sine me (Christo) nihil potestis facere." Haec quidem verba ad gratiam seu res supernaturales stricte dictas referuntur; quia res naturales haberentur eodem modo sine Christo, et res supernaturales tantum quoad modum, etiam quoad earum substantiam sine Christo haberentur; et non esset verum nihil posse fieri sine Christo, quia sine illo substantia saltem actus fieri posset. Deinde verba allata ad gratiam actualem referuntur; quia ipsum facere vel operari salutariter est actuale. Respectu hujus quidem rei dicit Carthaginense 16 (5): "Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, A. S. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: *sine me* difficilius *potestis facere,* sed ait: "*Sine me* nihil potestis facere" (*Joan.* XV, 5).

b) Ex *Rom.* VI, 23: "Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro." In his verbis vita aeterna dicitur simpliciter *gratia,* et consequenter vocabulum *gratia* sumendum est ut significans gratiam proprie et stricte talem. Nec refert quod vita aeterna tribuatur meritis; quia merita vitae aeternae non sunt nisi merita ex gratia obtenta. Unde S. Augustinus dicit (6): "Sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam

(1) *De gratia,* p. 1, s. 2, a. 1, prop. 7 et sq.; et p. 3, s. 2, prop. 35.
(2) *De gratia,* p. 1, c. 2, a. 1.
(3) *De gratia,* q. 2, a. 2, n. 10; *De merito,* q. 7, a. 1, n. 3.
(4) *De gratia,* p. 1, c. 1, n. 5.
(5) *Anno 418, can. 5* (Denz.-Bannwart n. 105).
(6) *De corrept. et gratia,* c. 13, n. 41 (M. L. 44, 942).

vitam aeternam vocari, quia his meritis redditur, quae gratia contulit homini."

50 2.° *Ex Conciliis. Conc. Arausicanum II* dicit (1): "Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in *Evangelio* dicentis: *Sine me nihil potestis facere.*" Et inferius (2): "Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant." Item *Conc. Tridentinum inquit* (3): "Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam *caput in membra* (*Ephes.* IV, 15), et tanquam *vitis in palmites* (*Joan.* XV, 5), in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent (can. 2)." Et inferius: "Absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel *glorietur*, et non in *Domino* (*I Cor.* I, 31; *II Cor.* X, 17), cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita (Can. 32), quae sunt ipsius dona (4)."

51. 3.° Ex *PP.* S. Irenaeus dixit (5): "Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos, lignum aridum existentes primum nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia..... Miserante Domino nostro Samaritanae illi praevaricanti.... et ostendente ei, et pollicente aquam vivam, ut ulterius non sitiret..... habens in se potum salientem in vitam aeternam." Et S Augustinus (6): "Haec est, inquam, electio gratiae, qua omnia bona merita praeveniuntur humana. Si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur; ubi *merces*, sicut idem dicit, non imputatur *secundum gratiam, sed secundum debitum* (*Rom.* IV, 4). Si autem ut vera sit gratia, id est, gratuita, nihil invenit in homine, cui merito debeatur;

(1) Can. 7 (Denz-Bannwart, 180).
(2) Can. 18 (Denz.-Bannwart, 191).
(3) *Sess.* 6, cap. 16 (Denz.-Bannwart, nn. 809 et 810).
(4) Vide Conc. *Arausicanum* cap. 12 (Denz-Bannwart, 141).
(5) *Contr. haer.*, 1. 3, c. 17 (M. G., 7, 930).
(6) De patientia, c. 20, n. 17 (M. L. 40, 620).

quod bene intelligitur et in eo quod dictum est, *Pro nihilo salvos facies eos* (*Psal.* LV, 8) : profecto ipsa dat merita, non meritis datur. Praevenit ergo etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt."

Atque in auctoritate Conciliorum et Patrum allata manifeste indicatur gratiam proprie et simpliciter talem esse necessariam ad actus conducentes ad salutem, et quidem esse necessariam ad substantiam seu essentiam actus; aliter enim ipse actus ad salutem non conduceret, sed ad summum aliquod accidens actus; et ipsi actus non essent proprie et simpliciter salutares, sed tantum secundum quid. Accedit quod si natura substantiam actus efficere potest, multum posset, et non esset verum, prout affirmant Concilia, naturam nihil posse in ordine supernaturali. Neque aliqui modus superadditus naturam actus mutare potest, et ideo neque facere, ut actus de se conduceret ad salutem, seu esset salutaris.

52. *Prob. ratione.* a) Infunduntur habitus supernaturales quoad substantiam, seu *per se infusi,* et defectu ipsorum peccatoribus communicatur auxilium supra naturae vires seu supernaturale ad actus salutares eliciendos. Atqui si actus salutares a principio supernaturali quoad substantiam, et praecise ad hunc scopum communicato, eliciuntur, et ipsi supernaturales quoad substantiam sint oportet. Ergo. Major de infusione habituum supernaturalium quoad substantiam alibi probatur; et de auxilio stricte supernaturali peccatoribus communicato eruitur ex eo, quod tale auxilium tribuitur ad supplendos habitus supernaturales quoad substantiam. *Prob. min.* Quia si non requirerentur ad salutem supernaturales actus quoad substantiam, non apparet cur praecise ad illos producendos darentur principia quoad substantiam supernaturalia.

53. Dices. Habitus per se infusi aut auxilia stricte supernaturalia impertiuntur ad efficiendos aliquos modos proprie supernaturales, non ad ipsam actus substantiam efficiendam.

Res. Neg. assertum. Quia in hac hypothesi tota actus substantia fieri posset per naturae vires; hoc autem minime consonat testimoniis CC. et PP. antea allatis. Deinde nullus ex modis, qui ab adversariis afferuntur, admitti potest. Imprimis modus consistens in *denominatione mere extrinseca,* a quacumque causa, etiam quantumvis supernaturali, talis denominatio procedat, nihil entitatis addit actui; quare actus manet cum sola entitate naturali, quae neque est ordinata neque proportionata

fini supernaturali; et consequenter ad illum non potest conducere, neque esse actus salutaris. Hac ipsa de causa supernaturalitas non potest consistere in solum *fieri*, si hoc non importet: nisi extrinsecam denominationem; si vero etiam importet actionem positivam, aut haec est naturalis, aut supernaturalis: si naturalis, nihil ponit in actu, quo hic salutaris constitui possit; si vero supernaturalis, non respondet actui, quum actus naturalis actionem tantum naturalem postulet, et viceversa actio supernaturalis actum etiam supernaturalem exigat; nec dicendum est Deum in ordine supernaturali velle res incongruentes.

a) Neque modus actum supernaturalem constituens potest esse *meritum;* nam *meritum* requirit actum meritorium, et actus meritorius ordinis naturalis non potest esse meritum supernaturale. Neque modus consistere potest in dignitate actus; quia actus naturalis non potest accipere dignitatem conducendi ad salutem. Neque in facilitate eliciendi actum, quum difficultas non reddat impossibile actum a solis viribus naturae elici, et Concilium Milevitanum (1) neget reddere facilem productionem actus sufficere ad hoc, ut actus sit salutaris. Neque est *intensio* actus; quia *intensio* naturam actus consequitur, et ideo intensio actus naturalis est etiam naturalis. Neque *duratio*, quia haec vel non distinguitur realiter ab ipso actu, vel ejus naturam sequitur. Neque respectu fidei potest consistere in *infallibilitate;* quia actus fidei non erit ex se infallibilis, nisi hoc sit illi essentiale. Similiter non potest consistere in *discretione* distinguendi verum a falso, eo quod talis discretio actui debeat convenire essentialiter. Aliunde neque *infallibilitas*, neque *discretio* ex se ad vitam aeternam conducunt, et ita ex se non sunt salutares. Denique quicumque modi actuum fingantur, rejiciendi sunt; quia Concilia sensu obvio supernaturalitatem intrinsecam ipsis actibus seu bonis operibus ponunt, ut elucet ex *Con. Tridentino* sess. 6, cap. 16 (2) et can. 32.

b) Actus salutares sunt media ad finem supernaturalem attingendum, ut ex eorum definitione constat. Atqui finis est supernaturalis quoad substantiam; quia tum visio Dei, tum ipse Deus prout est in se sunt quoad substantiam supernaturales, ut eruitur ex dictis in *Tractatu de Deo uno* (3). Ergo etiam media sive actus salutares seu gratia actualis debent etiam esse supernaturalia quoad substantiam; aliter enim non haberent ordinationem et proportionem respectu finis.

54 Obj. 1.° CC. et PP. aliter de actibus patriae supernaturalibus ac de actibus viae loquuntur; nam de illis absolute affirmant viribus naturae haberi non posse; de istis autem id ipsum non asserunt, sed solummodo aiunt viribus naturae fieri non posse *sicut expedit, sicut oportet* etc. Ergo ex hac diversitate in modo loquendi de actibus patriae et viae satis innuitur actus patriae esse supernaturales quoad substantiam, sed viae tantum quoad modum.

Resp. Imprimis CC. et PP. etiam aliquando loquuntur absolute de actibus salutaribus viae, i. e., simpliciter asserunt non posse fieri viribus

(1) Adductum supra n. 49.
(2) Denz.-Bannwart, nn. 809, 842, edit. 13.ª.
(3) D. 2, a. 1, n. 199 et sq., et a. 2, n. 214 et sq.

naturae, ut apparet ex Conc. Milevit. II, can. 4 (1). Deinde illa verba *sicut expedit, sicut oportet* referuntur ad totam actus substantiam; quia CC. et PP. dicunt de ipsis actibus salutaribus debere esse *sicut oportet*, non autem id asserunt de aliquo superaddito ipsis actibus; atque ideo cum illa verba *sicut expedit, sicut oportet* indicent supernaturalitatem actus, consequens est totum indivisibilem actum esse supernaturalem. Addunt vero CC. illa verba *oportet* etc., quia possunt elici actus naturales fidei, aliarumque virtutum, qui ad salutem positive non conducunt. Neque addenda similia verba sunt cum de aliquibus patriae actibus est sermo: quia nonnulli actus patriae, ut visio Dei, non possunt viribus naturae elici, quemadmodum per has elici actus virtutum naturales queunt.

55. Obj. 2.° Actus supernaturalis quoad substantiam ab homine procedere non potest. Ergo actus salutares non sunt supernaturales quoad substantiam. Prob. ant. Quia si procederet a viribus hominis naturalibus jam hoc ipso non esset supernaturalis, quemadmodum actus a re materiali procedens spiritualis esse non potest. Ergo.

Resp. Resp. Dist. ant.: Actus supernaturalis quoad substantiam ab homine procedere non potest, si ejus potentiae per principium supernaturale non elevantur, conc.; si eleventur, neg. et neg. cons. Ad probat. ant. etiam dist.: Quia si procederet a viribus hominis naturalibus non elevatis per principium supernaturale, jam hoc ipso non esset supernaturalis actus, conc.; si procederet a viribus hominis naturalibus elevatis, non esset supernaturalis, nego. Et similiter respondendum est ad id, quod additur, scilicet hoc modo: quod procedit a principio materiali tanquam a principio in suo ordine adaequato erit materiale; quod vero procedat simul a principio spirituali tanquam a causa principali et a materiali tanquam ab instrumentali erit spirituale, sicut evenit in specie intellectus impressa quae spiritualis est, tametsi procedat tanquam a causa instrumentali a phantasmate, quod est materiale.

Articulus V

De gratuitate gratiae

56. Praemitt. 1.° Gratia per naturam et operationes naturales nullo modo acquiri potest (2), ac proinde non potest mereri nec de congruo, nec impetrari, nec acquiri per dispositionem, quae ad illam praeparet vel conducat, vel exigentiam importet. Ex quo jam infertur gratiam esse prorsus gratuitam respectu naturae, quum haec nihil possit facere, quo aut gratia reddatur illi quocumque modo debita, aut exigentiam quamdam vel postulationem, conducentiam vel expectationem gratiae acquirat; quia aliter

(1) Denz.-Bannwart, n. 104.
(2) Vide *Tractatum de Deo Creatore*, d. 1, c. 3, a. 1, n. 211.

gratia non absolute et simpliciter esset gratia et ens entitative supernaturale, sicut in artículo praecedenti probatum est de gratia actuali, et a fortiori hoc debet convenire gratiae habituali. Verum, quamvis haec ita sint, quum res sit magni momenti, hic speciatim probandum est gratiam esse prorsus gratuitam; atque ad id consequendum imprimis ostendetur gratiam nullo modo posse mereri, et deinde in uno scholio neque posse impetrari, et in altero neque posse haberi per solas vires naturae dispositionem aliquam ad gratiam, vel quidquam quod ad illam quocumque modo ordinem dicat. Agitur vero in praesenti de hac re, quia in hoc capite agitur de natura gratiae actualis, et gratuitas ad naturam gratiae patefaciendam multum concurrit.

57. **Praemitt.** 2.° Meritum definiri potest: *Obsequium alteri libere praestitum aptum de se movere ad aliquam retributionem.* In *meritum de condigno et meritum de congruo* dividitur. Dicitur *meritum condignum,* quod ita habet aequalitatem cum praemio, ut accedente promissione remuneratoris, praemium debeatur ex aliqua justitia; *congruum* vero, quod non habet aequalitatem cum praemio, sed solum quamdam convenientiam, et accedente etiam promissione praemium debeatur potius ex fidelitate, quam ex obsequio praestito. Verum omnia ad meritum spectantia accuratius et fisius tractabuntur inferius, d. 4.ª, ubi *de merito* sermo erit.

58. **Praemitt.** 3.° In praesenti non agitur, utrum homo ex gratia aliam gratiam mereri possit, sed utrum ex solis viribus naturae possit aliquo modo gratiam mereri. Atque doctrina de fide est contra pelagianos et semipelagianos hominem per solas vires naturae nihil gratiae, sive de condigno, sive de congruo posse mereri, ut ex probationibus afferendis ex Conciliis constabit.

THESIS. Homo solis naturæ viribus gratiam nullo mereri potest, ideoque neque de condigno, neque de congruo (1)

59. *Prob. 1.ª* p. *1.°* *Ex Epist. ad Rom.* XI, 6, ubi legitur: "Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia." *Opera* vero hic sumuntur pro operibus naturalibus;

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 109, a. 6; q. 112, a. 3; q. 114, a. 2; *Quodl.* 1, a. 7; *Cont. gent.*, 1. 3, c. 149; *De veritate*, q. 24, a. 15; Ruiz de Montova, *De provident.* tract. 3, d. 18, s. 2; Ripalda, *De ente supernat.* d. 15 et sq.; Billuart, *De gratia,* dissert. 3, a. 7; Mazzella, *De gratia,* d. 4, a. 1; Beraza, *De gratia, de gratuitate gratiae;* Mendive, *De gratia,* dissert. 1, c. 3, a. 1.

nam opera supernaturalia sunt meritoria gratiae, ut ex multis locis sacrae Scripturae eruitur, ut, v. gr., ex *Matth.* XVI, 27; *Rom.* II, 6; *I Cor.* III, 8, etc. Item *Ephes.* II, 8-9: "Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur." Ex quibus verbis elucet gratiam non tribui ex *natura* (ex vobis), neque ex *operibus* naturalibus. Rursus *II Timoth.* I, 9: "Qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia." Ex quibus verbis argumentari potest quis, ut antea factum est.

b) Hoc ipsum colligitur ex textibus Scripturae allatis supra, n. 49.

60. 2.° Ex *Conciliis*. Conc. Arausicanum II dicit (1): "Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae Prophetae, vel Apostolo idem dicenti: "Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant" (2). Et can. 18 (3): "Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant." Rursus can. 25 (4): "Hoc etiam salubriter confitemur et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis, nullis praecedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio ea, quae sibi sunt placita adimplere possimus." Denique Conc. Tridentinum inquit (5): "Neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit (homo)." In testimoniis allatis certo continetur gratiam non posse obtineri sine gratia, ac proinde neque per opera mere naturalia, neque per quaecumque merita ordinis mere naturalis. Et Tridentinum dicit hominem *non posse se movere ad justitiam sine gratia;* posset autem, si per opera naturalia quocumque modo gratiam mereri quiret.

(1) Can. 3 (Denz-Bannwart, n. 17).
(2) *Rom.* X, 20; Isa. LXV, 1.
(3) Denz.-Bannwart, n. 191.
(4) Denz-Bannwart, n. 200.
(5) *Sess. 6,* cap. 5 (Denz.-Bannwart, n. 797).

Atque haec confirmantur his verbis (1): "His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et *velle* incipiamus et *facere* (Phil. II, 13) (2)."

61. 3.° Ex *PP.* S. Joannes Chrysost. inquit (3): "Nam ne beneficiorum multitudo te extollat, vide quomodo te coercet et comprimit: *Gratia enim, inquit, estis salvati. Per fidem...* Quare nec fidei est nostrum. *Dei,* inquit, *est donum; non ex operibus...* Nullus, inquit, justificatus est ex operibus, ut ostendatur Dei gratia et benignitas."

S. Augustinus inquit (4): "Quid est gratia? gratis data. Quid est gratis data? Donata, non reddita. Si debebatur, merces reddita est, non gratia donata." Et rursus (5): "Non enim est gratia, si praecesserant merita: est autem gratia; haec igitur non invenit, sed effecit merita." Item dicit (6): "Ipsum quippe gratiae nomen et ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam qui dignus est accipit." Et iterum (7): "Ac per hoc gratiam Dei... sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet." Denique sic absolute loquitur (8): "Non enim Dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo."

S. Leo M. inquit (9): "Quae (gratia) utique nisi gratis detur, non est gratia, sed merces retributioque meritorum, dicente beato Apostolo: "Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur."... Omnis itaque bonorum operum donatio, divina praeparatio est: quia non prius quisquam justificatur virtute, quam gratia, quae

(1) Desumpta ex indiculo auctoritatum Sedis Apostolicae (Denz.-Bannwart, nn. 129, 141).
(2) Vide Epist. S. Caelestini ad *Episcopos Galliae,* c. 12, n. 14 (M. L. 50, 536).
(3) *Homil. 4 in Epist. ad Ephes.,* n. 2 (M. G. 62, 33).
(4) *Tractatus 3 in Joannem,* n. 9 (M. L. 35, 1400).
(5) *Tract. 86 in Joan.* n. 2, col. 1851.
(6) *De gentis Pelagii,* c. 14, n. 33 (M. L. 44, 340).
(7) *De gratia Christi,* c. 26 (M. L. 44, 374).
(8) *De peccato originali,* c. 24, n. 28 (M. L. 44, 399).
(9) *Epist. 1.ª,* c. 3 (M. L. 54, 595).

unicuique principium justitiae et bonorum fons atque origo meritorum est."

S. Gregorius M. ita loquitur (1) : "Nemo quippe ut divina illum gratia subsequatur prius aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando praevenimus, ubi est quod Propheta ait: *Misericordia ejus praeveniet me* (*Psal.* LVIII, 11? Si quid nos bonae operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur, ubi est quod Apostolus dicit: *Gratia salvati estis per fidem; et hoc non ex vobis,* sed Dei donum est, non ex operibus (*Ephes.* II, 8)."

Et S. Fulgentius hoc asserit (2): "Haec Dei gratia, qua salvamur, non alicui praecedenti bono merito datur, nec tamen nisi praecedenti malo merito denegatur." Et inferius: "Gratuitum quippe donum Dei est gratia... Istam gratiam nullus hominum desiderare, vel poscere, sed nec cognoscere poterit, nisi eam prius ab illo accipiat qui eam, nullis praecedentibus operibus aut voluntatibus bonis, ad hoc largitur, ut voluntatem in qua semper maneat praeparet, ipsa donet, ipsa illuminet, ipsa excitet, ipsa conservet, ipsa consummet."

Denique hoc ipsum probatur ex testimonio S. Cyrilli Alex. allato alibi (3); in illo enim asseritur *creatam naturam ad res supernaturales* vocari solo nutu et voluntate Patris; non esset autem ita, si creatura res supernaturales suis viribus mereri posset.

Quare, quum plures Patres magnae auctoritatis, et praesertim S. Augustinus, quem Ecclesia in materia de gratia sequitur, significent primam partem theseos omnino admittendam esse, revera admittenda est (4).

62. 4.° *Ratione.* Ens absolute supernaturale omnes vires activas et exigitivas naturae superat; aliter enim non esset ens simpliciter et absolute supernaturale, quum a natura per suas vires vel exigentiam attingi posset. Ergo natura nullo modo rem simpliciter et absolute supernaturalem mereri aliquo modo potest (5). Item supra (6) probatum est operationes mere naturales non conducere ad salutem; conducerent vero, si res supernaturales aliquo modo mereri possent.

(1) *Moral.* l. 33, c. 21, n. 38 (M. L. 76, 698).
(2) *De veritate praedestinationis,* l. 1, c. 3, n. 7, et c. 15, n. 33 (M. L. 65, 606, 620).
(3) *De Deo Creatore,* d. 1, c. 3, a. 2, n. 230.
(4) Vide *De locis theologicis,* d. 2, c. 2, a. 1, schol. 3, n. 169.
(5) Vide *De Deo Creatore,* d. 1, c. 3, a. 1.
(6) N. 49 et sq.

Ad rem S. Thomas (1): "Dicendum quod actus perducentes in finem oportet esse fini proportionatos. Nullus autem actus excedit proportionem principii activi; et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest perficere effectum per suam operationem, qui excedat virtutem activam; sed solum potest producere per operationem suum effectum suae virtuti proportionatum. Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, ut ex supra dictis patet (q. 5, a. 5); et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae: sed ad hoc exigitur altior virtus, quae est virtus gratiae. Et ideo sine gratia homo non potest mereri vitam aeternam."

2.ª **pars theseos est corollarium primæ;** quia si homo nullo modo stricte supernaturalia mereri potest, profecto nec de condigno, nec de congruo illa mereri valet.

63. Obj. 1.° Ex Vetere Testamento. a) *Psalm.* XXII, 6, dicit: "Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae." Et *Psalm.* LXXXVII, 14: "Et mane oratio mea praeveniet te." Item *Psalm.* CXVIII, 147: "Praeveni in maturitate et clamavi." b) *II Paralip.* XV, 1, 2, Azarias, facto in se spiritu Dei, inquit: "Si quaesieritis eum (Dominum), invenietis..." c) *Proverb.* XVI, 1: "Hominis est animam praeparare: et Domini gubernare linguam." d) Denique *Zacarias*, I, 3: "Convertimi ad me, ait Dominus exercituum: et convertar ad vos..." Testimoniis vero allatis significari videtur opera naturalia conducere ad gratiam, et ideo illam aliquo modo mereri.

Resp. Admitto textus allatos, sed nego ex illis inferri quod contenditur. Et ad singula respondeo.

Ad a) In *Psalmo* XXII, 6, non significatur gratiam sequi opera naturalia, quia haec illam exigant vel merentur; sed simpliciter misericordiam Dei futuram esse omnibus diebus vitae cum illo, de quo in *Psalmo* agitur. In *Psalmo* LXXXVII, 14, verba *oratio mea praeveniet te* non significant orationem naturalem obtinere gratiam, sed orationem in genere praecedere alia Dei beneficia, quae si oratio sit supernaturalis, poterunt quoque esse supernaturalia, et mere naturalia erunt, si oratio sit naturalis. Similiter verba *Psalmi* CXVIII, 147, sc. *praeveni in maturitate*, solum indicant illum, de quo agitur in *Psalmo*, maturare seu properare ad orandum.

Ad b) Verba *si quaesieritis* non innuunt agi de Deo quaerendo naturaliter, sed si de gratia comparanda agitur, perquirendus est Deus per gratiam antecedentem.

Ad c). *Hominis est animam praepare* cum adjutorio gratiae, non

(1) *I. 2.*, q. 109, a. 5.

sine illo. De hac re dicit (1) S. Augustinus: "*Hominis est praeparare cor, et a Domino responsio linguae;* quia homo praeparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui sic tangit cor, ut homo praeparet cor. *In responsione autem linguae*, id est, in eo quod praeparato cordi lingua divina respondet, nihil operis habet homo, sed totum est a Domino Deo."

Ad d) Verba *convertimi ad me* non sunt accipienda de conversione sine gratia, sed cum gratia, ut ex aliis Scripturae locis eruitur. Tridentinum de textu Zchariae sic loquitur (2): "Unde in sacris litteris, cum dicitur": "*Convertimi ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I, 3), libertatis nostrae admonemur; cum respondemus:" "*Converte nos, Domine, ad te, et convertemur* (*Thr.* 5, 21), Dei nos gratia praeveniri confitemur."

64. Obj. 2.° Ex Novo Testamento. In *Matth.* XXV, 15, legitur parabola de talentis, in qua inter alia dicuntur haec, videlicet: "Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem..." Deinde narratur unum quinque talenta esse lucratum, alterum vero duo. Ubi videtur indicari talenta comunicata esse cum proportione ad vires naturales, et per has ipsas vires esse acquisita nova talenta. Item ad *Rom.* VII, 18 dicitur: "Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio." Quocirca his textibus innuitur viribus naturae aliquid supernaturale obtineri posse.

Resp. Parabola de talentis varias explicationes orthodoxas patitur, et nullo modo est necessarium affirmare gratiam distribui secundum naturalem exigentiam. Illa verba *secundum propriam virtutem* plures intelligunt esse merum complementum parabolae, et non pertinere ad ipsius doctrinam, sed esse parergon. Alii volunt referri ad gratias gratis datas, quae capacitatem naturalem requirant; alii ad dispositiones acquisitas per ipsam gratiam (3); alii ad dona naturalia, quae secundum capacitatem naturalem communicantur, etc. (4). Deinde illa talenta, quae servi lucrati sunt, non illa acquisierunt per virtutem naturalem, sed per gratiam; nam certe Dominus illis servis communicavit necessaria ad vitam aeternam promerendam, quum salus hominum sit voluntas Domini Jesu.

Illud vero ad Romanos *nam velle, adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio*, aliqui sic interpretantur, ut sit sermo de *velle naturali*, quod vult bonum, sed illud quod vult, non potest perficere in statu naturae lapsae per solas vires naturae (5): S. Augustinus (6) accipit de *velle* per gratiam, quod non potest *perficere bonum*, seu pervenire ad statum, in quo nulla sit concupiscentia, ut erit in caelo.

65. Obj. 3.° S. Thomas dicit (7): "Si consideretur secundum sub-

(1) *Contr. duas epist. pelagianorum*, l. 2, c. 9 (M. L. 44, 585).
(2) *Sess. 6.ª*, c. 5 (Denz.-Bannwart, n. 797, edit. 13.ª).
(3) Vide S. Thomam, *2. 2.*, q. 24, a. 3, ad 1.
(4) Vide PP. Wirceburgenses, *De gratia*, d. 5, c. 2, a. 1, n. 288, inst. 1; Beraza, *De gratia*, s. 2, c. 1, a. 2, n. 205; Schiffini, *De gratia*, d. 5, s. 2, n. 295.
(5) Vide Corluy, *Spicilegium, Epist. ad Rom.* VII, 18; Cornely, *Comment. ad Rom.* VII, 18.
(6) *Contr. duas Epist. pelag.*, l. 1, c. 10, n. 19 (M. L. 44, 560); *Contr. Julian.*, l. 3, c. 26, n. 62 (M. L. 44, 734); *Sermo* 154, c. 9, n. 12 (M. L. 38, 838).
(7) *1. 2.*, q. 114, a. 3.

stantiam operis (opus meritorium), et secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inaequalitatem; sed est ibi congruitas propter quamdam aequalitatem proportionis." Ergo secundum S. Thomam vires mere naturales sufficiunt, ut habeatur meritum congruum respectu rerum supernaturalium.

Resp. Con. ant. et neg. cons. Nam S. Thomas loquitur de opere supernaturali, si consideretur secundum se et prout a libero arbitrio procedit; sed praescinditur a gratia habituail et a praesentia Spiritus Sancti, prout ratione ejusdem gratiae habitualis habetur. Ratio solutionis est, quia S. Thomas aperte dicit (1) vires naturae non sufficere, ut homo ad gratiam sanctificantem recipiendam se disponat; ac proinde neque sufficiunt, ut se disponat respectu vitae aeternae; et tamen hoc non esset verum, si homo posset per vires naturae mereri de congruo vitam aeternam.

66. Obj. 4.° Si Deus pro suo arbitratu diversas gratias diversis personis distribueret, esset acceptor personarum, quod quidem Deo non est tribuendum. Item omnia opera mala sunt punitione digna; ergo similiter omnia opera bona praemium merentur.

Resp. Imprimis Deus non est acceptor personarum; quia gratia a nemine exigitur et acceptio personarum requirit, ut in distributione non detur singulis, quod illis debetur, aut ab eis exigitur. Et ita dicit (2) S. Augustinus: "Acceptio personarum ibi recte dicitur, ubi ille qui judicat, relinquens causae meritum de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur..... Nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est.". Deinde ad alterum dicendum omnia opera mala esse ejusdem ordinis, et similiter digna punitione pro ratione pravitatis; opera autem bona ad diversos ordines pertinere possunt, et opera inferioris ordinis non possunt attingere vel exigere, vel conducere ad praemium ordinis superioris (3).

67. Scholion I. Utrum gratia per solas vires naturae per impetrationem obtineri (4) possit. Impetratio in genere est aliquid precibus obtineri. Verum hic non agimus de impetratione in genere, sed de impetratione a Deo. Haec autem humilis deprecatio est quaedam oratio stricte talis, quae consistit in humili petitione a Deo boni, quod desideramus obtinere, ideoque in oratione continetur explicatio coram Deo de bono, quod impetrare volumus. In praesenti igitur quaeritur, utrum homo precibus naturalibus possit gratiam impetrare. Impetratio distinguitur a merito, quia meritum est obsequium quod alteri praestatur aptum de se

(1) *1. 2.*, q. 109, a. 5 in c. et ad 1, et a. 6.
(2) *Contra duas Epist. pelagianor.*, l. 2, c. 7, n. 13 (M. L. 44, 580).
(3) Aliae difficultates ex Scriptura et quae ex PP. objiciuntur, solventur inferius, ubi sermo erit de necessitate gratiae contra pelagianos et semipelagianos.
(4) Suarez, *De praedestinatione*, l. 2, c. 6, n. 40; *De gratia*, l. 12, c. 34, n. 8 et sq.; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 1, d. 19, ss. 1 et 2; et l. 4, d. 71, s. 3; Struggl, *De gratia*, d. 3, s. 1, a. 3, n. 5; Wirceburgenses, *De gratia actuali*, c. 2, a. 1, n. 285; Beraza, *De gratia*, p. 2, s. 2, n. 367 et sq.; Val (Honorat. del), *De gratia Christi*, c. 1, a. 3, n. 60; Pesch (Christ.), *De gratia*, p. 1.ª, s. 3, n. 205 et sq.; Lahousse, *De gratia actuali*, c. 3, a. 1, n. 137; Van der Meersch (Joseph), p. 2.ª, s. 1, c. 4, a. 1, n. 165.

movere ad aliquam retributionem, ut supra dictum est (1); et impetratio movet ad aliquid dandum ratione humilis deprecationis, non obsequii praestiti. Et revera humiles preces erga Deum fundatae in fide ejusdem bonitatis et omnipotentiae sunt omnino honestae et aptae ad aliquid a Deo obtinendum, praescindendo a ratione obsequii seu meriti. Atque hoc confirmatur ex beatis, qui cum ratione status nihil mereri possint, precibus plura consequuntur pro viatoribus. Preces vero beatorum non fundantur in fide, qua carent, sed in cognitione evidenti divinorum attributorum, et necessitatum viatorum. S. Thomas aperte distinguit (2) inter impetrationem et meritum, saltem de condigno.

68. Verum negandum non est eumdem actum orationis supernaturalis in justo habere simul meritum condignum quatenus actus virtutis religionis, et habet impetrationem, quatenus est petitio alicujus boni. Similiter oratio supernaturalis in peccatore habet vim impetrandi, et meritum congruum, saltem probabiliter (3). Attamen in praesenti, ut jam dictum est, solum quaeritur utrum petitiones vel orationes mere naturales vim impetrandi gratiam habeant. Atque huic quaestioni negative omnino respondendum est (4): Et haec responsio omnino certa est, immo videtur de fide; nam in Conc. Arausicano II inter alia haec habentur. In can. 3 dicitur (5): "Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferre, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae Prophetae, vel Apostolo idem dicenti: *"Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant."* (Rom. X, 20; Is. LXV, 1).

Et can. 6 (6): "Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, el haec omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium, nec, ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti* (*I. Cor.* IV, 7), *Gratia Dei sum id, quod sum* (*I. Cor.* XV, 10)."

69. *Prob.* gratiam precibus naturalibus obtineri non posse.

(1) N. 56.
(2) *1. 2.*, q. 114, a. 9, ad 1; *2. 2.*, q. 83, aa. 15 et 16.
(3) S. Thomas, *4.*, d. 15, q. 1, a. 3, sol. 4; P. Suarez, *De gratia*, l. 12, c. 34, n. 2.
(4) P. Ripalda (*De ente supernaturali*, l. 1, d. 19, s. 3) existimat in alia providentia preces mere naturales posse gratiam obtinere. Attamen, si de vi ipsarum precum agatur, omnino negandum videtur preces naturales in aliqua providentia posse habere vim gratiae obtinendae. Ratio est, quia preces aliquam proportionem habere debent cum re, quae postulatur; ita si mendicus postulat a divite magnum fundum, certe non consequetur; quia non est res proportionata petitioni et indigentiae. Et petitiones mere naturales non possunt esse proportionatae donis gratiae, quum sint res diversorum ordinum. In alia quidem providentia posset Deus decernere precibus etiam naturalibus dare gratiam; verum hoc non esset ratione precum, sed ex mera gratuita volunte Dei; et preces essent tantum conditio, quae ex se nullam haberet vim, et ex sola divina voluntate cum gratia connecteretur. Vide P. Pesch (Chr.) *De gratia actuali*, l, 3, n. 207.
(5) Denz.-Bannwart, n. 176.
(6) Denz.-Bannwart, n. 179.

Id prob. ex S. Scriptura. Hoc probant testimonia allata n. 78; in illis enim asseritur gratiam *operibus naturalibus* obtineri non posse; preces vero naturales sunt opera naturalia, ideoque per illas gratia non potest obtineri. Id ipsum probat testimonium Joannis, XV, 5, scilicet: "Sine me nihil potestis facere (1)." Praeterea duos alios textus addo, unum ex *Rom.* VIII, 26, et alterum ex *Joan.* XV, 7. Primum dicit: "Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus." Et alterum: "Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis." Primus textus manifeste affirmat requiri motionem Spiritus Sancti ad recte orandum; alter requirit ut maneamus in Christo, ut fructuose petamus, ideoque ut preces nostrae pertineant ad unionem cum Christo, et consequenter ut sint supernaturales.

S. Augustinus circa textum ad *Rom.* adductum dicit (2): "Quid est autem *interpellat* (legit *interpellat pro postulat*) (3), nisi, interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est interpellare gemitibus. Nullius autem rei esse indigentem fas est credere Spiritum Sanctum. Sed ita dictum est, *interpellat,* quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum..."

70 *Prob. assertum ex S. Augustino,* qui asserit (4): "Veruntamen ne saltem orationis putarentur praecedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiae munera reperitur." Et alibi (5): "Ubi intelligimus, et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus: et hoc esse dicunt, quod gratia praeceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, et invenimus quaerentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quaeramus, atque pulsemus."

71. *Ratione theologica.* a) Secundum Scripturam, Patres

(1) Vide supra n. 49.
(2) *Epist. 149 ad Sixtum,* c. 4, n. 16 (M. L. 32, 679).
(3) Vide *Epist.* 149 ejusdem S. Augustini, n. 14 (M. L. 32, 636).
(4) Loco proxime citato ex *Epist. ad Sixtum.*
(5) *De dono perseverantiae,* c. 23, n. 64 (M. L. 45, 1032).

et Concilia, homo propriis viribus nihil potest in ordine ad salutem. Atqui multum posset si precibus naturalibus gratiam consequi posset. Ergo. b) Initium salutis non est a natura, sed a gratia, ut ex fontibus laudatis constat. Atqui posset esse a natura, si preces naturales gratiam obtinere valerent. c) Inter preces et rem, quae petitur, debet esse aliqua proportio et ordo, et sic mendicus non quamlibet rem a divite postulat. Sed inter preces naturales et dona supernaturalia nulla est proportio, neque ordo. d) Ut supra dictum est, omne opus salutare debet esse supernaturale. Atqui preces naturales, si gratiam obtinerent, essent opus salutare. Ergo ut preces gratiam obtineant, debent esse supernaturales.

72. Dices 1.° S. Thomas inquit (1): "Orationem vero peccatoris ex bono naturae desiderio procedentem Deus audit..." Oratio autem ex bono naturae desiderio procedens est naturalis. Ergo secundum S. Thomam oratio naturalis potest consequi gratiam; agit enim ibi S. Thomas de consecutione doni in ordine ad salutem.

Resp. Conc maj. et neg min. ad mentem S. Thomae. Sanctus enim Doctor non sumit *bonum naturae desiderium* ut excludens gratiam, sed ut excludens peccatum. Hoc eruitur ex eo, quod oratio, ut exaudiatur debet fieri *pie et perseveranter*, ut sanctus dicit eodem loco, paulo inferius. Praeterea in articulo immediate praecedenti, in c., asserit: "Efficaciam autem impetrandi habet (oratio) ex gratia Dei, quem oramus..." Et ad 1um: "Et tamen etiam oratio, quae impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratia, quasi ex gratuito dono: quia ipsum orare est quoddam donum Dei..."

73. Dices 2.° Ipse S. Thomas etiam asserit (2) orationem peccatoris exaudiri *ex pura misericordia*. Sed *ex pura misericordia* etiam preces naturales impetrare possunt; quia ita non impetrant ex se, sed ex mera Dei voluntate. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. et cons. Saltem in hac providentia, ut ex dictis constat, Deus non vult concedere aliquid supernaturale ad salutem conducens per rem mere naturalem. Deinde etiam inter preces et rem quae petitur debet esse aliqua proportio, et inter rem mere naturalem et donum supernaturale nulla proportio reperitur. Denique, quum S. Thomas affirmat Deum audire orationem peccatoris *ex pura misericordia* non significat orationem peccatoris nullam habere vim ad divinam misericordiam movendam et rem ex mera voluntate Dei concedi, sed preces peccatoris non facere rem debitam ex aliqua justitia.

74. Scholion II. Utrum homo possit se disponere positive ad gra-

(1) *2. 2.*, q. 83, a. 16.
(2) Eodem loco antea citato.

tiam recipiendam (1). Dispositio ad aliquid idem est ac aptitudo ad illud. Unde se disponere ad aliquid est acquirere aptitudinem ad illud recipiendum. Dispositio discriminatur a merito, quia meritum est obsequium alteri praestitum et aliquomodo exigens praemium seu remunerationem, et dispositio de se non dicit nisi aptitudinem ad aliquid recipiendum; et inde dispositio non potest esse pro alio, sed tantum pro subjecto, in quo reperitur.

Dispositio varie dividitur. 1.° in *proximam* et *remotam*. Dicitur *proxima* illa, quae non requirit ulteriorem praeparationem ad recipiendum illud, ad quod est dispositio; et *remota*, si adhuc ulteriorem praeparationem requirit. 2.° in *positivam* et *negativam*. Est *positiva* illa, quae consistit in acquisitione novae perfectionis sive physice, sive moraliter; et *negativa*, quae habetur per solam ablationem impedimentorum. 3.° in *physicam* et *moralem*. Est *physica*, quae nec consistit in actibus liberis, neque ab his dependet, et *moralis*, quae in actibus liberis consistit, aut ab his saltem dependet.

P. Ripalda (2) inter meritum et dispositionem moralem quatuor discrimina assignat. 1.° meritum est obsequium alteri praestitum, et dispositio per se non habet rationem obsequii, et potest a merito realiter separari. Ita scientia et virtus sunt dispositiones ad dignitatem recipiendam, et non habent rationem obsequii respectu illius, a quo dignitas conferenda est. 2.° meritum potest dari respectu tertii, sed dispositio non est talis, nisi respectu subjecti, cui inest. 3.° meritum non concipitur nisi in ordine ad praemium saltem possibile; sed dispositio non requirit formam ad quam datur. Sic cera est disposita ad figuras artificiales recipiendas, et nullatenus illas requirit. 4.° denique dispositio dicitur etiam si sit mere negativa, seu tantum excludens defectum indispositionis; sed meritum non dicitur per meram carentiam demeriti. Sic lignum siccum prae humido dicitur habere dispositionem ad comburendum, licet ex parte ligni nihil detur sive intrinsece sive extrincese habens ordinem ad combustionem. Verum fatendum est dispositiones ad gratiam recipiendam non realiter distingui a merito congruo; quia tales dispositiones sunt actus liberi, qui si rationem dispositionis participent respectu gratiae, sunt quoque meritum saltem congruum respectu Dei.

75. Dispositio respectu gratiae actualis recipiendae, de qua hic agitur, triplici modo considerari potest, scilicet: a) ut intrinsece exigat gratiam et ad illam conducat; b) ut gratia requirad talem dispositionem in subjecto, qua posita communicetur gratia, licet ipsa dispositio gratiam non exigat; c) ut posita tali dispositione communicetur gratia ex lege Dei absolute posita. Secundus et tertius modus non dantur. Non secundus, quia gratia actualis nullam dispositionem naturalem requirit

(1) Bellarminus, *De gratia et libero arbitrio*, l. 6, c. 5; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 1, d. 18, s. 2; Viva, *De gratia*, d. 1, q. 8; Henno, *De gratia*, d. 2, q. 3, a. 1; Beraza, *De gratia*, s. 2, *de gratuitate gratiae*, a. 3; Mazzella (Card.). *De gratia*, d. 4, a. 1, n. 771 et sq., Pesch (Chr.), *De gratia*, 1.ª p., s. 3, Prop. 17, 3.ª p.; Einig, *De gratia actuali*, c. 3; Val (Honorat. del), *De gratia*, c. 1, a. 3, n. 61; Herrmann (Joan.) *De gratia*, 1. p., s. 3, n. 273 et sq., etc.

(2) *De ente supernaturali*, l. 1, d. 18, s. 1, n. 3.

in subjecto, nisi ut hoc sit intellectuale; verum nec subjectum intellectuale ullo modo postulat gratiam, nec gratia postulat existere et subjecto intellectuali communicari. Non tertius: quia nullibi constat de lege seu decreto Dei statuente, ut communicetur gratia elicienti determinatos actus virtutis naturalis. Tamen hic tertius modus non videtur absolute repugnare, quia in alia providentia Deus videtur posse alligare gratiam certis actibus virtutis naturalis, non quidem ex aliqua exigentia actuum virtutis naturalis, sed ex solo placito Dei. Secundus vero modus videtur absolute repugnare; quia quod gratia in hac providentia non postulat, in nulla postulabit, quum in quacumque providentia eadem sit gratiae natura.

Aliunde sive secundus, sive tertius modus rejiciendi sunt tanquam contrarii menti Ecclesiae. Nam Conc. Arausicanum II ab universa Ecclesia receptum dicit (1): "Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: "*Sine me nihil potestis facere*" (*Joan.* XV, 5), et illud Apostoli: "*Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5)." Quibus verbis certe manifeste improbatur aliquid naturale posse conducere ad salutem, sive ad ordinem simpliciter supernaturalem.

76. Restat igitur primus modus seu si dispositio naturalis exigeret gratiam, aut quocumque modo ad illam conduceret. Etiam hic modus non datur, immo nec potest dari; tamen semipelagiani illum admiserunt, et sub hoc aspectu est dignus speciali refutatione. Verum iste modus jam manet refutatus ex can. 7 Conc. Arausicani II paulo antea adducto; quia si natura posset acquirere dispositionem, quae exigeret gratiam aut ad eam conduceret, eo ipso natura multum posset in ordine salutis, quod a canone laudato negatur. Ideoque est res saltem omnino certa theologice per naturam non posse haberi dispositionem exigentem gratiam, aut ad illam quocumque modo conducentem. Dispositio naturalis exigens gratiam aut ad illam quocumque modo conducens rejicitur etiam ex textibus Scripturae allatis nn. 49 et 59. Pro re praesenti sufficit textus ex *Joan.* XV, 5, sc.: "*Sine me nihil potestis facere.*" Nam si nihil sine Christo seu sine gratia possumus agere salutariter, neque possumus ponere solis naturae viribus dispositionem, quae gratiam exigat, vel quocumque modo ad eam conducat.

77. *Id ipsum ex S. Augustino et ratione probatur.* S. Augustinus jam adductus supra, n. 61, dicit (2): "Ac per hoc gratiam Dei... sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad veritatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet."

(1) Can. 7 (Denz.-Bannwart, n. 180).
(2) *De gratia Christi*, c. 26 (M. L. 44, 374).

Et hoc ipsum confirmat dicens (1): "Non enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo." Atque ratione id ipsum suadetur; quia gratia absolute et simpliciter vires naturales superat; non autem ita superaret, si vires naturae possent positive ad gratiam disponere. Item finis est absolute supernaturalis; ergo media mere naturalia, quum nullam cum tali fine habeant proportionem, non possunt quocumque modo ad illum disponere.

78. Corollarium. Ex dictis sequitur hominem nihil ex se, seu viribus mere naturalibus, posse facere quod ad gratiam consequendam quocumque modo conducat. Quare, quum ante primam gratiam non dentur in homine, nisi ea, quae sunt mere naturalia, nihil potest dari quod disponat vel conducat ad primam gratiam recipiendam. Atque praecise respectu actionum mere naturalium, hoc ipsum de gratiis, quae primam consequuntur, tenendum est.

79. Dices. 1.° S. Thomas videtur docere hominem per vires naturales posse se disponere ad gratiam habitualem recipiendam, dicit (2) enim: "Et ideo non oportet ut actus quibus homo se ad gratiam habendam praeparat sint naturam humanam excedentes; sicut enim natura humana se habet in potentia naturali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium se habent ut dispositiones materiales ad ipsam; unde non exigitur ad hoc ut homo ad gratiam se praeparet, aliquod aliud lumen gratiae praecedens." Et inferius addit: "Et ideo aliis consentiendo dicimus quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest praeparare." Haec autem verba, ut ex contextu elucet, se referunt ad praeparationem pro gratia habituali recipienda; et ideo S. Thomas ad talem praeparationem non videtur gratiam requirere.

Resp. 1.° Si S. Doctor re ipsa docuerit vires mere naturales sufficere pro praeparatione ad gratiam habitualem, hoc in *Summa Theologica* non semel retractavit. Sic dicit (3): "Potest igitur praeparatio dupliciter considerari: uno quidem modo, secundum quod est a libero arbitrio; et secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiae consecutionem, quia donum gratiae excedit omnem praeparationem virtutis humanae. Alio modo potest considerari secundum quod est a Deo movente; et tunc habet necessitatem ad id quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibitatis..." (4).

Resp. 2.° Forte verba S. Thomae explicari possint de praeparatione negativa, sive de mera ablatione impedimentorum; haec vero praeparatio per solas vires naturae haberi potest secundum dicenda in Scholio III proximo.

(1) *De peccato originali*, c. 24, n. 28 (M. L. 44, 399).
(2) *In 2.*, d. 28, a. 4.
(3) *I. 2.*, q. 112, a. 3.
(4) Vide q. 109, a. 6; q. 114, a. 5; *Contr. gent.*, l. 3, cc. 149 et 150; *Quotl.* 1, a. 7.

80. Dices. 2.° Si homo viribus propriis ad gratiam nullo modo se disponere posset, non haberet medium consequendi gratiam. Atqui hoc non est dicendum, quia, quum gratia ad salutem consequendam sit necessaria, si homo gratiam consequi non posset, eo ipso salus esset illi impossibilis. Ergo.

Resp. Dist. maj.; si homo viribus propriis ad gratiam nullo modo se disponere posset, non haberet medium consequendi gratiam, si gratia actualis esset accipienda ex propria dispositione, conc.; si Deus illam omnibus adultis communicat independenter a quacumque dispositione naturali positiva, neg. Deus igitur suo tempore omnibus adultis dat gratiam actualem, et si homines uni gratiae actuali respondent, dat aliam et aliam usque dum ad justificationem perveniant, in qua si perseverant, ut possunt, gloriam infallibiliter consequentur.

Apposite S. Thomas respectu praeparationis ad gratiam (1): "Gratia dicitur dupliciter: quandoque quidem ipsum habituale donum Dei; quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, praeexigitur ad gratiam aliqua gratiae praeparatio; quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita. Sed si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla praeparatio requiritur ex parte hominis, quasi praeveniens divinum auxilium; sed potius quaecumque praeparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum." Quare secundum S. Thomam et sententiam certam in qualibet gratiarum serie prima gratia actualis a Deo communicatur sine ulla positiva praeparatione; secus in infinitum procedendum esset.

81. Dices. 3.° Congruum est, ut qui plures et meliores actus virtutum naturalium elicit, majorem accipiat gratiam, et qui plus peccat minorem. Ergo congruum est gratiam pendere ab ordine mere naturali.

Resp. Respectu actuum virtutum naturalium non est congruum propter illos, quantumvis multiplicentur in numero et perfectione, dari majorem gratiam; quia actus virtutum naturalium, quum sint ordinis valde inferioris, nullam habent connexionem nec proportionem, nec conducentiam cum gratia salutari. Atque in hac providentia detestatio peccatorum naturalis, licet sit perfectissima in ordine mere naturali, nihil valet pro peccatorum remissione; quia Deus in hac providentia non remittit peccata nisi per ordinem ad finem supernaturalem, ad quem opera naturalia nullo modo ordinantur. Respectu vero peccatorum, propter peccata potest quidem Deus negare majorem gratiam, et aliquando hoc facit; sed nunquam negat totaliter gratiam, quia quantumvis homines pessimi sint, Deus vult illos salvos fieri, dum sunt in statu viae.

82. Scholion III. De dispositione negativa (2). Dispositio negativa, seu illa quae in mera ablatione impedimentorum consistit, omnino admittenda est; nam homo naturaliter plura peccata vitare potest, et rejicere peccata certe est tollere impedimenta et fieri hominem minus in-

(1) *1. 2.*, q. 112, a. 2.
(2) Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 1, d. 18, s. 2; Beraza, *De gratuitate gratiae*, n. 384; Serrmann (Joannes), *De gratia*, p. 1, s. 3, c. 1, n. 277.

dignum gratia. Et sicut Deus propter peccatum mortale potest hominem in infernum statim detrudere, sic a fortiori potest illum gratia privare. S. Thomas ita loquitur (1): "Et quum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire divinae gratiae receptionem vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei qui impedimentum praestat gratiae receptioni; Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; *omnes* enim *homines vult salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire,* ut dicitur *I ad Timoth.* II, 4. Sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant." Et idem S. Doctor expresse indicat impedimentum ad gratiam recipiendam esse peccatum, quum dicit (2): "Sed tamen hoc potest (homo) cum auxilio gratiae; quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer, datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in poenam praecedentis aut saltem originalis peccati."

(1) *Contr. gent.*, l. 3, c. 160.
(2) 2. 2., q. 2, a. 5, ad 1.

CAPUT II

De causis gratiæ actualis

Articulus I

Gratia aliqua creata non vitalis non est causa gratiæ actualis

83. Praemitt. Quaeritur hic, utrum aliqua gratia creata et non vitalis, seu mortua, sit admittenda ad producendas primam illustrationem intellectus supernaturalem et similem piam affectionem voluntatis, et ceteros actus supernaturales in illis qui carent gratia sanctificante et virtutibus per se infusis. Est in hac re duplex sententia. Altera, quae propugnat talem gratiam non vitalem (1) admittendam esse; et altera, quae illam rejicit (2). Inter patronos primae sententiae plures volunt illam qualitatem non vitalem seu mortuam esse necessariam in omni actu supernaturali, etiam in illis, qui habitus per se infusos cum gratia sanctificante habent: ita Salmanticenses (3). Alii vero solum admittunt illam in carentibus habitibus per se infusis (4). Agitur in praesenti de gratia creata, quae sit vis in actu primo ad producendos saltem actus indeliberatos intellectus et voluntatis; non de praedeterminatione physica, quae secundum eorum defensores non est

(1) Inter alios defendunt hanc sententiam Salmanticenses (*De gratia*, d. 5, dub. 2 et sq.); Alvarez (Didacus), *De auxiliis divinae gratiae*, l. 8, d. 74; Del Prado (F. N.), *De gratia*, p. 1.ª, q. 2, §. 3; Card. Billot, *De gratia Christi*, q. 110, thes. 8; Val (Honor. del), *De gratia Christi*, c. 1, a. 4, n. 91; Van Der Meersch, *De divina gratia*, n. 279; Herrmann (Joan.), *De divina gratia*, s. 1 c. 1, a. 1, §. 4, n. 62; Tabarelli (Richardus), *De gratia Christi*, p. 1.ª, q. 2, §. 2, concl. 2.ª.

(2) Hanc secundam sententiam defendunt P. Suarez (*De gratia*, l. 3, c. 18), Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 5, d. 104; Muniessa (Thomas), *De gratia*, d. 2, s. 2; Mazzella (Cam. Card.), *De gratia Christi*, d. 1, a. 5, n. 141 et sq.; Beraza, *De gratia Christi*, p. 2.ª, s. 1, c. 1, a. 2, n. 76 et sq.; Schiffini (Sanctus), *De gratia divina*, d. 3, s. 1, n. 136; Pesch (Ch.), *De gratia*, p. 1, s. 1, *prop. 5*, n. 50 et sq., et generatim Patres Societatis. Etiam ex aliis eamdem tenent sententiam, ut Struggl (Marc.), *De gratia*, d. 1, q. 2, a. 2; Einig (Petr.), *De gratia divina*, p. 1, c. 1, *thes.* 2, *scholion.*

(3) *De gratia*, d. 5, dub. 5.

(4) Vide Salmanticenses, loco antea citato, §. 4.

virtus in actu primo, sed applicatio virtutis ad agendum (1): Praeterea inter defensores illius entitatis transeuntis non vitalis alii volunt illam esse qualitatem transeuntem, alii motionem quamdam; verum Salmanticenses asserunt has duas opiniones potius differre modo loquendi (2), quam re. Postremo impugnatores hujus qualitatis seu motionis eam vocant qualitatem non vitalem, seu mortuam; quia inter gratias actuales, si daretur, esset unica, quae non consisteret in actibus intellectus vel voluntatis, qui sunt vivi seu vitales.

THESIS. Qualitas seu motio non vitalis, quæ sit principium actuum supernaturalium non est admittenda.

84. *Prob.* 1.° Quae de divina gratia admittenda sunt, ea in revelatione aliquo modo contineri debent; non enim alia origo assignari potest. Atqui in divina revelatione, quae nobis per S. Scripturam, Concilia et Patres transmissa est, nullo modo ostendi potest eam qualitatem non vitalem contineri. Ergo rejicienda est. Nec prodest dicere primos actus supernaturales non aliter fieri posse; etenim inferius ostendetur posse fieri per divinam virtutem et simul concurrentibus intellectu et voluntate.

85. 2.° Ex Conc. Tridentino dicente (3): "Declarat praeterea (Sancta Synodus), ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus *vocatione*, qua nullis eorum existentibus meritis *vocantur*, ut, qui per peccata a Deo erant aversi, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur ita, ut tangente Deo cor hominis *per Spiritus Sancti illuminationem* neque homo ipse nihil omnino agat, *inspirationem* illam recipiens, quippe qui illam et adjicere potest..." In hoc loco *Tridentinum* manifeste loquitur de prima gratia, quae adultis communicatur, et eam apellat *illuminationem inspirationem*, quae sunt actus vitales.

(1) Vide Joannem a S. Thoma, *Philosoph. natural.*, p. 1, q. 25, a. 2.
(2) *De gratia*, d. 5, dub. 3, §. 3.
(3) *Sess. 6*, cap. 5.

Id ipsum prob. ex S. Augustino. S. Doctor dicit (1): "Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat?" Et idem S. Doctor alibi (2): "Videte quomodo trahit Pater: *docendo delectat,* non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit. *Erunt omnes docibiles Dei.*" Item (3): "Ut ergo velimus sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur." Et S. Bernardus inquit (4): "Si ergo Deus tria haec, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: primum profecto sine nobis; secundum nobiscum; tertium per nos facit." Denique id ipsum confirmatur ex S. Thoma dicente (5): "Sed contra hoc est quod dicit Apostolus (*II Cor.* III, 5), quod non *sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis.* Nullum anterius principium inveniri potest quam cogitatio." Profecto et S. Augustinus, et S. Bernardus et S. Thomas indicant gratiam actualem omnem in actibus intellectu et voluntatis consistere. Quum autem S. Augustinus dicit ut *velimus sine nobis operatur,* hoc accipiendum est non ita ut *velimus* sine concursu nostrae voluntatis, sed sine concursu libero ex parte nostra.

86. Obj 1.° Ex *S. Scriptura. Apoc.* III, 20, gratia actualis dicitur *pulsatio,* et *pulsatio* solum est a pulsante; ideoque prima gratia dicenda est in re non vitali, quae a solo Deo sit. Item *II. Cor.* III, 5, legitur: "Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est." Et ad *Rom.* VIII, 14: "Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei." Jam vero accipere *sufficientiam a Deo et agi* indicant gratiam non vitalem.

Resp. Admitto textus S. Scripturae, et nego quod ex illis infertur. Imprimis *pulsatio,* si est perceptibilis, debet esse actus intellectus enuntians id quod pulsans manifestare intendit. Deinde *sufficientia* ad cogitandum, licet non sit ex nobis, non est necesse ut sit per qualitatem seu motionem transeuntem et non vitalem, sed potest esse per divinam omnipotentiam secundum ea, quae inferius dicenda sunt. Postremo homines possunt agi a Spiritu Sancto ad operandum vitaliter, non praecise ad mere recipiendam qualitatem non vitalem.

87. Obj. 2.° S. Augustinus dicit (6): "Nam procul dubio plus est agi, quam regi: qui enim regitur, aliquid agit; et a Deo regitur, ut recte

(1) *De peccator. meritis et remiss.,* l. 2, c. 19, n. 33 (M. L. 44, 170).
(2) *Tract 26 in Joan.,* n. 7 (M. L. 35, 1670).
(3) *De gratia et libero arbitrio,* c. 17, n. 33 (M. L. 44, 901).
(4) *De gratia et lib. arbitr.,* c. 14, n. 46 (M. L. 82, 1026).
(5) *1. p.,* q. 23, a. 5.
(6) *De gestis Pelagii,* c. 3, n. 5 (M. L. 44, 323).

agat; qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur." Ergo Deus agit in homine per motiones non vitales, quibus homo non cooperatur.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Imprimis non dicit Augustinus qui agitur a Deo, non agere; sed *vix intelligi* aliquid agere. Praeterea S. Doctor hanc rem alibi (1) declarat his verbis: "Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi (*Rom.* VIII, 14), ut quod agendum est agant, et cum egerint, illi a quo agunt gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant; et ad hoc eis ostenditur *quid agere debeant*, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione et delectatione justitiae, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum (*Psalm.* LXXXIV, 13); accepisse se gaudeant." *Suavitas* vero tribui potest per actus intellectus et voluntatis a Deo infusos; neque videtur fore proprium qualitatis non vitalis tribuere suavitatem, si talis qualitas daretur.

88. Obj. 3.° Concilia et Patres asserunt gratiam a Deo tribui homini sine homine. Item Deum hominem excitare, vocare, tangere, trahere et similia. Haec vero omnia qualitatem non vitalem indicare videntur.

Resp. Nego ea quae afferuntur qualitatem vel motionem non vitalem indicare. Etenim Concilia et PP. dicunt Deum tribuere gratiam homini sine homine, non quia non vitaliter operetur, quum gratiam actualem recipit; sed quia non illam libere recipit. Item Deus per gratiam hominem excitat, vocat, tangit ita, ut homo excitationem, vocationem, tactum percipiat; ideoque hoc facit per infusionem actuum vitalium. Similiter Deus homines trahit per cognitiones et volitiones, non funibus materialibus.

89. Obj. 4.° Qualitas non vitalis Conciliis et PP. non opponitur. Quapropter sine incommodo admitti potest.

Resp. Neg. ant. et cons. Neg. ant.; quia re ipsa, saltem implicite, CC. et PP. opponitur. Praeterea, quum illa qualitas non vitalis secundum adversarios, sit aliquid positivum, non sufficit non opponi CC. et PP.; sed praeterea requiritur ut habeat fundamentum positivum in CC. et PP., quod non videtur reperiri.

90. Obj. 5.° Convenientius fit productio actuum supernaturalium per aliquod principium homini intrinsecum, quam per aliquid extrinsecum, ut est divina omnipotentia, Ergo videntur illae qualitates non vitales admittendae, quum sint gratia intrinseca homini.

Resp. Neg. ant. respectu peccatoris. Nam in peccatore nihil est quod gratiam exigat, ideoque etiam nihil est quod potius exigat illam habere intrinsece quam extrinsece. Attamen, licet ex parte subjecti non sit convenientius in homine peccatore fieri actus supernaturales per principium intrinsecum quam per extrinsecum; aliunde videtur convenientius fieri per principium extrinsecum; quia principia intrinseca essent transeuntia sicut ipsae operationes, et divina omnipotentia est principium constans et invariabile. Neque videtur congruum Deum principia supernaturalia producere, et ea destruere statim ac cessat operatio seu effectus.

(1) *De correptione et gratia*, c. 2, n. 4 (M. L. 44, 918).

Articulus II

De veris causis gratiæ actualis

91. Praemitt. 1.° Omnes auctores rejicientes qualitates transeuntes et non vitales ordinis supernaturalis admittunt primam gratiam actualem intellectus, et similiter primam voluntatis effici per divinam omnipotentiam supplentem vices habituum supernaturaliam. Verum deinde laudati auctores in duas sententias dividuntur. Altera tenet auxilia actualia gratiae concurrere non modo moraliter, verum etiam physice in productionem actuum salutarium; altera vero asserit in homine habitus per se infusos non habente, constanter produci auxilia gratiae et actus salutares per Spiritum Sanctum seu divinam omnipotentiam. Priorem sententiam tenent Card. Bellarminus (1), Molina (2), Lessius (3), Valentia (4), Ripalda (5), Ruiz de Montoya (6), Beraza (7), pluresque alii. Posteriorem sententiam defendunt P. Suarez (8), Tanner (9), Arriaga (10), Mayr (11), Kilber (12), Mendive (13), Schiffini (Sanctus) (14), aliique. Postremo secundum auctores negantes actus supernaturales influere physice in alios actus, quum adsunt habitus per se infusi, hi producunt actus salutares, et si dentur actus intensiores habitibus, hic defectus intensionis in habitu per divinam omnipotentiam supplendus est. Altera vero sententia admittit etiam habitus per se infusos influere in actus salutares, ut omnes catholici debent admittere, sed ulterius concedit auxilia gratiae actualia simul cum habitibus per se infusis etiam concurrere ad actus salutares (15).

(1) *De gratia et lib. arbitr.*, l. 1, c. 13, ad 1.
(2) *Concordia*, d. 37.
(3) *De gratia efficaci*, c. 15, n. 3; et c. 17, n. 10.
(4) *In 1. 2.*, d. 8, q. 3, punct. 3.
(5) *De ente supernaturali*, l. 5, d. 110.
(6) *De providentia*, tract. 3, d. 36, s. 4.
(7) *De gratia*, p. 2, s. 1, c. 1, a. 4.
(8) *De gratia*, l. 3, cc. 18 et 19.
(9) *De gratia*, d. 6, q. 3. dub. 10, n. 265.
(10) *De gratia*, d. 35, s. 2, n. 8.
(11) *De gratia*, d. 1, q. 1, a. 4.
(12) *De gratia*, d. 1, c. 1, a. 3.
(13) *De divina gratia*, diss. 2, c. 2, a. 1, n. 169.
(14) *De gratia*, d. 3, s. 3, quaer. 1, n. 154.
(15) Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 5, d. 110, s. 7, n. 52, et s. 8, n. 59.

92. Praemitt. 2.° Omnes theologi concedunt actus salutares habere influxum moralem in alios actus, nimirum illum influxum, qui habetur illuminando, suadendo, alliciendo, comminando similibusve modis. Quaeritur igitur, utrum gratia excitans physice influat in actus salutares. Atque hoc quaeritur non modo de prima gratia excitante; verum etiam de omni actu salutari, qui gerat vices gratiae excitantis respectu alius actus.

THESIS I. Gratia excitans non influit physice in actus salutares, sed moraliter.

93. Prob. 1.ª p. 1.° Si sanctae cogitationi et piae voluntatis affectioni competeret virtus influendi physice in alios actus intellectus et voluntatis, haec perfectio esset communis omnibus actibus intellectus et voluntatis: etenim nulla apparet ratio, cur aliquibus actibus haec perfectio conveniat, et non aliis, quum omnes actus in suo ordine similem habeant perfectionem. Atqui virtus influendi physice in alios actus ejusdem ordinis non est communis omnibus actibus intellectus et voluntatis. Ergo neque gratiae excitanti convenit. Prob. min. Tum quia fere communiter hoc negant auctores (1), et solum concedunt actibus potestatem producendi habitus; tum quia talem activitatem nullatenus experimur; tum denique, quia si unus actus alium producere posset, quum sit causa necessaria, omnino determinata et applicata subjecto, necessario secundum actum produceret, et hic tertium, et ita porro, quod certe absurdum est.

94. 2.° Si ipsa gratia excitans jam esset principium sufficiens ad producendum actum salutarem, habitus per se infusi non darent posse ad producendum connaturaliter actus salutares, et tamen oppositum omnes theologi affirmant. Ergo non est hoc admittendum. Prob ant. Quia quum gratia excitans quoscumque actus salutares semper praecedat, jam ratione illius haberetur posse ad producendum connaturaliter actus salutares; posse quidem, quia hoc illis ab adversariis tribuitur, et etiam connaturaliter, quum gratia excitans sit intrinseca subjecto. Nec dicatur gratiam excitantem esse principium sufficiens ad actus salutares producendos, quum deficiunt habitus per se infusi, non vero prae-

(1) Vide P. Lossada, *De anima* d. 7, c. 4, n. 75; et d. 4, n. etiam 75.

sentibus habitibus; etenim gratia excitans propter praesentiam habituum per se infusorum non mutat naturam; ideoque si absentibus habitibus actus salutares producere potest, hoc ipsum praesentibus habitibus poterit.

95. 3.° Gratia excitans, saltem quum actibus indeliberatis constituitur, est imperfectior actu salutari deliberato, ut videtur manifestum. Atqui actus imperfectior perfectiorem non continet, et consequenter illum physice producere non potest, ut causa principalis. Ergo gratia excitans actus salutares deliberatos physice producere nequit.

96. 4.° Gratia excitans constituitur illustratione salutari intellectus et pia voluntatis affectione, et uterque actus secundum adversarios ad actum salutarem et deliberatum voluntatis producendum physice concurrit. Atqui actus intellectus ad actum voluntatis physice producendum concurrere non potest. Ergo neque actus voluntatis, quum uterque actus per modum unius ad productionem actus voluntatis concurreret. *Prob min.* Quia cognitio tendit ad proponendum objectum voluntati eamdemque dirigendam, non vero ad faciendum actum physice. Item actus intellectus, quum sit diversae rationis cum actu voluntatis, non videtur ejus perfectionem continere, ideoque non potest illam physice tribuere.

97. **Prob. 2.ª p.** Nam gratia excitans inducit ad consensum salutarem per illuminationem, propositionem objecti, attractionem, delectationem, etc.; hic autem modus influendi est tantum moralis. Ergo. Verum influxus iste, licet tantum moralis, est prorsus necessarius ad actum salutarem eliciendum cum deliberatione.

THESIS. In homine habitibus per se infusis destituto principium physice producens actus salutares est divina omnipotentia, seu Spiritus Sanctus; et in homine habitibus per se infusis informato sunt ipsi habitus per se infusi.

98. **Nota**. Dicuntur habitus per se infusi, illi qui acquiri nequeunt, nisi a Deo infundantur, et sunt entitative supernaturales. Ex his habitibus in peccatoribus non possunt haberi nisi habitus fidei et spei; sed in justis habentur omnes, et in ipsa justificatione acquiruntur. Unusquisque habitus non potest concurrere nisi

ad actus illius virtutis ad quam habitus pertinet; et ita habitus fidei non potest concurrere nisi ad actus fidei, et habitus spei ad actus spei. Thesis defenditur ut probabilior.

99. 1.ª p. prob. Quia, quum dictum sit in actus salutares non influere neque gratiam actualem transeuntem et non vitalem, neque gratiam excitantem, non potest assignari aliud medium, nisi divinam omnipotentiam seu Spiritum Sanctum. Neque repugnat divinam omnipotentiam tribuere supernaturalitatem actibus vitalibus, ut inferius demonstrabitur. Atque divina omnipotentia in homine habitibus per se infusis spoliato producit actus salutares indeliberatos et deliberatos.

100. 2.ª p. prob. Quia habitus supernaturales seu per se infusi ideo tribuuntur, ut producant actus salutares quatenus sunt supernaturales, neque ad hoc requiruntur species supernaturales, sed sufficiunt naturales, ut inferius declarabitur. Hi autem habitus ad producendos actus indeliberatos supernaturales a Deo excitantur.

101. Obj. 1.° S. Paulus *I. Cor.* XV, 10 dicit: "Sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum." Gratia vero Dei videtur accipi pro gratia creata, et ita gratia creata est, quae actus salutares producit.

Resp. Conc. ant. et dist. cons.: gratia Dei accipitur pro gratia creata habituali et actuali, conc.; pro sola actuali, neg. S. Paulus, quum esset justus, gratia creata in ipso complectebatur gratiam actualem, quae tantum moraliter agebat, et gratiam habitualem, quae influxum physicum habebat. In illis vero, in quibus non habetur gratia habitualis, hujus defectum supplet Spiritus Sanctus per suam omnipotentiam.

102. Obj. 2.° *Conc. Arausicanum* II, dicit (1): "Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium... non per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolocis dogmatibus adversarius approbatur..." Et idem *Concilium* ita loquitur (2): "Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur... resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti* (*I. Cor. IV*, 7); et *gratia Dei sum id, quod sum* (*I. Cor.* XV, 10). Et inferius (3); "Si

(1) Can. 5 (Denz.-Bannwart, n. 178).
(2) Can. 6 (Denz.-Bannwart, n. 179).
(3) Can. 7 (Denz.-Bannwart, n. 180).

quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... haeretico fallitur spiritu..." Jam vero in testimoniis allatis Concilium manifeste indicare videtur influxum physicum gratiae actualis.

Resp. Conc. id quod docet Concilium Arausicanum, sed nego ex doctrina Arausicani inferri id quod contenditur. Docet quidem Concilium necessitatem, ut omnes catholici tenent, gratiae actualis; sed hanc necessitatem haberi propter ejus influxum physicum nullibi docet Concilium. Immo quum Concilium vocet gratiam excitantem, *inspirationem Spiritus Sancti, infusionem et inspirationem Sancti Spiritus, illuminationem et inspirationem Spirtus Sancti*, eo ipso indicat gratiam excitantem a Spiritu Sancto immediate et physice produci in peccatoribus; atque in ipsis etiam gratiam adjuvantem physice a Spiritu Sancto produci videtur inferri, quum ab eo gratia excitans physice producatur.

Atque hoc confirmatur; quia S. Augustinus gratiae actuali non tribuit nisi influxum moralem in actum salutarem; ideoque a Concilio Arausicano II idem existimandum est, quum constet hoc Concilium doctrinam S. Augustini fideliter sequutum esse. Quod vero S. Augustinus gratiae actuali non tribuat nisi influxum moralem, multis ipsius testimoniis probari posset. Sint aliqua in specimen. Ad declarandum quo modo Pater trahat ad Filium, dicit (1): "Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et trahitur: et quo currit trahitur, amando trahitur, sine laesione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur." Et alibi (2): "Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus (3)." Et ipse S. Augustinus saepe ponit Deum vel Spiritum Sanctum ut causam physice efficientem saltem gratiae excitantis. Sic dicit (4): "Docet ergo Deus suavitatem inspirando delectationem... docet scientiam insinuando cognitionem."

103. Obj. 3.° Conc. Milevitanum II inquit (5): "Item, quisquis dixerit eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod cognoscendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, A. S." Et Conc. Tridentinum dicit (6): "Declarat praeterea (Sancta Synodus) ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur, ut, qui per paccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et

(1) *Tract. 26 in Joan.*, n. 5 (M. L. 35, 1609).
(2) *De spirit. et litt.*, c. 34, n. 60 (M. L. 44, 240).
(3) Vide plura apud Mendive *De gratia*, diss. 2, c. 2, a. 1, n. 169.
(4) *Enarr. in Ps. 118, serm.* 17, n. 3 (M. L. 37, 1549).
(5) Can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 104).
(6) Sess. 6, c. 5.

cooperando, disponantur ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libere sua voluntate possit." Ex quibus sic arguitur: juxta Conc. Milevitanum per eamdem gratiam qua cognoscimus quid est faciendum, etiam illud facimus. Sed cognoscimus quid est faciendum per gratiam excitantem. Ergo per eamdem excitantem gratiam facimus quod cognoscimus esse faciendum. Et juxta Conc. Tridentinum homo sine gratia non potest se movere ad justitiam; et haec gratia est illuminatio et inspiratio Spiritus Sancti; ac proinde gratia excitans.

Resp. Imprimis Conc. Milevitanum per eamdem gratiam non significat eamdem numero gratiam, sed *eamdem gratiam*, de qua Concilium loquutum est in can. 3; nam in can. 4, quum adhibet haec verba *eamdem gratiam*, adhuc Concilium nihil de gratia dixerat, et idcirco de *eadem gratia* non potest loqui. Jam in can. 3 loquitur de gratia justificante seu habituali; ideoque in can. 4 gratia videtur accipi non praecise, quatenus gratia habitualis, sed quatenus est gratia stricte talis in genere; nam in can. 4 loquitur etiam de gratia cognitionis, quae est actualis.

Deinde Concilium agnoscit ut duo dona distincta cognoscere quid faciendum sit, et facere, dicit enim: "Cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus..." Et ipsum Concilium indicat facere quod cognoverimus esse faciendum pertinere ad caritatem, et caritas non modo est gratia actualis, sed etiam habitualis; et quatenus habitualis secundum omnes physice influit in actus caritatis.

Ad Conc. Tridentinum quod attinet, dicendum Concilium agnoscere necessitatem gratiae excitantis, sed nullo modo indicare hanc solam requiri ad conversionem peccatoris; immo significat contrarium, quum vocet *illuminationem Spirtus Sancti*, seu illuminationem fieri a Spiritu Sancto. Et ipse Spiritus Sanctus sicut facit physice illuminationem, ita potest etiam physice producere consensum liberum et salutarem in peccatore destituto habitibus per se infusis. Nec refert quod Concilium dicat: "Eidem gratiae libere assentiendo et *cooperando*"; nam Jac. II, 22, dicitur: "Fides cooperabatur operibus illius"; et *Tridentinum*: "Cooperante *fide* bonis operibus" (1); et *fides operibus* humilitatis, **caritatis**, etc., tantum moraliter concurrere videtur. Item mandans, consulens et exsequens homicidium, dicuntur illi cooperari; et tamen solus exsequens physice concurrit. Denique liberum arbitrum assentitur quidem et cooperatur rei propositae per gratiam excitantem; sed non ideo assensus et cooperatio fit physice a gratia excitante, quum videantur fieri vel a divina omnipotentia, vel ab habitibus per se infusis, nec Tridentinum docet contrarium.

104. Obj. 4.° Patres revera videntur docere gratiam excitantem esse causam physicam actuum salutarium deliberatorum. Speciatim S. Bernardus docet (2): "Non quicumque ostendit viam, praebet etiam

(1) *Sess.* 6, c. 10 (Denz.-Bannwart, n. 803).
(2) *De gratia et libero arbitrio*, c. 1, n. 1 (M. L. 82, 1001).

viaticum itineranti. Aliud illi exhibet qui facit ne deviet; et aliud qui praestat ne deficiat in via... Porro duo mihi sunt necessaria, doceri et juvari." Et ibidem, n. 2, ait: "Tolle liberum arbitrium non erit quod salvetur. Tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest, uno a quo fit, altero cui vel in quo fit. Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantum capax: nec dari illam, nisi Deus; nec capere valet nisi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo, et soli datur libero arbitrio, absque consensu esse non potest accipientis, quam absque gratia dantis. Et ita gratiae operanti salutem, cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est dum salvatur. Consentire enim salvare est." Et alibi (1): "Ipsa (gratia) liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum: roborat ut perducat ad actum... Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat: in ceteris comitetur. Ad hoc utique praeveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen ut quod a sola gratia coeptum est, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa."

Resp. Nego Patres significare gratiam excitantem esse causam physicam actuum salutarium deliberatorum; sed PP. contra pelagianos agunt potissimum de gratia actuali, quia ex una parte est omnino necessaria ad salutariter agendum propter illius influxum moralem; et ex alia, licet sub ratione supernaturalitatis non immediate percipiatur, percipitur tamen ut est cognitio et affectio. Ideoque est facilius demonstrare ejus necessitatem quam gratiae habitualis; et hac de causa, et quia pelagiani expresse negabant gratiam actualem proprie talem, Patres gratiam actualem contra pelagianos propugnabant, et non ita gratiam habitualem.

Ad S. Bernardum quod spectat, prorsus negatur S. Doctorem affirmare gratiam excitantem physice producere actus salutares; sed omnem salutem Deo tribuit, qui est auctor et gratiae excitantis et adjuvantis, et gratiae actualis et habitualis. Immo S. Doctor expresse negat gratiam excitantem esse adjuvantem physice, quum dicit (2): "Non quicumque ostendit viam, praebet etiam viaticum itineranti... Porro duo mihi sunt necessaria, doceri ac juvari."

105. Obj. 5.° Quod adscribi potest causis secundis, non est adscribendum causae primae ut supplenti defectum causarum secundarum. Sed physica productio actuum salutarium tribui potest gratiae excitanti, seu actibus intellectus et voluntatis, in quibus gratia excitans consistit; nam actus sicut producunt habitus et species, ita alios actus producere possunt. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. et ejus probationem. Etenim actus producere alios actus non videtur admittendum propter rationes adductas in probatione theseos; illae autem rationes non dantur contra productionem habituum et specierum. Aliunde actus vitales alios actus producere

(1) *In eodem libro*, c. 14, n. 47.
(2) Loco antea citato, c. 1, n. 1.

neque a priori, neque a posteriori ostenditur; e contra actus habitus producere ostenditur ex facilitate, quae per repitionem actuum acquiritur; et producere species infertur ex eo, quod recordamur actuum intellectus et voluntatis, quos habuimus. Praeterea omnes scholastici tenent actus intellectus et voluntatis producere habitus et species; sed non ita respectu aliorum actuum; nam plures eorum unum actum vitalem producere alium negant. Immo P. Lossada affirmat (1) sententiam communem in omni schola negare actus intellectus influere physice in actus voluntatis; unde sequitur nullos actus in alios physice influere secundum communem sententiam; quia si actus intellectus non habent virtutem ad alios actus producendos, similiter de aliis actibus vitalibus disserendum esse videtur.

106. Corollarium. Ex dictis sequitur gratiam formaliter excitantem et gratiam formaliter adjuvantem physice realiter distingui; nam gratia formaliter excitans in actibus intellectus et voluntatis consistit, et gratia adjuvans physice in justis sunt habitus per se infusi, et in peccatoribus divina Omnipotentia sive Spiritus Sanctus. Gratia vero moraliter excitans, et gratia moraliter adjuvans est una eademque gratia; sed non est moraliter adjuvans in actu secundo, nisi quum accipiens gratiam, eidem cooperatur.

107. Scholion. De concursu Dei in actus salutares. Non quaeritur hic, utrum Deus concurrat in actus salutares; nam hoc jam est solutum, quum probatum est Deum concurrere in omnes operationes creatas (2). Neque quaeritur de ratione, qua Deus in operationes creaturarum concurrat; hoc enim explicatum est in *Tractatu de Deo Creatore* (3). Hic vero quaeritur, utrum concursus Dei in actus salutares sit supernaturalis, an sit concursus generalis et communis omnibus operationibus creatis etiam ordinis naturalis (4).

108. Concursus Dei in actus supernaturales est supernaturalis. Haec assertio complectitur concursum Dei in quoscumque actus supernaturales, etiam in illos, qui jam accipiunt supernaturalitatem ab habitibus per se infusis. Assertio defenditur ut certa, et ita probatur. Actus supernaturales etiam quatenus tales sunt ens participatum et dependens. Sed omne ens participatum et dependens indiget concursu Dei sub ea ratione, qua est dependens et participatum; quia sub ea ratione omnino dependet a Deo, et ab eodem accipitur. Ergo actus supernaturalis quatenus talis indiget concursu Dei, ac proinde concursu supernaturali. Item concursus Dei debet esse proportionatus operationi, cui communicatur. Sed

(1) *De Panimastica*, d. 7, c. 4, n. 75. Vide eumdem P. Lossada, eodem loco, d. 4, c. 4, n. 75.
(2) *De Deo Creatore*, d. 1, c. 2, a. 2.
(3) Loco antea citato, a. 5.
(4) Vide de hac re P. Suarez, *De gratia*, l. 3, c. 25 et sq.; Ruiz de Montoya, *De Providentia*, d. 36, s. 7; Alvarez (Didacus), *De auxiliis divinae gratiae*, d. 20; Beraza, *De gratia*, n. 117; Schiffini, *De gratia*, d. 3, s. 3, n. 155.

operationi stricte supernaturali non est proportionatus nisi concursus etiam supernaturalis. Ergo. Unde talis concursus, quatenus exigitur ratione dependentiae et participationis a Deo potest dici *generalis*, quia sub hac ratione ab omni ente creato exigitur; quatenus vero est aliquid supernaturale potest dici *specialis*, quia sub hac ratione solum convenit entibus supernaturalibus. Hic quoque concursus potest vocari donum gratiae, non quia non sit debitus enti supernaturali, sed quia ad ordinem gratiae spectat. Tamen P. Suarez docet (1) talem concursum, quum non exigatur ad habitu supernaturali, esse prorsus gratuitum; non enim exigitur ab aliqua re quae praecedat, neque ab ipso actu supernaturali, qui concursum non praecedit.

Articulus III

De concursu facultatum naturalium cum auxiliis gratiæ

109. Praemitt. 1.° Quaeritur hic, utrum potentiae naturales cum auxilio supernaturali concurrere possint ad effectus supernaturales producendos. Hic autem concursus potest considerari in genere, praescindendo a modo, vel potest considerari modus, i. e., utrum potentiae naturales immediate concurrant ad actus supernaturales. Quod potentiae naturales aliquo modo ad actus supernaturales concurrant est res fidei, ut postea probabitur; quod vero immediate concurrant, est res inter theologos disputata. Patres Societatis Jesu generatim tenent facultates seu potentias naturales physice et immediate concurrere in actus supernaturales (2), quibus consentiunt scotistae (3) et alii (4); verum contradicunt PP. Dominicani (5).

110. Praemitt. 2.° Potentiae seu facultates naturales quatenus concurrentes in effectus stricte supernaturales vocantur *obedientiales;* quia de se non possunt attingere effectus proprie supernaturales, et ad hoc necessarium est, ut a causa altioris ordinis adjuventur, et ideo illi quodammodo subjiciantur. Et generatim potentiae creatae dicuntur *obedientiales,* quatenus Deo sub-

(1) *De gratia,* l. 3, c. 25, n. 17.
(2) Vide P. Suarez, *De gratia,* l. 6, c. 5; Mazzella (Cam. Card.), *De gratia,* d. 1, a. 7.
(3) Vide Frassen, *De Deo uno, trac.* 1, d. 3, a. 7, sect. 2, q. 3.
(4) Vide Struggl, *De Deo uno,* d. 3, q. 2, a. 1.
(5) Vide Alvarez (Didacus), *De auxiliis divinae gratiae,* d. 64, concl. 2.ª; Gotti, *De Deo uno,* tract. 3, q. 4, dub. 3.

duntur ad producendum vel recipiendum id, quod per potentiam naturalem non possunt. Dividitur potentia obedientialis in *activam* et *passivam*. Dicitur activa, quae per divinum adjutorium elevatur ad producendum effectum stricte supernaturalem; et passiva, quae per divinum adjutorium in se recipit effectum stricte supernaturalem: Potentia obedientialis passiva effectum supernaturalem sine ullo intermedio recipit; secus in infinitum procedendum esset. Verum non recipit effectum supernaturalem per aliquam exigentiam vel ordinationem ejusdem rei; sed supra omnem exigentiam et ordinem ad rem supernaturalem, et per virtutem supernaturalem proprie talem. Hic autem de potentia obedientiali activa agendum (1).

111. Praemitt. 3.° Potentiae naturales spirituales possunt elevari ad producendos actus supernaturales per elevationem extrinsecam, i. e., per divinam omnipotentiam, ut postea demonstrabitur; et in hoc casu debent immediate concurrere ad producendos actus supernaturales; aliter namque hi non essent vitales (2).

THESIS I. Voluntas in actus salutares aliquo modo influit, immo in illos physice et immediate influit. Et quod de influxu voluntatis dictum est, etiam de intellectu accipiendum.

112. Nota. Thesis complecitur tres partes: 1.ª pars est voluntatem aliquo modo influere in actus supernaturales; 2.ª influere physice et immediate, seu per ipsam virtutem naturalem; 3.ª pars affirmat etiam intellectum physice et immediate in actus supernaturales ejusdem facultatis influere. 1.ª pars est de fide ex *Conc. Tridentino* dicente (3): "Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: A. S." 2.ª pars accipienda est de voluntate elevata, i. e, de voluntate non nuda, sed conjuncta cum adjutorio supernaturali. Haec 2.ª pars defenditur ut probabilior. Denique sensus tertiae partis manifestus est.

(1) Vide P. Ripaldam, *De ente supernaturali*, l. 2, d. 24; P. Lossadam, *De naturali philosophia*, d. 6, c. 5.
(2) Vide P. Ripaldam, *De ente supernaturali*, l. 2, d. 34 et sq.
(3) *Sess. 6.ª*, can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 814).

113. **Prob. 1.ª p.** Haec 1.ª pars sufficienter constat ex canone Tridentini modo allato; et omnia argumenta, quae pro 2.ª parte afferuntur, a fortiori 1.ªm partem ostendunt.

114. **Prob. 2.ª p.** *1.°Ex S. Scriptura.* Ex *I. Cor.* XV, 10, ubi legitur de S. Paulo: "Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum." Jam vero, si sola gratia actus salutares efficeret, non posset Apostolus dicere *gratia Dei mecum,* sed deberet dicere gratia Dei, i. e., non ego *laboravi,* sed gratia Dei. Atque haec interpretatio probatur a S. Augustino his verbis (1): "Id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo."

115. 2.° Ex Conc. Tridentino, quod inquit (2): "Declarat praeterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse... ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest..." Hisce verbis Concilium affirmat hominem, si divinam inspirationem recipit, illi assentiri et cooperari. Jam vero homo non libere assentiretur divinae inspirationi, nisi voluntas se determinaret (3) ad illam recipiendam, et consequenter nisi ageret; neque illi cooperaretur, nisi simul cum gratia etiam operaretur. Item in can. 4, allato n. 112, dicit Concilium voluntatem non mere *passive se habere,* ideoque aliquid agere, ut affirmatur in testimonio adducto, *neque homo nihil omnino agat.* Et homo quidem nihil omnino ageret, si gratia esset tota et adaequata virtus agendi; sed reciperet tantum gratiam, quae unica esset agens. Nec homo ageret per medium, quum nihil quod ab homine exigatur, aut ab eo procedat, sit virtus agendi supernaturaliter.

116. 3.° *Ex PP.* S. Augustinus inquit (4): "Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imo et agis, et ageris; et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit,

(1) *De gratia et liber arbitr.,* c. 5, n. 12 (M. L. 44, 883).
(2) *Sess. 6,* cap. 5 (Denz.-Bannwart, n. 797).
(3) Vide quae dixi in *Tract. de Deo Creatore,* c. 2, a. 5.
(4) *Sermo 156,* c. 11, n. 11 (M. L. 38, 855).

agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris praescribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis." Et inferius (1): "Quia vivitis, utique agitis. Non enim adjutor est ille, si nihil agatis: non enim cooperator est ille, si nihil operamini. Sic vos tamen scitote agere bona, ut sit rector Spiritus adjutor: qui si defuerit, nihil boni omnino agere valeatis." Et S. Bernardus: (2): "Unde Paulus cum bona plurima quae Deus per ipsum fecerat, enarrasset, *non autem ego, ait: sed gratia Dei mecum.* Potuit dicere, per me, sed quia minus erat, maluit dicere, mecum: praesumens se non solum operis esse ministrum per effectum: sed et operantis quodammodo socium per consensum." Item alibi (3): "Sic autem ista (gratia) cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat: in ceteris comitetur. Ita tamen quod a sola gratia caeptum est, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa."

117. *4.° Ratione.* Actus salutares voluntatis sunt voluntarii et liberi ut actus ipsius voluntatis, ut omnes catholici admittunt. Sed non essent voluntarii et liberi ut actus voluntatis, si sola gratia in illos influeret. Ergo. Prob. min. Non essent voluntarii: quia ut aliquit sit voluntarium ut actus voluntatis debet esse ab ipsa voluntate, quae includit rationem voluntarii, et ita illam suis actibus tribuere potest; gratia autem venit ab extrinseco et non includit rationem voluntarii, et ideo illam communicare non potest. Deinde non essent liberi; quia de ratione libertatis est libera determinatio potentiae liberae; gratia autem non est potentia libera; quapropter nec libere se determinare potest, nec facere actum liberum.

Id ipsum confirmatur, quia actus supernaturales voluntatis sunt vitales, ut ab omnibus catholicis admittitur; sed non essent vitales, si per solam gratiam fierent; quia, quum haec non sit principium vitale, non potest facere vitales suos effectus; non enim potest communicare, quod non habet.

(1) Cap. 12, n. 13, col. 856.
(2) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 13, n. 44 (M. L. 82, 1025).
(3) Eodem loco, c. 14, n. 47, col. 1026.

118. Prob. 3.ª p. Nam actus supernaturales intellectus, ut visio Dei, fides etc., sunt actus vitales; quocirca ab intellectu, qui est potentia vitalis, debent etiam procedere, et non a sola gratia, quae rationem vitae non continet. Deinde si voluntas simul cum gratia in actus supernaturales voluntatis debet influere; idem de actibus supernaturalibus intellectus dicendum est; nam intellectus non est in suo ordine minus perfectus quam voluntas.

119. Obj. 1.° Apostolus ad *Rom.* IX, 16, inquit: "Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei." Et ibidem VIII, 14: "Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei." His vero textibus indicatur Deum et ejus gratiam unice in actibus salutaribus agere.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Imprimis textus *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, nullo modo excludit cooperationem humanam in actus salutares; sed requirit hominem nihil posse facere salutare sine gratia, quam Deus humanae naturae misericorditer tribuit. Unde S. Chrysostomus dicit (1); "Cum enim dicit, *Non est volentis, neque currentis*, non potentiam tollit; sed ostendit non totum illius esse, sed egere illum superna gratia. Oportet enim et velle et currere; confidere autem non propriis laboribus, sed Dei benignitate: id quod et alibi dicit: *Non ego autem, sed gratiam Dei mecum* (*I. Cor.* XV, 10).

Praeterea S. Augustinus laudato textui triplicem tribuit interpretationem, et nulla ex illis nostram cooperationem excludit. 1.ª est, *non esse volentis neque currentis*, quia nisi Deus vocando praecedat, non possumus salutariter velle. Dicit (2) enim: "At enim quia non praecedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur. Non igitur ideo dictum putandum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione non volumus." 2.ª est, quia a divina misericordia pendet ita vocare, ut quis vocationem sequatur. Ita enim S. Augustinus loquitur (3): "Et illud non minus verum sit, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem." 3.ª denique est, quia ad Deum pertinet praeparare voluntatem ut adjuvetur, et praeparatam adjuvare. Asserit (4) enim S. Doctor: "Restat ut propterea recta intelligatur, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam."

Deinde alter textus, sc., *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* non contradicit doctrinae positae; quia homines Spiritu Dei aguntur per necessariam illuminationem et inclinationem in bonum a Spiritu Sancto procedentem, et quam homo potest libere sequi aut rejicere.

(1) *Homil. 17 in Epist. ad Rom.*, n. 9 (M. G. 60, 561).
(2) *De diversis quaest. ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 12 (M. L. 40, 118).
(3) Loco proxime citato, n. 13.
(4) *Enchiridion*, c. 32, (M. L. 40, 248).

Accedit quod *Indiculus* (1) *de gratia Dei* dicit (2): "*Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (*Rom.* VIII, 14); ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanae singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium." Et S. Augustinus supra adductus declarat quid sit *non agere et agi.* Et hoc ipsum docet alibi dicens (3): "Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi (*Rom.* VIII, 14), ut quod agendum est, agant, et cum egerint, illi a quo agunt, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant..." Item dicit (4): "Profecto ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est."

120. Obj. 2.° S. Augustinus pluribus in locis videtur excludere influxum immediatum voluntatis in opera supernaturalia. Sic dicit (5): "Quam vocationem significans (Apostolus) ait: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori* (Rom. IX, 12, 13). Numquid dixit, non ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo." Item (6): "Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, et nobis ex parte committimus." Rursus (7): "Hoc nobis expedit et credere et dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis et submissa confessio, et detur totum Deo." Iterum (8): "Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur." Denique (9): "Ut autem de caelo vocaretur, et tam magna efficacissima vocatione converteretur (*Act.* IX), gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala." Ergo.

Resp. Conc. ant, et neg. cons. Quum S. Augustinus totum in operibus salutaribus tribuit Deo, non est ejus mens negare influxum voluntatis, ut constat ex testimoniis ipsius antea adductis; et id ipsum confirmatur ex l. 1 Retractionum, c. 23 (10). Ibi aliquo modo emendans ea, quae dixerat (11), ita loquitur: "Utrumque ergo nostrum est (et credere et bonum operari) propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen datum est per Spiritum fidei et caritatis." Et paulo inferius addit: "Et utrumque ipsius est, quia ipse praeparat voluntatem; et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis." Deinde S. Augustinus omne tribuit Deo, quia omne opus salutare est a gratia Dei, et quidem principaliter, et ita ut ipse consensus Deo tribui potest, quia per gratiam praevenientem praeparat illum. Dicit vero *ut velimus sine nobis operatur*, quia nos non libere, sed necessario operamur. Et hac ipsa de causa asserit *gratia Dei erat sola*, quia ibi agit de vocatione, quae est libera Deo,

(1) Denz.-Bannwart, n. 129 et sq.
(2) Loco proxime citato, cap. 8, n. 134 ad finem.
(3) *De correptione et gratia*, c. 2, n. 4 (M. L. 44, 918).
(4) *De gratia Christi*, c. 25, n. 26 (M. L. 44, 373).
(5) *De praedest. sanct.*, c. 16, n. 32 (M. L. 44, 983).
(6) *De dono perseverant.*, c. 6, n. 12 (M. L. 45, 1000).
(7) Eodem loco, c. 13, n. 33, col. 1013.
(8) *De gratia et lib. arbitr.*, c. 17, n. 33 (M. L. 44, 901).
(9) Eodem loco, c. 5, n. 12, col. 889.
(10) Migne P. L. tom. 32, col. 621.
(11) In *Expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Rom.*, (M. L. 25, 2065 et sq.).

sed non homini. Unde S. Doctor dicit (1): "Ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo."

Atque ad majorem confirmationem addo. S. Doctorem immediate ante verba illa *gratia Dei erat sola*, dixisse: "*Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV, 10): id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo."

121. Obj. 3.° Ex aliis PP. S. Joannes Chrysostomus inquit (2): "Quod etiam hoc loco his verbis facit (Apostolus): Non quod sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis. Hoc est non ita dixi, fiduciam habeamus, ac si aliud nostrum sit, aliud Dei; sed totum istud Deo adscribo." Item (3): "Vides quomodo nihil ostendit esse eorum (fidelium), sed totum Dei?" Rursus (4): "Hoc solum curemus, quomodo diabolum vincamus: imo vero hoc opus non nostri studii est, sed gratiae Dei totum." Et S. Cyprianus dicit (5): "Ut dum praecedit humilis et summissa confessio et datur totum Deo quidquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur ipsius pietate praestetur." Similiter S. Hieronymus (6): "Nec statim totum erit hominis quod eveniet; sed ejus gratiae qui cuncta largitus est. Etiam alii PP. simili modo loquuntur. Jam vero auctoritates adductae videntur significare in operibus salutaribus totum esse tribuendum gratiae, et nihil voluntati. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. et cons. P. Ripalda testimonia Patrum allata et alia similia triplici ratione solvit (7): et recte.

1.° PP. asserunt omnia tribuenda esse gratiae vel Deo supernaturaliter operanti; quia revera facit gratia quidquid in actu supernaturali reperitur, licet etiam hoc ipsum faciat voluntas; sed haec non facit actum esse supernaturalem, nec concurrit nisi elevata. Patres hoc modo loquuntur contra Semipelagianos, qui in operibus salutaribus aliqua soli libero arbitrio tribuebant, et aliqua gratiae.

2.° Patres docent totum esse tribuendum gratiae, quia haec est pars principalis et a qua unice pendet tota ratio supernaturalitatis. Sic S. Thomas dicit (8): "Sed secundum aliam acceptionem verum est quod ipse motus voluntatis non est a gratia sine libero arbitrio; et tamen quia se habet gratia ut principale, quia inclinat in talem actum per modum cujusdam naturae, ideo ipsa sola talem actum dicitur operari, non quod sine libero arbitrio operetur, sed quia est principalior causa, sicut gravitas dicitur operari motum deorsum."

3.° Totum a PP. tribuitur Deo, quia gratia praeveniente seu vocatione in actum salutarem liberum nos inducit. Sic dicit (9) S. Joannes Chrysostomus: "Non enim haec tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit; si remissionem

(1) *De diversis quaest. ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 10 (M. L. 40, 117).
(2) *Homil. 6 in II Cor.*, n. 2 (M. G. 61, 437).
(3) *In Epist. II ad Thessal., cap. 2, Homil. IV*, n. 2 (M. G. 62, 488).
(4) *In Acta Apostolorum, Homilia 15*, n. 3 (M. G. 60, 124).
(5) *De oratione dominica*, n. 26 (Hartel, pág. 287).
(6) *Commentar. in Jeremiam*, l. 4, c. 18, v. 6 (M. L. 24, 796).
(7) *De ente supernaturali*, l. 2, d. 30, s. 24.
(8) *2.*, dist. 26, a. 5, ad 3.
(9) *In Epist. I ad Cor. Homil.* 12, n. 2 (M. G. 61, 97).

peccatorum, si charismata, si doctrinae verbum, si virtutes: omnia inde accepisti. Quid ergo habes, quaeso te, quod non acceperis, sed ex te ipso recte acquisieris? Nihil dicere possis."

Postremo ipse P. Ripalda (1) quadruplici modo declarat sensum testimonium PP., quibus voluntas ab actibus salutaribus excluditur per voces *sola gratia* vel alia similia. Porro hi quatuor modi non excludunt concursum physicum voluntatis in actibus salutaribus; sed excludunt aut non elevatam, aut libere operari cum gratia praeveniente, aut habere rationem meriti (2).

122. Obj. 4.° Facultas naturalis in actum supernaturalem non concurrit nisi elevata per gratiam, et haec est tota ratio entitatis supernaturalis. Ergo in actum supernaturalem non concurrit physice et immediate.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam facultas naturalis sola non potest facere aliquid supernaturale; et hac de causa necesse est potentiam naturalem elevari ut in effectum supernaturalem influat; sed elevata seu adjuta a gratia potest per unam eamdem actionem cum gratia concurrere ad actum supernaturalem. Hic quidem actus a gratia recipit supernaturalitatem, et a facultate naturali vitalitatem.

123. Obj. 5.° Potentiae naturales sunt intrinsece et essentialiter impotentes ad effectum supernaturalem attingendum. Atqui per elevationem non tollitur intrinseca et essentialis impotentia. Ergo.

Resp. Dist. maj.: potentiae naturalis sunt intrinsece et essentialiter impotentes per se et sine adjutorio gratiae, conc.; cum adjutorio gratiae, nego. Quare potentiae naturales in aliquid supernaturale concurrere non possunt, et sunt ad hoc intrinsece et essentialiter ineptae; verum possunt juvari a principio supernaturali, et simul cum hoc possunt producere physice et immediate actum supernaturalem.

124. Obj. 6.° Actus supernaturalis si esset a principio supernaturali et a principio naturali, esset simul naturalis et supernaturalis. Atqui absurdum est aliquid esse simul supernaturale et naturale. Ergo. Accedit quod denominationes debiliorem partem solent sequi.

Resp. Neg. maj. Imprimis actus supernaturalis, quum sit indivisibilis non potest constare alia parte supernaturali, alia naturali. Deinde totus actus est supernaturalis, quia excedit omnem exigentiam naturae, et per nullas vires solius naturae haberi potest, et quidem ratione ejus excellentiae ordinis supernaturalis. Deinde illud quod additur, hic non habet locum, quia potentia naturalis non producit actum supernaturalem nisi quatenus elevata.

125. Obj. 7.° Vitalitas actus supernaturalis non continetur in facultate naturali; quia ea vitalitas est supernaturalis, et in facultate naturali nihil supernaturale continetur. Ergo nec sub ratione vitalitatis facultas naturalis in actum supernaturalem influere potest.

Resp. Neg. ant. et ad probationem dist.: vitalitas supernaturalis non continetur in facultate naturali sub ratione vitalitatis, neg.; sub

(1) Loco antea citato, n. 123.
(2) Vide plura apud P. Ripaldam, loco antea citato.

ratione supernaturalitatis, conc. Et etiam dist. cons.: facultas naturalis in actum supernaturalem nec sub ratione vitalitatis influere potest, si sola operetur, conc.; si operetur ut elevata, seu ut conjuncta cum principio supernaturali, neg. Itaque nec sola facultas naturalis vitalitatem actui supernaturali communicare potest, nec solum principium supernaturale, quum non sit vitale, et idcirco requiritur conjunctio principii supernaturalis et facultatis vitalis ut habeatur actus, qui simul sit et supernaturalis et vitalis. Porro sive principium supernaturale, sive facultas naturalis totum actum efficiunt, quum partibus careat; et sic vitalitas fit a principio supernaturali ut conjuncto cum principio vitali, et principium vitale seu facultas naturalis facit supernaturalitatem ut elevata per principium supernaturale.

126. Obj. 8.° Actus supernaturalis est adaequate supernaturalis. Atqui actus adaequate supernaturalis principium adaequate supernaturale requirit. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. et cons. Quamvis actus supernaturalis fiat per principium supernaturale et per principium naturale, efficitur per unicam actionem communem principio supernaturali et principio naturali, ideoque totus actus est adaequate ab uno quoque principio; et consecuenter totus actus est supernaturalis, quia totus est a principio supernaturali. Aliunde principium naturale non concurrit nisi elevatum et hoc modo facit totum actum totalitate effectus, sed non totalitate causae; et nullo modo impedit supernaturalitatem actus, sed illi tribuit esse vitalem et voluntarium. Nec sequitur, ex eo quod actus fiat a principio supernaturali et a potentia naturali, esse minus supernaturalem quam si fieret a solo principio supernaturali. Etenim ex una parte, sicut dictum est, actus est totus supernaturalis, et ex altera principium supernaturale non minus influit in actum, si cum principio naturali conjungatur, quam si solum operetur. Principium enim naturale nullo modo impedit exercitium virtutis supernaturalis, nec vitalitas, nec voluntarietas supernaturalitati opponuntur.

127. Obj. 9° Si potentiae naturales in actum supernaturalem immediate concurrerent, quo perfectiores essent potentiae naturales, eo perfectior esset actus. Ergo perfectio actus supernaturalis a perfectione potentiae naturalis dependeret.

Resp. Nego ant. et cons. Potentiae naturales, ut jam saepe dictum est, nonnisi elevatae in actum supernaturalem influunt, et idcirco pro ratione elevationis: unde non magis vel minus in actum supernaturalem influunt pro ratione perfectionis naturalis, sed pro ratione elevationis, et idcirco quum principium supernaturale et elevans est idem, potentiae naturales non communicant majorem perfectionem actui supernaturali.

128. Corollarium. Ex dictis sequitur sententiam hic defensam non favere pelagianis, nec semipelagianis. Non pelagianis; quia hi asserebant solas vires naturales sufficere ad salutem consequendam, nec requiri gratiam nisi ad consequendam salutem facilius; nostra vero sententia asserit solos actus supernaturales

a gratia productos conducere ad salutem. Non semipelagianis; quia hi initium salutis ponebant solis viribus naturalibus haberi; nostra vero sententia tenet sive initium, sive continuationem salutis non posse haberi nisi per gratiam.

129. Scholion. I. Actio principii supernaturalis et potentiae naturalis est una eademque. Nam actio, v. gr., voluntatis in actum supernaturalem est connexa cum tali actu, ideoque est supernaturalis; quia nihil naturale cum re supernaturali connectitur; actio autem supernaturalis non est a voluntate mere naturali; ideoque debet esse etiam a principio supernaturali, et ita eadem actio est simul a principio supernaturali et a facultate naturali. Nec repugnat eamdem actionem esse a duplici agenti, si haec agentia sint inter se subordinata, sicut facultas naturalis subordinatur principio supernaturali. Et S. Thomas asserit (1): "Dicendum, quod una actio non procedit a duobus agentibus unius ordinis; sed nihil prohibet quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente."

130. Scholion II. De mente S. Thomae. S. Thomas nostrae sententiae prorsus favet; dicit (2) enim: "Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam... oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivae illuminationem intellectus vocamus; sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux." Quare secundum Thomam intellectui creato *superaccrescit* virtus ad Deum videndum; non autem ita, si intellectus in visionem Dei nullo modo concurreret. Et statim id quod intellectui superadditur ad Deum videndum vocat S. Doctor *augmentum virtutis intellectivae*. Et hoc ipsum confirmatur ex responsione ad 1um, ubi legitur: "Ad primum ergo dicendum est, quod lumen creatum est necessarium ad videndum Dei essentiam; non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat... sed ad hoc quod intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum quo potentia fit potentior ad operandum per habitum." Quocirca secundum S. Thomam potentia naturalis per principium supernaturale fit potentior ad operandum, modo simili ac fit potentior per habitum; et hoc verum non esset, si solum principium supernaturale ageret. Et in responsione ad 2um, asserit intellectum *confortari* per principium supernaturale.

Id ipsum probatur ex iis, quae alibi S. Doctor asserit (3), videlicet: "Considerandum tamen est quod a Spiritu Sancto filii Dei aguntur, non sicut servi, sed sicut liberi. Quum enim liber sit, qui sui causa est, illud libere agimus quod ex nobis ipsis agimus; hoc vero est quod ex voluntate agimus; quod autem agimus contra voluntatem, non libere, sed serviliter agimus."

131. Dices. S. Thomas totam virtutem agendi videtur tribuere gra-

(1) *1. p.*, q. 105, a. 5, ad 2.
(2) *1. p.*, q. 12, a. 5.
(3) *Contr. gent.*, l. 4, c. 22.

tiae, quum dicit (1): "Ad secundum dicendum, quod Deus non sine nobis nos justificat; quia per motum liberi arbitrii, dum justificamur, Dei justitiae consentimus. Ille tamen motus non est causa gratiae, sed effectus; unde *tota operatio* pertinet ad gratiam."

Resp. Nego secundum S. Thomam *totam operationem pertinere ad gratiam* et excludere concursum physicum voluntatis; nam in corpore articuli adducit et approbat testimonium S. Augustini (2), in quo asseritur Deum facere ut *velimus*, et quum volumus *nobiscum cooperatur*. Dicit vero S. Doctor *totam operationem pertinere ad gratiam;* quia gratia est quae nos movet ad salutariter operandum, et quum operatur libere, ipsa nos adjuvat. Potest etiam tota operatio tribui gratiae, sicut supra dictum est, quia gratia est causa principalis (3).

132. Scholion III. De causa principali et instrumentali (4). Causa principalis illa dicenda videtur, quae nobilior et perfectior est suo effectu, vel saltem aeque perfecta; instrumentalis vero quae est inferior perfectione respectu effectus, et non potest illum attingere, nisi a causa superioris ordinis adjuvetur. Unde in concursu gratiae cum potentia naturali, gratia est causa principalis, quia est ejusdem perfecionis cum effectu; potentia vero naturalis est causa instrumentalis, quia est minoris perfectionis, quam effectus, et a causa altioris ordinis adjuvari debet. Tamen voluntas, v. gr., est causa principalis respectu vitalitatis, voluntarietatis et libertatis effectus; quia in his praedicatis habet saltem tantam perfectionem, sicut effectus.

THESIS II. Intellectus et voluntas possunt concurrere ad actus supernaturales adjuti per solam divinam omnipotentiam sine ullo principio supernaturali illis inhærente.

133. Nota. Haec thesis ponitur ad declarandum, qua ratione intellectus et voluntas possunt concurrere ad actus supernaturales vitales sine principio supernaurali inhaerente eisdem facultatibus. Id posse fieri negat (5) P. Alvarez et generatim PP. Dominicani. Precipuum horum auctorum fundamentum est, quia si intellectus et voluntas in actus supernaturales non concurrerent per principium supernaturale ipsis inhaerens, nullo modo concurrerent, et sic actus supernaturales non possent esse vitales et liberi. Oppositum tenent plures theologi, et generatim PP. Societa-

(1) *1. 2.*, q. 111, a. 2, ad 2.
(2) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 17, n. 33 (M. L. 44, 901).
(3) Vide plura apud P. Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 2, d. 30, s. 19.
(4) S. Thomas, 1. *p.*, q. 45, a. 5; *2. 2.*, q. 65, a. 2, ad 1; *3. p.*, q. 77, a. 3, ad 3; q. 79, a. 2, ad 3; Suarez, *Metaph.*, d. 17, s. 2, n. 7 et sq.; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 2, d. 31; Lossada, *Naturalis philosophia*, tract. 2, d. 6, c. 3.
(5) *De auxiliis divinae gratiae*, l. 17, d. 67.

tis cum Suarez (1), Ripalda (2), Mazzella (Card.) (3), Beraza (4). Thesis defenditur ut multo probabilior. P. Ripalda (5) ita judicat de hac sententia: "Et quidem posse aliquem actum supernaturalem fieri immediate a natura rationali sine auxilio intrinseco supernaturali, communis est, et vera theologorum sententia."

134. *Prob. 1.°* Supernaturalitas, quae actui supernaturali tribuitur a principio supernaturali creato, potest a Deo immediate tribui; quia Deus modo excellentiore et perfectiore habet omnem virtutem omnium creaturarum; et ideo S. Thomas docet (6): "Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus qui fiunt per quamcumque causam creatam." Aliunde vitalitas actui tribui potest a facultate naturali, quae sicut a principio intrinseco elevari potest ad producendum actum supernaturalem, a fortiori ad hoc ipsum elevari potest ab ipso Deo. Neque est incommodum ex parte actionis, quia Deus potest operari per eamdem actionem cum causa secunda; quia omnis entitas creata immediate pendet a Deo, et S. Thomas dicit (7): "Nihil prohibet quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente." Neque ut actus sit vitalis necesse est omnia principia ipsius esse vitalia; sed sufficit unum principium esse vitale et operari ut tale; ita in cognitionem, quae certo est vitalis, influunt species impressa et Deus, qui non sunt respectu cognitionis principia vitalia. Similiter unum principium supernaturale operans ut tale sufficit ut actus sit supernaturalis, nam eo ipso jam superat omnem exigentiam naturae; quum natura nullo modo causam supernaturalem ut talem exigat.

Difficultates, quae ex concursu praevio fieri possent contra doctrinam traditam, solutas invenies in *Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, aa. 3 et 4.

135. 2.° Actus supernaturalis in infideli re ipsa fiunt per principium extrinsecum seu per divinam omnipotentiam. Ergo non repugnat actus supernaturales fieri sine principio supernaturali intrinseco. Prob. ant. Non enim possunt fieri per aliquod

(1) *De gratia*, l. 3, cc. 18 et 19.
(2) *De ente supernaturali*, d. 34, s. 3.
(3) *De gratia*, d. 1, a. 5.
(4) *De gratia*, p. 2, s. 1, c. 1, a. 2.
(5) Eodem loco antea citato.
(6) *1. p.*, q. 105, a. 2.
(7) *1. p.*, q. 105, a. 5, ad 2.

principium supernaturale transiens et non vitale, ut dictum est supra (1), neque per gratiam actualem, ut probatum (2). Ergo, quum aliud principium supernaturale praeter divinam omnipotentiam assignari nequeat, ab hac fieri dicendum est.

136. 3.° *Ex S. Thoma.* Dicit (3) enim S. Doctor: "Sicut autem divinae omnipotentiae subjecta sunt corpora, ita et mentes; unde, sicut potest aliqua corpora perducere ad effectus quorum dispositio in praedictis corporibus non invenitur, sicut Petrum fecit super aquas ambulare sine hoc quod ei dotem agilitatis tribueret; ita potest mentem ad hoc perducere ut divinae essentiae uniatur in statu viae, modo illo quo unitur sibi in patria, sine hoc quod a lumine gloriae perfundatur." Hisce autem verbis S. Doctor divinae Omnipotentiae manifeste tribuit posse supplere lumen gloriae; ideoque et alia principia supernaturalia creata supplere poterit. Hoc ipsum alibi docet (4).

137. Dices. S. Doctor inquit (5): "Dicendum, quod divina essentia videri ab intellectu creato non potest nisi per lumen gloriae... Quod tamen dupliciter participari potest. Uno modo per modum formae immanentis: et sic beatos facit sanctos in patria. Alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis, sicut dictum est (6) de lumine prophetiae; et hoc modo lumen illud fuit in Paulo quando raptus." Similia dicit q. *13 De veritate*, a. 2. Ergo secundum S. Thomam divina essentia videri non potest nisi *per lumen* aut permanens aut transiens.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Etenim in locis antea indicatis S. Doctor affirmat divinam essentiam posse videri sine ullo lumine. Nam in loco ex q. *10, de veritate* asserit divinam essentiam videri posse sine lumine gloriae, et non distinguit inter lumen permanens et transiens, et ponit exemplum ambulationis Petri super aquas sine dote agilitatis per divinam Omnipotentiam. Et in loco ex 4. docet *posse miraculose fieri quod divina virtute aliquis intellectus creatus non habens nisi dispositionem viae elevetur ad videndum Deum per essentiam;* jam vero *cum sola dispositione viae* non potest divina essentia videri nisi per virtutem divinae Omnipotentiae. Et exempla quae ibi adducit de *virgine pariente* et *de igne intra aquam comburente* non explicantur nisi tanquam effectus

(1) Caput. II, a. 1, n. 81 et sq.
(2) Caput. II, a. 2, n. 91 et sq.
(3) *De veritate*, q. 10, a. 11.
(4) *In 4.* dist. 49, q. 2, a. 7, c. In hoc loco dicit S. Doctor: "Sed contingit aliquando divina virtute quod aliqua res miraculose perducitur in aliquid in quod nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhaerentes, sicut quod virgo pariat, quod ignis in aqua comburat: et similiter potest miraculose fieri quod divina virtute aliquis intellectus creatus non habens nisi dispositiones viae, elevetur ad videndum Deum per essentiam."
(5) *2. 2.*, q. 175, a. 3, ad. 2.
(6) *2. 2.*, q. 171, a. 2.

immediati Omnipotentiae Dei sine concursu alicujus causae creatae in ipsam rem miraculosam.

Nec dicendum est S. Thomam retractasse sententiam; nam in q. 10 *De veritate* affirmat idem, quod in 4. dixerat; et in q. 13 *de veritate* idem dicit, quod habetur in 2. 2., 175; quare non est verisimile in q. 13 *de veritate* retractasse ea, quae in q. 10 antea dixerat, praesertim, quia antequam illas quaestiones finiret et evulgaret, poterat S. Doctor ab illis auferre ea, quae illi non placerent. Accedit quod omnes loci allati inter se conciliari posse videntur; quia loci ex *q. 10 de veritate* et ex 4. videntur intelligendi de potentia Dei absoluta, et loci ex *q. 13 de veritate* et ex *2. 2.* q. 175 videntur referri ad modum agendi de facto, seu ad communicationem visionis Dei per lumen permanens vel transiens. Nec refert quod dicatur (1) *Divina essentia videri non potest nisi per lumen gloriae;* nam haec verba videntur ita esse interpretanda ut faciant hunc sensum, videlicet, divina essentia secundum modum consuetum videndi illam non potest videri nisi per lumen gloriae.

(1) *2. 2.*, q. 175, ad 2.

CAPUT III

De necesitate gratiæ ad veritates ordinis naturalis cognoscendas et ad recte operandum naturaliter [1]

Articulus I

Utrum gratia sit necessaria ad veritates naturales cognoscendas

138. Praemitt. 1.° Veritates naturales seu ordinis naturalis sunt omnes illae quae nec immediate nec mediate ordinantur ad attingendum ipsum Deum immediate et prout est in se; sicut veritates supernaturales in genere sunt illae, quae sunt supra omnem exigentiam naturae, et dicunt ordinem ad Deum prout est in se attingendum. Hic agitur de illis veritatibus ordinis naturalis, quae immediate vel mediate per sensus congnosci possunt. Unde ea omnia, quae ex iis, quae a sensibus immediate percipiuntur, intellectus potest cognoscere, dicuntur cognosci mediate per sensus. Et quamvis multa futura contingentia, secreta cordis et praeterita, quae nullum vestigium sui reliquerunt, sint veritates naturales; tamen sunt imperviae intellectui humano, nisi ea revelet Deus, vel habens secreta; et ideo de his in praesenti non agitur.

139. Praemitt. 2.° Veritates ordinis naturalis aliae sunt *speculativae* et aliae *practicae*. Sunt *speculativae*. quae in cognitione objecti sistunt, et sunt *practicae*, quae ultra meram cognitionem vel excitant vel dirigunt ad operationem bonam vel malam faciendam. Veritates quidem possunt considerari *singillatim* et *collective*: considerantur *singillatim*, si de singulis veritatibus sermo sit; *collective* si de collectione omnium veritatum natura-

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 109, a. 1 et sq.; *2.*, d. 28; Suarez, *De gratia*, l. 1; Valentia, In *1. 2.*, *De gratia*, d. 8, punct. 2 et sq.; Beatus Bellarminus, *De gratia et liber. arbr.*, ll. 4 et 5; Arriaga, *De gratia*, dd. 37 et 38; Tanner, *De gratia*, q. 3; Wirceburgenses, *De gratia*, d. 5, cap. 2, a. 3 et sq.; Salmanticenses. In l. 2., *De gratia*, d. 2; Gotti, Card., *De gratia*, q. 1, dub. 3 et sq.; Billuart, *De gratia*, diss. 3.ª, a. 2 et sq.; Frassen, *De gratia*, d. 1. a. 1 et sq.; Henno, *De gratia*, q. 5; Struggl, *De gratia*, d. 4, q. 2; Clericus a Belliberone (Nicolaus), *De gratia*, sect. 2, l. 1, c. 2; Palmieri, *De gratia divina actuali*, c. 2, a. 1; Beraza, *De gratia, de necessitat. gratiae*, cc. 2 et 3; Pesch (Chr.), *De gratia*, s. 2, a. 3; Herrmann (Joan.), *De gratia*, p. 1, s. 2, c. 1 et sq.; Einig (Petr.), *De gratia*, p. 1.ª, c. 2, a. 1.

lium agatur. Tamen *collective* non accipitur, quatenus uno actu omnes veritates naturales cognoscantur, sed quatenus, sive simul, sive successive, perveniatur ad cognitionem omnium veritatum naturalium. Deinde necessitas gratiae pro veritatibus naturalis ordinis cognoscendis potest esse physica vel moralis. Est physica, si in natura humana desunt vires ad veritates naturales cognoscendas; et moralis, si est tanta difficultas ut habeatur talis cognitio, ut re ipsa ad illam nunquam perveniatur. Atque adjutorium ad habendam cognitionem naturalem non est nisi moraliter necessarium, quum in natura humana non desint vires physicae pro cognitionibus quoad substantiam naturalibus; ad habendam vero cognitionem intrinsece supernaturalem desunt in natura humana vires physicae, ideoquo ad hoc requiritur physice adjutorium.

Advertendum tamen hic est pro intellectu humano saepe esse physice impossibile cognoscere aliquas veritates mere naturales, non ex defectu virium in intellectu, sed quia est physice impossibile, ut veritas intellectui proponatur, ut evenit respectu multarum veritatum, quae in astris continentur, aut etiam in centro terrae.

140. Praemitt. 3.° De hac re fuerunt variae opiniones. Fuit opinio asserens hominem lapsum nullam veritatem sine aliqua gratia cognoscere posse; altera tenuit veritates naturales cognosci posse sine gratia Christi, sed non sine gratia Dei; tertia opinio fuit gratiam esse necessariam ad omnem cognitionem practicam; quarta asserit omnes veritates naturales etiam collective sumptas sine gratia cognosci posse. Protestantes, baiani et jansenistae generatim docent intellectum propter peccatum Adae fuisse debilitatum etiam respectu naturalis cognitionis. Denique communis theologorum sententia est homines sine gratia posse cognoscere singulas veritates naturales sive speculativas sive practicas, non vero omnes collective.

THESIS. Homo lapsus sine gratia cognoscere potest singillatim plures veritates ordinis naturalis sive speculativas, sive practicas; collective vero nec speculativas, neque practicas sine gratia cognoscere potest.

141. Nota. Thesis quatuor partes continet, videlicet: 1.ª pars est, homo lapsus sine gratia cognoscere potest singillatim ve-

ritates speculativas ordinis naturalis: 2.ª pars, potest etiam sine gratia cognoscere veritates practicas ordinis naturalis singillatim; 3.ª pars, non potest sine gratia cognoscere collective veritates speculativas ordinis memorati; et 4.ª pars, nec potest veritates practicas naturales cognoscere collective sine gratia. Omnes partes theseos sumendae sunt secundum ea, quae in praemittendis dicta sunt; et idcirco non asseritur posse cognosci sine gratia eas veritates naturales, quae intellectui naturaliter proponi non possunt. Gratia autem quae per se requiritur ad cognoscendas veritates ordinis naturalis est gratia naturalis, seu illa, quae dicitur gratia, quia est indebita, non quia pertineat ad ordinem divinum, seu ordinetur mediate vel immediate ad attingendum Deum prout est in se. Ratio est, quia res ordinis naturalis pro earum cognitione cognitionem supernaturalem, quae illis proportionata non est, exigere nequeunt. Si vero veritates essent cognoscendae modo positive salutari, tunc necessaria esset gratia stricte supernaturalis. Thesis quoad omnes suas partes est a theologis communiter recepta.

142. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex S. Scriptura.* Ex *Epist. ad Rom.*, I, 19, 20, ubi legitur: "Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles." Et in *Sap.* XIII, 1, 5, 9: "Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei... A magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri... Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?" In textibus allatis manifestum est Deum ex mundo visibili naturaliter ab homine cognosci posse, et quidem cum certitudine, et ideo homo lapsus veritates naturales singillatim cognoscere potest (1).

143. 2.° *Ex Conc. Vaticano.* Hoc Concilium dicit (2): "Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur* (*Rom.* I,

(1) Vide quae dixi in *Tract. de Deo uno*, d. 1, c. 1, a. 2, n. 23.
(2) *Sess. 3.ª*, cap. 2 (Denz.-Bannwart, n. 1785).

20)." Et inferius (1): "Si quis dixerit, Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis lumine certo cognosci non posse: A. S."

144. 3.° *Ex S. Augustino* (2), qui postquam adduxit caput I *Epist. ad Rom.* a v. 18 ad 23, ita prosequitur: "Vide quemadmodum non eos dixerit veritatis ignaros, sed quod veritatem in iniquitate detinuerint. Quia vero ocurrebat animo, ut quaereretur unde illis esse potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat; neque hoc tacuit, unde habere potuerint: "Per visibilia namque creaturae pervenisse eos dixit ad intelligentiam invisibilium Creatoris." Et alibi (3): "In his sane libris (*Soliloquiorum*) non approbo quod in oratione dixi: *Deus, qui nisi mundos verum scire noluisti* (L. 1, c. 1, n. 2). Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera."

145. 4.° *Ratione.* Homo est natura sua rationalis. Ergo propriis viribus cum solo concursu ordinario Dei aliquas veritates attingere potest; aliter enim non esset natura sua rationalis, quum ex se ratiocinari non posset. Praeterea quaelibet naturalis facultas, ut quinque sensus, propriis viribus suum objectum attingere potest; sed intellectus est facultas naturalis hominis, et habet pro suo objecto verum. Ergo intellectus ac proinde homo, potest propriis viribus verum attingere. Nec dicas intellectum propter peccatum originale transmutatum esse in pejus; nam, ut alibi probatum est (4), peccatum originale ex naturalibus nihil ab homine abstulit.

146. Prob. 2.ª p. seu sine gratia possunt etiam cognosci veritates practicae naturales. 1.° *Ex Rom.* I, 21, ubi legitur: "Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt." Ergo ethnici ita cognoverunt Deum naturaliter, ut possent illum honorare; ideoque modo practico. Et etiam ad *Rom.* II, 14, 15, habetur: "Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentibus, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut

(1) *Can. 1 de revelatione* (Denz.-Bannwart, n. 1806).
(2) *De Spiritu et litt.*, c. 12, n. 19 (M. L. 44, 212).
(3) *Retract.*, l. 1, c. 4 (M. L. 32, 580).
(4) *De Deo Creatore*, d. 3, c. 2, a. 6.

etiam defendentibus." Haec autem verba sensu obvio loquuntur de gentibus fidem non habentibus, sed quae per ratiocinium naturale acquisierunt plures veritates practicas ordinis naturalis.

147. 2.° *Ratione.* Nam homo sicut ex cognitione rerum sensibilium infert cognitionem Dei speculativam et practicam, similiter potest inferre alias veritates speculativas et practicas. Ergo homo sine gratia potest singulatim cognoscere veritates practicas. Item omnes cognoscunt ut certa quaedam principia practica, v. gr., *parentes honorandi sunt; quod tibi non vis, alteri ne feceris,* et alia simila. Ex his autem principiis possunt homines eruere conclusiones practicas pro casibus particularibus; ideoque possunt homines sine gratia habere cognitiones practicas. Accedit, ut est manifestum, homines naturaliter peccare posse. Ergo etiam cognoscere bonum et malum in ordine ad operandum, et consequenter modo practico; nam sine hac boni et mali cognitione non concipitur peccatum. Denique homo in statu naturae purae posset habere cognitiones practicas, quibus dirigeretur ad tendendum in suum finem naturalem; aliter enim non posset homo in illo statu in suum finem tendere. Ergo hoc ipsum potest homo in praesenti statu, in quo habet easdem vires intrinsecas, quas in statu purae naturae haberet.

148. Prob. 3.ª et 4.ª p. seu sine gratia non posse cognosci omnes veritates sive speculativas sive practicas (1). Nam experientia constat neque philosophos principales attigisse omnem scientiam, et ex adverso omnes plures errores admisisse. Ergo est moraliter impossibile sine gratia attingere omnem veritatem collective sumptam. Praeterea veritates naturaliter cognoscibiles ex una parte sunt paene infinitae, ex altera vero homo non potest scientias acquirere nisi successive et multo tempore et labore et cum admixtione errorum. Ergo, quum vita hominis sit brevis et multis occupationibus impedita, nunquam poterit homo propriis viribus pervenire ad omnia ea attingenda, quae sunt naturaliter cognoscibilia. Et eadem argumenta probant de veritatibus practicis; etenim nunquam philosophi pervenerunt ad docendam doctrinam moralem completam et sine erroribus. Item veritates practicae particulares et earum applicationes sunt innumerae, et idcirco omnes

(1) S. Thomas, *Contr. gent.*, l. 1, c. 4; P. Suarez, De gratia l. 1, c. 1, n. 9, et c. 2, n. 14; Beraza, *De gratia,* p. 2, s. 2, c. 2, a. 1, n. 266 et sq.; Herrmann (Joan.), *De gratia,* s. 2, c. 1, a. 1, n. 107.

distincte attingere, etiam sucessive, est moraliter impossibile. Deus vero potest hominibus communicare omnem scientiam practicam convenientem etiam ordinis mere naturalis, ut ex doctrina Ecclesiae catholicae constat.

149. Obj. 1.° contra 1.am p. S. Paulus, *I. Cor.* IV, 7, dicit: "Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis". Ergo omnia, etiam veritates naturales, sunt acceptae a Deo, et ideo per aliquam gratiam.

Resp. Conc. ant. et conc. etiam omnia a Deo esse accepta; sed nego omnia esse a Deo accepta per aliquam gratiam. Omnes quidem veritates et omnia bona a Deo procedunt, et a Deo hominibus communicantur; verum aliqua, posita hominis creatione, jam sunt homini debita et naturaliter ab eo haberi possunt. Ita sunt plurimae veritates speculativae ordinis naturalis.

150. Obj. 2.° S. Thomas asserit (1) hominem propter peccatum originale accepisse *vulnus ignorantiae*, et S. Augustinus (2) propter idem peccatum docet dari *quamdam profunditatem ignorantiae, ignorantiam veritatis*. Ergo homo videtur dicendus nullam veritatem sine gratia cognoscere posse (3).

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Imprimis secundum S. Thomam vulnus ignorantiae nihil abstulit (4) de cognitione naturali, et homo respectu cognitionis se habet intrinsece, sicut in statu naturae purae se haberet. Deinde S. Augustinus nullo modo negat vim rationis etiam destitutae gratia, quum dicat (5): "Praeter enim artes bene vivendi et ad immortalem perveniendi felicitatem, quae virtutes vocantur, et sola Dei gratia, quae in Christo est, filiis promissionis regnique donantur, nonne humano ingenio tot tantaeque artes sunt inventae et exercitae, partim necessariae, partim voluptariae, ut tam excellens vis mentis atque rationis in his etiam rebus quas superfluas, imo et periculosas perniciosasque appetit, quantum bonum habeat in natura, unde ista potuit vel invenire, vel discere, vel exercere, testetur?" (6).

151. Obj. 3.° Si homo posset plures veritates cognoscere sine gratia, etiam posset omnes ordinis naturalis; quia eadem videtur esse ratio. Ergo.

Resp. Neg. ant. Argumentum enim ad summum probat hominem posse cognescere successive omnes veritates ordinis naturalis,, si illi convenienter proponerentur; verum non probat omnes veritates naturales convenienter posse homini proponi, nec in judiciis ferendis non posse saepe errare vel propter passionem, vel minorem considerationem vel alias causas; et ita est moraliter impossibile hominem posse naturaliter et sine gratia cognoscere omnes veritates ordinis naturalis.

152. Obj. 4.° Est specialis gratia Dei veritates ita proponi intel-

(1) *1. 2.*, q. 85, a. 3.
(2) *De civ. Dei*, l. 22, c. 22, n. 1.
(3) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 1, nn. 19 et sq.
(4) *1. p.*, q. 95, a. 1; *1. 2.*, q. 85, a. 1.
(5) Loco proxime citato, c. 24, n. 3, col. 789.
(6) Vide dicta in *Tract. de Deo Creatore*, d. 3, c. 2, a. 6.

lectui, ut hic illas admittat et in errorem non incidat; poterat enim Deus ita res disponere, ut homo deciperetur et in errorem veniret. Quocirca, licet gratia Christi non sit necessaria ad singulas veritates cognoscendas, est tamen ad hoc necessaria gratia Dei.

Resp. Neg. assertum; nam ad Providentiam Dei exspectat ita disponere res, ut omnia in suum finem tendere possint, ideoque et homines in finem suum naturalem; aliter namque secundum suam naturam agere non possent. Atque res ita disponi est debitum naturae humanae, non gratia aliqua. Si autem aliquae sint gratiae Dei, in hac Providentia etiam sunt gratiae Christi; quia Deus omnes gratias et beneficia hominibus largitur in ordine ad eorum salutem; et omnia quae ad salutem hominum expectant, per Christum habentur.

153. Obj. 1.° contra 2 am. p. Plura sacrae Scripturae testimonia indicare videntur hominem sine gratia nullam veritatem practicam posse cognoscere. In *Genes.* VI, 5, legitur: "Videns autem Deus quod... cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore..." Et *II Par.* XX, 12: "Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te." Item *Psal.* XCIII, 11: "Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt." Rursus *Psal.* CXLII, 8: "Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam." Denique *II Cor.* III, 5: "Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est." Ergo requiritur gratia ad habendas cogitationes practicas (1).

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nullum ex testimoniis allatis probat quod intenditur. Non primum ex *Gen.* quia ibi significatur pervesitas hominum illius temporis et maxima inclinatio naturae humanae ad sectandas suas passiones; et haec per quamdam hyperbolem, ibi exprimuntur. Non secundum ex *Paral.*, quia verba illa sunt Josaphat Deum orantis, ut possit resistere suis inimicis valde potentibus. Non tertium ex *Psal.* XCIII, quia ibi vocantur vanae cogitationes hominum iniquorum et impiorum. Non quartum ex *Psal.* CXLII, quia ibi agitur de operibus salutaribus, quae sine gratia haberi non possunt. Et similiter in aliis orationibus sive sacrae Scripturae, sive Ecclesiae, sive Patrum, agitur de postulatione respectu rerum supernaturalium. Verum propter infirmitatem nostram etiam pro rebus naturalibus postulare possumus. Denique non ultimum ex *II Cor.*, quia ibi agitur de ordine supernaturali, qui gratiam requirit.

154. Obj. 2.° *Conc. Milevitanum* II dicit (2): "Utrumque esse donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus..." Et *Conc. Arausicanum II* inquit (3): "Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo..." Ergo sine gratia nihil veritatis neque honestatis consequi possumus.

Resp. Conc. ant. et dist. cons.: sine gratia nihil veritatis neque honestatis consequi possumus modo salutari et conducente ad salutem,

(1) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 2, n. 2, et nn. 18 et sq.
(2) Cap. 4 (Denz.-Bannwart, n. 104).
(3) Can.22 (Denz.-Bannwart, n. 195).

conc.; modo mere naturali et non conducente ad vitam aeternam, neg. Conc. Milevitanum et Arausicanum loquuntur de cogitionibus et affectibus supernaturalibus, ideoque contra sensum theseos non loquuntur. Similiter explicandi sunt S. Augustinus et alii PP., qui asserunt hominem non posse recte intelligere, recte cogitare et his similia; loquuntur enim de actibus salutaribus.

155. Obj. 3.° Homo naturaliter non potest habere perfectam prudentiam; quia ad hoc necessarium esset habere omnes virtutes. Atqui si recte posset judicare practice, haberet actum prudentiae, et per repetitiones similium actuum posset acquirere perfectam prudentiam. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. secundam partem minoris. Nam ad habendam perfectam prudentiam necesse est constanter recte judicare, et hoc sine gratia non fit; quia propter passiones homo inducetur, nisi gratia adjuvetur, ad judicandum non semel secundum inclinationes et passiones. Judicare vero recte multoties, sed non semper et constanter, vires naturae non superat, et imperfecta prudentia hoc tribuit. Nec requiritur gratia specialis ad hoc, ut homo actu recte judicet practice; quia natura humana postulat ita posse judicare in ordine mere naturali, et si actu nunquam ita judicaret, res haec esset moraliter impossibilis, et Deus exigentiae naturae non satisfaceret. Nec in oppositum aliquid probant verba *Proverbiorum*, VIII, 14, scilicet: "Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia..."; nam verissimum est *consilium*, et *aequitatem*, et prudentiam esse a Deo, sicut omnia creata sunt a Deo. Verum diversa ratione sunt a Deo prudentia supernaturalis, prudentia naturalis perfecta et prudentia naturalis imperfecta. Prudentia supernaturalis ita est a Deo, ut a natura nullo modo exigatur, et omnino gratis tribuatur; prudentia vero naturalis ita est a Deo, ut a natura exigatur, licet si sit perfecta, sine aliqua gratia non habeatur.

156. Obj. contra 3am. et 4am. p. Homini in statu naturae purae constituto esset debitum cognoscere etiam collective omnes veritates naturales. Ergo etiam hoc est debitum in statu naturae lapsae; quia homo propter peccatum originale nihil ex naturalibus amisit.

Resp. Neg. ant.; etenim in statu naturae purae essent debitae homini omnes illae cognitiones et speculativae et practicae, quae essent convenientes, ut finis naturalis posset obtineri; ad hoc autem non requiritur cognoscere collective omnes veritates naturales; sed sufficit cognoscere finem ultimum naturalem et media, quibus obtinendus esset, scilicet Deum et virtutes naturales et earum exercitia, et consequenter omnia necessaria et convenientia ad vitam conservandam. Unde si statui naturae purae non est debita cognitio collectiva omnium veritatum naturalium, neque statui naturae lapsae debita est (1). Aliunde, licet homo, sive in statu naturae purae, sive lapsae, potest singulatim cognoscere quascumque veritates naturales, si illi convenienter proponantur; attamen, quum veritates sive speculativae, sive practicae sint paene infinitae, non possunt omnes convenienter applicari intellectui. Praeterea sunt multae veritates naturales respectu quarum datur impossibilitas, ut intellectui

(1) Vide quae dixi in *Tract. de Deo Creatore*, d. 3, c. 2, aa. 5 et 6.

proponantur, ut sunt secreta cordis, futura contingentia, et ea omnia quae modo insuperabili distant, vel in centro terrae vel astrorum reperiuntur. Accedit quod homo etiam ad veritates naturales cognoscendas multo labore indiget, et saepe vel propter defectum considerationis, vel propter passiones et alias causas errat.

Ad hoc autem ut homo cognosceret omnes veritates naturales et sine ullo errore esset quidem necessoria gratia; sed non requiretur gratia entitative supernaturalis, sicut supra jam indicatum est:

Articulus II

Utrum homo in statu naturæ lapsæ possit sine gratia aliquod opus bonum facere

157. Praemitt. 1.° Opus bonum hic sumitur in sensu morali, ideoque definiri potest: *opus quod est conforme rectae rationi et legi naturali sive ex objecto, sive ex fine, sive ex circumstantiis.* Objectum actus dicitur illud, in quod actus tendit; sic v. gr., objectum actus eleemosynae est subvenire pauperi. Finis est id, quod intenditur per operationem: finis est duplex, videlicet *operis* et *operantis.* Finis *operis* est id, in quod tendit opus per se, et non distinguitur ab objecto; ita, v. gr., finis eleemosynae est subvenire pauperi. Finis *operantis* est id, quod operans intendit; ita, v. gr., si quis per eleemosynam vult pauperem sibi esse benevolum, hic est finis operantis. Finis potest quoque esse naturalis et supernaturalis: est naturalis, si Deum ut auctorem naturae respicit; et supernaturalis, si Deum ut auctorem gratiae et rerum supernaturalium. Deus ut finis potest intedi formaliter et expresse, vel tantum implicite et virtualiter. Denique circunstantiae vocantur ea, quae, citra rationem objecti vel finis, aliquo modo actum afficiunt. V. gr., esse divitem vel pauperem est circumstantia facientis eleemosynam.

158. Praemitt. 2.° Opiniones haereticorum. Joannes Hus asseruit omnia opera hominis vitiosi esse vitiosa, et omnia opera hominis virtuosi esse virtuosa (1); Lutherus tenet omnia opera etiam hominis justi esse peccata (2), et hoc ipsum tenet Calvinus (3). Baius, Jansenius et Quesnellius exigunt omnia opera

(1) Vide prop. 16.am Joan. Hus damnatam in *Conc. Constantiensi, sess. 15* (Denz.-Bannwart, n. 642).
(2) Prop. 31 inter damnatas a Leone X ex Martino Luthero (Denz.-Bannwart, n. 771).
(3) *Institut.* l. 2, c. 5, ad finem capitis.

debere elici a caritate ne sint peccata. Hoc de Baio constat ex prop. 38.ª ejusdem dammata a Pio, V, quae ita se habet: "Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur (1). Et de Jansenio, qui affirmat omnem amorem creaturae esse caritatem aut cupiditatem (2): Item ex prop. 7.ª sectatorum Jansenii damnata ab Alexandro VIII, sc. (3): "Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est." Et de Quesnel ex prop. 44.ª reprobata a Clemente XI, videlicet (4): "Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor, quo nos ipsos et mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert et propter hoc ipsum fit malus." Tamen Jansenius non videur exigere caritatem perfectam, sed tantum imperfectam, ne opus sit malum.

159. Praemitt. 3.º Opiniones catholicorum. Nonnulli catholici tenuerunt hominem in statu naturae lapsae nullum opus bonum sine gratia saltem naturali posse facere (5). Theologi Augustinenses tenent generatim hominem in praesenti statu posse sine gratia facere opus bonum ex parte objecti, sed non ex parte finis operantis; ideoque sine gratia nullum opus esse, quod non sit malum ex defectu ordinationis in debitum finem, quia homo ducitur cupiditate et nimio sui amore (6) P. Vazquez docet (7) nullum opus bonum posse hominem facere sine gratia naturali seu beneficio indebito ordinis naturalis, quod quidem est per Christum, quia juvat ad recte vivendum, et est necessarium, quia sine illo homo non operaretur recte. Mentio hic quoque facienda est doctrinae P. Ripalda, qui statuit (8) actum bonum naturaliter nunquam ab actu supernaturali intrinsece separari; hoc autem non evenit ex natura rei, sed ex lege Dei, qui statuit ut actus honestus naturaliter semper conjungeretur cum actu salutari,

(1) Denz.-Bannwart, n. 1038.
(2) Vide PP. Wirceburgenses, *De virtutibus theologicis*, d. 5, c. 2, a. 1.
(3) Denz.-Bannwart, n. 1297.
(4) Denz.-Bannwart, n. 1394.
(5) Vide P. Vazquez, *In 1. 2.*, q. 190, c. 2.
(6) Vide Berti (Laurentius), *De theologicis disciplinis*, l. 18, c. 4.
(7) Loco antea citato, c. 12.
(8) *De ente supernaturali*, l. 1, d. 20, s. 3, et l. 5, d. 114, s. 13.

seu stricte supernaturali. Denique communior theologorum sententia cum Val (Honoratus del) (1) tenet hominem sine ulla gratia posse facere opera aliqua honesta ex omni parte (2).

THESIS. Homo in statu naturæ lapsæ potest facere aliqua opera omni ex parte naturaliter honesta sine ulla gratia

Haec thesis non modo est multo communior, sed etiam videtur certa.

160. *Prob. 1.° Ex sacra Scriptura. Rom.* II, 14 et sq., dicitur: "Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordis suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum." In hoc testimonio sermo est de gentibus non conversis ad fidem; nam de illis dicitur *non habere legem, ipsos sibi esse legem, et ostendere opus legis scriptum in cordibus suis;* haec vero conveniunt ethnicis non christianis, qui legem naturalem habent inscriptam in sua natura et singuli per rectam rationem, quae legem naturalem ostendit, *sibi sunt lex.* De gentibus vero jam ad fidem Christi conversis non potest dici non habere legem, quum jam legem Christi acceperint, quae quidem nec ex ipsa natura habetur, neque est scripta in cordibus hominum, sed extrinsecus venit. Item S. Paulus nullum ponit indicium, quo gentes conversae indicentur, et characteres ethnicorum fidem non habentium adducit. Nec refert quod dicat *scundum Evangelium meum* per Jesum Christum; quia sive habentes fidem, sive illa carentes judicandi sunt secundum doctrinam Christi.

Deinde Apostous loquitur de gentibus ut operantibus sine gratia; quia agit de iis, quae fiunt *naturaliter* (φύσει), seu per naturam; ea vero quae fiunt per favorem indebitum non fiunt *naturaliter,* sive *per naturam,* sed per favorem ab extrinseco venientem. Nec dicatur hominem sine gratia legem naturalem custodire non posse; etenim, licet totam legem sine adjutorio gratiae servare nequeat, potest tamen aliqua servare.

(1) *De gratia Christi,* c. 1, a. 2, n. 52.
(2) Vide P. Suarez, *De gratia,* l. 1, c. 8; Beraza, *De gratia, de necessitate gratiae* c. 3, a. 3.

Atque interpretationi adductae textus Apostoli consonat propositio 22.ª Baii damnata, sc.: "Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad *Romanoss* "Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt (*Rom.* II, 14)" intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus."

161. 2.° *Ex propositionibus damnatis.* Prop. 27 Baii (1) dicit (2): "Liberum arbitrium, sine gratia Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet." Et 37: "Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit" (3). Item propositio 38 Quesnelli (4): "Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia Liberatoris." Et 39 (5): "Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali et incapax ad omne bonum." Similiter 40 (6): "Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem (7)." Denique in condemnatione prop. 24 Synodi Pistoriensis legitur (8): "Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii, a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei* (ex S. August., *De spiritu et litt.*, c. 28, (9); perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur* (ex S. August., *Sermo* 343, *De carit*) (10): "Falsa, alias damnata."

In propositionibus adductis reprobatur hominem sine gratia non posse facere nisi malum, et eo ipso indicatur etiam posse facere bonum ordinis naturalis, quum bonum sit quod malo opponitur. Nec convenienter dicitur propositiones adductas solum significare hominem praeter actus malos posse quoque elicere actus indiffe-

(1) Propositiones Baii damnatae sunt a Pio V, Bulla *Ex omnibus afflictionibus,* 1 Oct. 1567.
(2) Denz.-Bannwart, n. 1027.
(3) Vide etiam prop. 38, 62, 65.
(4) Denz.-Bannwart, n. 1388.
(5) Eodem, loco, n. 1389.
(6) Eodem, loco, n. 1390.
(7) Errores Quesnelli damnati sunt a Clemente XI, Const. dogmatica *Unigenitus,* 8 Sept. 1713 (Denz.-Bannwart, 1351 et sq.).
(8) Denz.-Bannwart, n. 1524. Propositiones Synodi Pistoriensis damnatae fuerunt a Pio VI, per const. *Auctorem fidei.*
(9) M. L. 44, 30.
(10) Cap. 1 et sq. (M. L. 39, 1529 et sq.).

rentes, non vero bonos seu honestos; etenim, quum propositiones allatae implicite negent hominem sine gratia posse facere aliquid boni, et hoc condemnatur; ideo eo ipso probatur hominem sine gratia posse facere aliquid boni naturalis, cui malum opponitur; et praeterea in damnatione propositionum, quae allatae sunt, damnatur hominem non posse sine gratia facere aliud praeter malum, et idcirco potestas hominis operandi praeter malum, non limitatur ad actus indifferentes, sed extenditur ad ea, quae non sunt mala et sunt proportionata viribus naturae.

Nec dici potest condemnationem referri ad posse, non ad factum; quia si dicitur hominem posse facere aliquid boni, sed nunquam facere; eo ipso ponitur impossibilitas moralis bene operandi sine gratia. Et aliunde condemnatio propositionum indicat sensu obvio hominem non modo posse facere sine gratia bonum naturaliter honestum, sed etiam aliquando facere.

162. 3.° *Ex PP.* S. Basilius inquit (1): Insident autem et nobis virtutes secundum naturam, cum quibus inest animae affinitas quaedam non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura. Quemadmodum enim nulla disciplina nos edocet morbum odisse, sed ex nobismetipsis ea quae molestiam creant, aversamur: ita et anima a malo declinat citra doctrinam." Et S. Hieronymus (2): "Unde multi absque fide et Evangeli Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur: ut inopi manum prorrigant: non opprimant vicinos: non aliena diripiant: magisque judicio obnoxii fiant, quod habentes in se principia virtutum, et Dei semina, non credunt in eo sine quo esse non possunt." Item S. Augustinus (3): "Licitam ergo caritatem habete: humana est; sed, ut dixi, licita est. Non solum autem ita licita est, ut concedatur: sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros... Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, judaeorum, haereticorum" (4): Denique S. Gregorius M. (5): "Nam sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis,

(1) *Homil. IX in Hexaemer*, n. 4 (M. G. 29, 195).
(2) *Comment. in Epist. ad Galat.* l. 1, c. 1, v. 15 (M. L. 26, 326).
(3) *Sermo 349*, c. 2, n. 2 (M. L. 39. 1530).
(4) Vide etiam *De spirit. et litt.*, c. 27, n. 48 (M. L. 44, 229); *Epist.* 164, c. 2, n. 4 (M. L. 33, 710); *De civ. Dei*, l. 5, c. 15 (M. L. 41, 160).
(5) *Homil. in Evang., homil.* 27, n. 1 (M. L. 76, 1205).

quibus tamen in hac dilectione sacra eloqui non contradicunt."

Atque eadem doctrina confirmatur ex S. Thoma dicente (1): "Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur; potest quidem etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere, sicut aedificare domos, plantare vineas, et alia hujusmodi; non tamen bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae."

163. 4.° *Ratione.* Ex supra dictis constat hominem solis naturae viribus posse habere cognitionem practicam boni et mali. Ergo, posita illa cognitione, potest homo honeste agere. *Prob cons.* Quia juxta adversarios, posita illa cognitione, potest homo peccare. Ergo etiam potest peccatum vitare; nam qui necessario peccat, non peccat. Sed peccatum quum de praecepto implendo agatur, vitari non potest nisi per actum positivum. Ergo, quum urgeat praeceptum non difficile ad implendum, potest homo illud implere, ac proinde ponere actum honestum; quia si homo operari potest ex fine indifferenti, non est cur non possit ex fine honesto. Item voluntas propriis viribus ferri potest in objectum non difficile ad prosequendum, quod illi proponitur ut bonum ab intellectu. Atqui intellectus naturaliter proponit voluntati bonum honestum non difficile ad prosequendum, v. gr., amandos esse parentes. Ergo voluntas propriis viribus in illud tendere potest. Denique quaelibet potentia naturaliter tendere potest in objectum sibi proportionatum. Atqui bonum naturaliter honestum est objectum voluntati proportionatum; quia bonum quod voluntatem naturaliter perficiat, non est nisi bonum naturaliter honestum; et unicuique potentiae est proportionatum objectum, quod illam naturaliter perficiat.

164. Obj. 1.° Textus ex *Epist. ad Rom.* (II, 14) non probat thesim, quia S. Augustinus (2) et ejus discipuli illum interpretantur de gentibus conversis ad Christum.

Resp. Sensus obvius et litteralis illius textus est ibi sermonem esse de paganis, seu de gentibus ad Christum non conversis. Et ipse S. Au-

(1) *1. 2.*, q. 109, a. 2.
(2) ***De spiritu et litt.***, c. 26, n. 43 (M. L. 44, 226); ***Contr. Julianum***, l. 4, c. 3, n. 23 (M. L. 44, 743).

gustinus non improbat (1) ibi agi de infidelibus, et ad *Julianum* (2) non loquitur absolute, sed sub disjunctione.

165. Obj. 2.° Omnia opera peccatorum sunt peccata. Ergo nullum opus bonum fieri potest sine gratia sanctificante, quia haec gratia est necesaria, ut peccator desinat esse talis. Prob. ant. Nam *Prov.* XV, 8, dicitur: "Victimae impiorum abominabiles Domino." Et *Is.* LXIV, 6: "Et facti sumus ut immundus omnes, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae..." Rursus *S. Matth.* VII, 18: "Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere." Iterum *Joan.* IX, 31: "Scimus autem quia peccatores Deus non audit..." Denique *I Joan.* II, 16: "Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae." In allatis autem testimoniis indicatur diversis modis omnia opera peccatorum esse peccata. Ergo.

Resp. neg. ant., et ad hujus probationes singulos textus explico.

Primus textus vocat *victimas impiorum abominabiles* non ratione status subjecti a quo offeruntur, sed propter pessimam intentionem offerentis, ut innuitur in *Is.* I, 11-15, *Jerem.* VII, 4-11 etc.

Secundus textus non est ad rem, quia in illo solum habetur simplex confessio status pessimi, in quo populus propter peccata inveniebatur.

Tertius textus nullo modo excludit ab arbore mala omnem bonum fructum; quia non quidquid convenit arbori, stricte applicandum est homini ut repraesentato per arborem; sed servata proportione. Unde homo, si operetur quatenus malus, seu mala arbor, non aget nisi male; sed potest operari quatenus habens naturam rationalem, et sic bene operabitur. Apposite S. Augustinus (3): "Quandoquidem quicumque erit, aut homo, aut angelus erit. Sed si homo in quantum homo est, arbor bona est; profecto et angelus, in quantum angelus, arbor bona est... Non itaque in quantum homo est, quod est opus Dei; sed in quantum malae voluntatis est, quisque arbor mala est, et bonos fructus facere non potest."

Verba quarti textus non sunt prolata a Christo, neque ab Evangelista, sed a quodam caeco a nativitate. Deinde, ut ex contextu elucet, sensus est Deum non exaudire peccatores ad facienda miracula et opera supernaturalia. Hoc autem, etiamsi non sit absolute verum, ut elucet ex *Matth.* VII, 22; tamen verum est Deum non sinere miracula patrari in confirmationem falsae sanctitatis aut falsae doctrinae.

Postremo in textu ex *I Joan.* II, 16, mundus, ut dicit P. A. Lapide (4): tripliciter accipi potest: 1.° pro amatoribus rerum mundanarum, seu voluptatum, divitiarum, curiositatum et honorum; 2.° pro ipso mundo visibili, in quo continentur objecta voluptatum, divitiarum, curiositatum et honorum; 3.° denique pro ipsa vita conformata amori inordinato rerum visibilium. In primo sensu non videtur mens *S. Joannis* excludere ab homine tradito rebus mundanis omnem actum bonum erga alios homines et erga se ipsum, et multo minus potestatem resistendi concupiscen-

(1) *De spiritu et litt.*, c. 28, n. 48, col. 230.
(2) In loco antea citato.
(3) *Contr. Julianum*, l. 4, c. 3, n. 30 (M. L. 44, 754).
(4) *Comment.* in locum laudatum.

tiis, sine gratia aliquantulum, et cum gratia complete. In secundo sensu, quum bona sensibilia non necessario hominem erga se trahant, eo ipso habetur facultas recte operandi, quatenus a rebus sensibilibus, non necessario impeditur. De tertio idem ac de primo dicendum est, nimirum vitam traditam amori inordinato rerum sensibilium non excludere actus aliquos bonos, ac proinde nec potestatem recte agendi.

166 Obj. 3.° Ad omne opus bonum requiritur fides supernaturalis. Sed fides supernaturalis est gratia. Ergo ad omne opus bonum requiritur gratia, et ideo sine gratia nihil boni fieri potest. Prob. maj. Ad *Rom.* XIV, 23, dicitur: "Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est." Et ad *Tit.* I, 15: "Infidelibus nihil est mundum..." Item ad *Hebr.* XI, 6: "Sine fide autem imposibile est placere Deo." Hi autem textus manifeste significare videntur sine fide nihil boni fieri posse.

Resp. Singulos textus allatos videri ita explicandos esse. Primus quidem non agit de fide theologica, sed de persuasione de eo, quod est licitum id, quod fieri intenditur. Iste sensus eruitur ex contextu, ubi agitur de cibis, qui juxta aliquos erant liciti, sed juxta alios erat dubium vel falsum illos esse licitos. Et Apostolus commendat ne alii aliis propter manducationem in scandalum inducant; et statuit eos qui sine scandalo manducent, debere hoc facere cum persuasione de eo, quod talis cibus sit licitus.

Quod si quis allatus textus de fide theologica accipere vellet, non potest accipi quatenus omnia quae non dirigantur a fide theologica sint peccata; nam juxta omnes sunt actus liciti inter infideles colere parentes, benefacere, etc. Igitur est verum esse peccata ea, quae sunt contra ria fidei; non autem omnia ea, quae praecise non diriguntur a fide.

Secundus textus loquitur de cibis, et asserit omnes cibos esse *mundos* (id est, per se manducari licite posse) mundis (hoc est, chistianis); e contra *coinquinatis et infidelibus nihil est mundum*, quia cibis utuntur aut modo superstitioso, aut contra eorum conscientiam. In laudato textu per *coinquinatos et infideles* significantur christiani judaizantes, quatenus erant inobedientes et veritatem aversabantur.

Postremus autem loquitur de ordine supernaturali, et in hoc ordine est omnino necessaria fides ad tendendum in Deum ut finem supernaturalem, et ad talem finem consequendum. Verum sicut textus nihil dicit de ordine naturali, ita non excludit bona opera hujus ordinis.

167. Obj. 4.° Omne opus ut sit bonum debet esse ex fine supernaturali et ex gratia. Ergo omne opus mere naturale non est bonum. Prob. ant. a) Debet esse ex fine supernaturali. Nam in *I Cor.* X, 31, legitur: "Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite." Et in *Coloss.* III, 17: "Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum." b) Debet esse ex gratia. Legitur enim *Joan.* XV, 5: "Sine me nihil potestis facere." Ea autem quae non possunt fieri sine Christo sunt opera gratiae. Et *I Cor.* XII, 6: "Deus, qui operatur omnia in omnibus." *Philipp.* II, 13: "Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate." Ad hoc etiam videtur facere praeceptum caritatis prout a Christo propo-

situm est (*Matth.* XXII, 37), scilicet: "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua."

Resp. Omne opus ut sit meritorium et ducat in vitam aeternam debet esse supernaturale et eo ipso natura sua tendere in finem supernaturalem, conc.; ut actus sit bonus mere naturaliter debet esse ex fine supernaturali, aut supernaturalis, neg. Deinde ad probationes explico singulos textus, qui opponuntur.

Ad a). Textus ad *Cor.* et ad *Coloss.* non dicuntur infidelibus, sed tantum christianis; ideo ex doctrina illorum infideles non peccant, quum eam doctrinam non cognoscant. Deinde respectu fidelium non videntur continere praeceptum dirigendi omnia actu vel virtute ad gloriam Dei et Christi; sed Apostolus exhortatur, ut nihil fiat contrarium gloriae Dei et Christi; sed omnia fiant modo convenienti, immo, in quantum possibile sit, omnia fiant propter Deum et in ordine ad vitam aeternam. Verum Apostolus nullatenus ad id obligat, quia esset obligatio nimis difficilis, et de qua non sufficienter constat.

Ad b) In *Joanne* XV, 5, sermo est de operibus supernaturalibus, ideoque in illo indicatur sine gratia nihil fieri posse, quod ad vitam aeternam conducat. Similiter textus ex *I Cor.*, XII, 6 et ad *Philip.* II, 13, loquuntur de ordine supernaturali, non de requisitis, ut habeatur opus bonum mere naturale. Et ad testimonium *Matth.* XXII, 37, dicendum est amorem Dei super omnia appretiative obligare lege naturali et lege Christi; sed si amatur Deus super omnia supernaturaliter, homo hoc amore lucratur vitam aeternam, nec actus amoris Dei naturalis debet exercere; sed amor Dei naturalis, licet bonus et laudabilis, non meretur nisi praemium naturale, et hoc tantum de congruo.

Objiciuntur etiam verba *Psalmi* CIV, 4, scilicet: "Quaerite Dominum, et confirmamini: quaerite faciem ejus semper." Verum textus allatus est quidem exhortatio ad quaerendum et amandum Deum modo supernaturali; attamen inde nihil sequitur, nisi operari supernaturaliter esse necessarium ad vitam aeternam promeredam, non autem ad recte agendum naturaliter. Similiter dicendum de textu *Matth.* VI, 33, videlicet: "Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.," videlicet nihil peculiare exigere pro bonis operibus naturalibus, nec de hac re agere.

168. Obj. 5.° *Conc. Arausicanum* II, can. 9, dicit: "Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus; quoties etiam bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur." Et can. 22: "Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum." Ex his autem sequitur per solas vires naturae nihil boni fieri posse.

Resp. Conc. ant. et dist. cons.: ex his sequitur per solas vires naturae nihil boni fieri posse quod ad vitam aeternam per se conducat, conc.; nihil boni mere naturalis, et ideo non conducentis ad vitam aeternam, neg. *Concilium Arausicanum* agit contra semipelagianos, qui non negabant vires naturae, sed minus concedebant gratiae. Et ad singulos canones respondendo, dico ea quae in can. 9, leguntur, ad supernaturalem ordinem sunt referenda. Can. vero 22 quadruplici modo explicari potest.

Primus modus est *neminem habere de suo nisi mendacium et peccatum*, quia omnia bona tribuenda sunt Deo, qui bonorum ipse est principalis auctor, et *mendacii et* peccati solus homo est auctor. Secundus est, ex duobus extremis, quae sunt agere salutariter et peccare, hominem per se non posse facere nisi peccare, non autem supernaturaliter agere. Tertius, hominem sine gratia non facere nisi pauca bona. quartius denique, opera sine gratia non conducere ad salutem, et ita veluti nihil aestimari.

169. Obj. 6.° Ut opera sint honesta, referenda sunt in Deum tanquam in finem ultimum. Atqui sine fide referri in Deum nequeunt. Ergo.

Resp. Dist. maj.: ut opera sint honesta, referenda sunt in Deum tanquam in finem ultimum supernaturalem, neg.; tanquam in finem ultimum naturalem, subdist.: expresse et formaliter, iterum, neg.: implicite et virtualiter, conc. Hoc autem postremum habetur quoties homo ex motivo honesto operatur. Ratio hujus solutionis est, quia in singulis operibus non major obligatio probatur, quam operandi ex motivo honesto. Obligatio vero referendi explicite omnia in Deum ut finem ultimum saltem naturalem, non obligat singulis momentis et singulis operibus; sed suis temporibus. In praesenti tamen providentia non datur finis naturalis ut possidendus, sed unice finis supernaturalis.

170. Obj. 7.° Ut homo actionem honestam eliciat, opus est, ut habeat cogitationem congruam, i. e., eam objecti honesti manifestationem, quam Deus praevidit fore efficacem, seu cum operatione honesta conjungendam. Atqui illa cogitatio congrua est Dei gratia; nec enim Deus tenetur eam cogitationem homini dare cum qua re ipsa honeste operetur. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Quia, posita creatione, ex cursu naturali causarum pro singulis hominibus plures cogitationes erunt congruae, sive cum quibus honeste agent in ordine naturali. Atque, ut dicit P. Arriaga (1), moraliter est impossibile, ut in occasionibus innumeris bene operandi, quae passim homini occurrunt, et ex quibus saepissime homini valde connaturale est bene operari, immo vero connaturalius quam contrarium, ut, v. gr., agere gratias ei a quo magnum aliquod beneficium accepit; amicum optime meritum amare; infantulum in terra aut in luto jacentem elevare; impossibile, inquam, in infinitis talibus occasionibus hominem cum concursu generali aliquando non bene operari. Nec verum est hominem propter peccatum originale debere spoliari omni cogitatione congrua; etenim peccatum originale non extraxit hominem a statu viae, et hic status postulat hominem posse tendere in terminum, et recte operari posse.

171. Obj. 8.° Voluntas ab ultimo fine deordinata non potest in illum tendere sine Dei gratia. Sed voluntas hominis lapsi est ab ultimo fine deordinata. Ergo.

Resp. Dist. maj.: Voluntas ab ultimo fine deordinata non potest sine gratia tollere a se deordinationem seu peccatum, conc.; non potest

(1) *De divina gratia*, d. 38, s. 2, n. 15.

elicere actum bonum saltem virtualiter in finem tendentem, subdist: actum bonum supernaturalem, iterum, conc.; naturalem, neg. Quamvis homo sit peccator, non est cur non possit honeste agere naturaliter; hujusmodi tamen honestae operationes ad finem ultimum non ducent, quia peccatum impedit, et quia in praesenti providentia non datur finis ultimus naturalis.

172. Obj. 9.° Exorandus Deus est, ut nos adjuvet ad recte operandum in singulis operibus; non esset autem hoc a Deo postulandum, si jam in nostra potestate esset recte operari. Ergo.

Resp. Dist. maj.: exorandus est Deus, ut nos adjuvet ad recte operandum in singulis operibus, tanquam res praecepta, neg.; tanquam optimum consilium, conc. Item dist. min.: non esset autem hoc a Deo postulandum, si jam in nostra esset potestate ita recte operari, ut nunquam a bona operatione deficeremus, conc.; si a bona operatione aliquando deficimus, neg. Possumus enim a Deo postulare, ut ita nos adjuvet, ut nunquam peccemus, saltem plene deliberate. Deinde fideles a Deo postulant recte operari in ordine supernaturali; operatio autem vere supernaturalis semper est gratia et supra naturam, atque idcirco a Deo postulanda, nisi jam sit debita naturae elevatae.

173. Obj. 10 In hac providentia semper ac haberi potest actus moraliter bonus, datur quoque gratia ad illum eliciendum. Ergo non dantur actus moraliter boni ordinis naturalis.

Resp. Neg. ant.: quia non probatur neque ex Scriptura, neque ex PP. Deum statuisse communicare gratiam supernaturalem omnibus, qui possunt proxime elicere actum naturaliter bonum. Hoc quidem admitti potest respectu fidelium peccatorum et justorum; quia peccatores fideles si omnes actus bonos, quos eliciunt, sint supernaturales, per hujusmodi actus se disponunt ad justificationem; et justi vitam aeternam merentur. Sed non videtur posse admitti respectu infidelium: etenim si omnia opera bona infidelium essent supernaturalia, hujusmodi opera essent quaedam praeparationes ad justificationem ante omnem inchoationem fidei, quod quidem videtur esse contra doctrinam Conciliorum, speciatim contra Tridentinum (1). Immo infideles secundum laudatam doctrinam, quum possent elicere actum caritatis Dei super omnia et supernaturalem, possent justificari ante fidem; quum Apostolus dicat *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.*, XI, 6). Quod vero in illa hypothesi possent infideles elicere actum amoris Dei et supernaturalem eruitur ex hoc, quod ex una parte in illa hypothesi si datur actus bonus naturaliter, datur etiam supernaturalis; et ex altera parte infideles possunt ex creaturis cognoscere Deum ut summum bonum et summe amabilem, quum sit auctor et fons omnium creaturarum.

174. Scholion 1. Sunt nonnullae propositiones damnatae, quibus necessitas fidei ad recte operandum saltem implicite asserebatur. Ita 25.ª Baii dicit (2): "Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosopho-

(1) *Sess.* 6.ª cap. 8 (Denz.-Bannwart, n. 801).
(2) Denz.-Bannwart, n. 1025.

rum virtutes sunt vitia." Et 8.ª ex damnatis ab Alexandro VIII (1): "Necesse est, infidelem in omni opere peccare" (2). Et 11.ª ab eodem Alexandro VIII damnata (3): "Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est."

175. Scholion II. Sunt plures propositiones, quibus damnatur omnia opera peccatorum esse peccata, ex quibus aliqua hic subjiciam. Imprimis *Tridentinum* sic ait (4). "Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: A. S." Et eodem loco, can. 8 (5): "Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: A. S." Propositio 35.ª Baii dicit (6): "Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est." Et 40.ª (7): "In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati." Et propositio 7.ª damnata ab Alexandro VIII dicit (8). "Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est." Denique prop. 45.ª Quesnelli damnata a Clemente XI (9): "Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque actiones ejus corrumpat."

176. Scholion III. De requisitis ad bonum opus morale ordinis naturalis secundum S. Augustinum (10), S. Doctor videtur docere omnia opera infidelium esse peccata. Dicit (11) enim: "Quantumlibet autem opera infidelium praedicentur, ejusdem Apostoli sententiam veram novimus et invictam, *Omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* XIV, 23)." Et alibi (12): "Ea enim ipsa opera quae dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnae vires et cursus celerrimus praeter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit." Plura his similia habet. Videtur etiam ipse S. Augustinus asserere omnia opera peccatorum esse peccata. Ita enim loquitur (13): "Haec omnia praecepta dilectionis, id est caritatis, quae tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo se facere, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene..."

Testimoniis S. Augustini, quibus affirmat omnia opera infidelium esse peccata, dantur variae solutiones (14); attamen illa videtur probabilior,

(1) Damnatae 7 Dec. 1690.
(2) Denz.-Bannwart, 1298.
(3) Denz.-Bannwart, n. 1301.
(4) *Sess.* 6.ª, can. 7 (Denz.-Bannwart, n. 817).
(5) Denz.-Bannwart, n. 818.
(6) Denz.-Bannwart, n. 1035.
(7) Denz.Bannwart, n. 1040.
(8) Denz.-Bannwart, n. 1297.
(9) In constit. dogmat. *Unigenitus*, 8 Sept. 1713. (Denz.-Bannwart, n. 1395).
(10) Suarez, *De gratia*, l. 1, cc. 5, 7, 21, Val (Honor. del), *De gratia Christi*, c. 1, a. 2, nn. 51, 53 et sq.; Beraza, *De gratia Christi*, n. 326 et sq.
(11) *De gestis Pelag.* c. 14, n. 34 (M. L. 44, 341).
(12) *Enarrat. in Psalm. XXXI*, n. 4 (M. L. 36, 259).
(13) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 18, n. 37 (M. L. 44, 903).
(14) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 7, n. 19 et sq.

quam tradunt Val (Honorat., del) (1) et Beraza (1), videlicet, S. Augustinum vocare peccata omnia opera infidelium, quia nec formaliter nec virtualiter in finem ultimum supernaturalem diriguntur, prout dirigi deberent. Nam in hac providentia Deus pro hominibus statuit finem supernaturalem, et consequenter voluit homines in talem finem tendere; unde defectus directionis in talem finem non est mera carentia, sed privatio, quia est carentia rei debitae; et licet non sit praeceptum dirigendi singulos actus in finem supernaturalem (2), est tamen consilium, et etiam praeceptum tendendi in finem supernaturalem et eliciendi aliquando actum amoris Dei diligentis ipsum super omnia et dirigentis omnia in Deum.

Quod vero S. Augustinus opera infidelium vocat peccata ex defectu ordinationis in finem ultimum, ex pluribus illius locis constat, Sic dicit (3): "Cum ita facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur." Et eodem loco, inferius: "Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est." Item dicit (4) "Aut certe quoniam saltem concedis opera infidelium, quae tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quae datur per unum Mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri; per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cetera quae videntur inter homines nabere aliquid laudis, videantur tibi virtutes verae, videantur opera bona, et sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia ea non facit voluntas bona: voluntas quippe infidelis atque impia non est bona (quia saltem peccato originali est maculata). Dicantur secundum te hujusmodi voluntates arbores bonae, sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonae." Itidem affirmat (5): "Sed ad hoc in die judicii cogitationes suae defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quae legis sunt utcumque fecerunt... hoc tamen peccantes quod homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referri debuerunt."

177. Haec autem peccata ex defectu directionis in finem debitum, si fiant sine sufficienti cogitatione, non sunt secundum eumdem S. Augustinum nisi peccata sensu lato . Dicit (6) enim S. Doctor: "Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberae voluntatis originem ducunt: illud enim praecedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est. for-

(1) Loco antea citato.
(2) Vide PP. Wirceburgenses, *De actibus humanis*, c. 3, a. 3.
(3) *Contra Julianum*, l. 4, c. 3, n. 21 (M. L. 44, 749).
(4) *Contra Julianum*, l. 4, c. 3, n. 33 (M. L. 44, 755).
(5) *Contr. Julianum*, l. 4, c. 3, n. 25 (M. L. 44, 751).
(6) *De libero arbitrio*, l. 3, c. 19, n. 54 (M. L. 32, 1297).

mam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua graeca, alia latina: sic non solum peccatum illud dicitur, quod proprie vocatur peccatum; libera enim voluntate et ab sciente committitur; sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequitur necesse est."

Atque operationes infidelium propter defectum directionis in finem debitum recte vocari possunt peccata sensu lato; tum quia iste defectus ex peccato originali oritur, tum quia est quaedam inordinatio. Et S. Thomas ita agnoscit, quum dicit (1): "Quilibet enim actus inordinatus potest dici peccatum vel naturae, vel artis, vel moris." Et alibi (2): "Malum igitur actionis ad aliquem finem ordinatae, ad quem non debito modo se habet, peccatum dicitur tam in voluntariis quam in naturalibus."

178. Postremo etiam constat omnia opera infidelium non esse secundum S. Augustinum peccata proprie talia, eo quod non semel S. Doctor in infidelibus opera naturaliter bona agnoscit. Jam supra (3) adductum est testimonium ipsius hoc affirmans, atque hic duo alia addam. Dicit (4) quidem S. Doctor: "Si autem hi qui naturaliter quae legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quaedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recte laudamus." Et inferius (5): "Sic enim non impediunt a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur: sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur." Atque hoc ipsum confirmatur ex S. Ambrosio dicente (6): "Nam virtutes sine fide, folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem; sed fructum non habent, quia fidem non habent."

Difficultates vero quae ex S. Prospero et S. Fulgentio de hac ipsa re afferri possent, similiter solvendae sunt, ac solutae sunt difficultates ex S. Augustino.

Denique opera peccatorum (7) possunt vocari peccata, quia immediate et ratione sui sunt infructuosa ad vitam aeternam consequendam; et, si supernaturalia sint, possunt esse quidem dispositiones ad justificationem consequendam, sed non merentur vitam aeternam. Praeterea opera peccatorum, si ab illis ut talibus procedant, re ipsa sunt peccata vere talia, et non lato modo tantum.

(1) *De malo*, q. 2, a. 2.
(2) *Compend. Theolog.*, c. 119.
(3) N. 162.
(4) *De spiritu et litt.*, c. 27, n. 48 (M. L. 44, 229).
(5) Cap. 28, col. 230.
(6) *Enarrat. in Psal.* I, n. 41 (M. L. 14, 987).
(7) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 5; Beraza, *De gratia Christi*, n. 311 et sq.

Articulus III

Utrum homo sine gratia tentationes vincere possit (1)

179. Praemitt. 1.° Tentatio aliquando accipitur pro sumptione experimenti de aliquo (2), ut sciatur vel manifestur aliquid circa illum. Ita Deus tentavit Abraham (*Gen.* XXII, 1), ut manifestaretur ejus fidelitas erga Deum. In praesenti sumitur pro sollicitatione seu excitatione ad malum faciendum vel bonum praeceptum omittendum; et ita definiri potest: *excitatio ad faciendum malum, vel ad bonum praeceptum omittendum.* Haec excitatio fit per propositionem objecti trahentis voluntatem ad malum faciendum vel ad bonum praeceptum omittendum. Tentatio potest esse *levis* vel *gravis.* Est levis, si parum in peccatum attrahit; et *gravis,* si multum attrahit, sive de peccato mortali, sive de levi agatur. Et illa tentatio dicenda videtur *simpliciter gravis,* quae tum ratione durationis, tum ratione instigationis vehementer ad malum amplectendum, vel bonum praeceptum omittendum stimulat.

180. Praemitt 2.° Tentationes triplici modo vinci possunt. 1.° modo salutari, qui habetur, si tentatio vincitur per actum supernaturalem; 2.° modo honesto, i. e., per exercitium actus boni ordinis mere naturalis; 3.° modo vitioso, i. e., si vincitur unum vitium cedendo alteri, v. gr., si quis resistat avaritiae, ut luxuriae se tradat. Origo omnium tentationum, ut indicat Concilium Tridentinum (3), est vel caro, vel mundus vel diabolus. Certum est tentationes vinci non posse modo salutari sine gratia, quum ad omnem actum salutarem gratia requiratur. Quaestio est, utrum sine gratia tentationes vinci possint modo honesto. De hac re inter catholicos tres opiniones principaliter reperiuntur. Prima sen-

(1) Suarez, *De gratia,* l. 1, cc. 23 et 24; Vazquez, *In 1. 2.,* d. 189; Arriaga, *De gratia,* d. 40; Salmanticenses, *De gratia Dei,* d. 2, dub. 8; Frassen, *De divino gratiae beneficio,* d. 1, a. 3, q. 1; Mayr, *De gratia,* d. 1, q. 2, a. 10; Mendive, *De divina gratia,* diss. 1, c. 2, a. 5; Lahousse, *De gratia actuali,* c. 4, a. 2; Beraza, *De gratia Christi,* p. 2, s. 2, c. 2, a. 3.

(2) Vide S. Thomam, *1. p.,* q. 114, a. 2; *2. 2.,* q. 97, a. 1.

(3) *Sess. 6.ª,* cap. 13 (Denz.-Bannwart, n. 806).

tentia, quam defendit (1) P. Vazquez cum aliis, asserit nec minimam tentationem sine gratia vinci posse; altera sententia extreme contraria tenet quamlibet tentationem singillatim sumptam sine gratia posse vinci (2); et tertia sententia communior docet leves tentationes, saltem nisi sint valde diuturnae, sine gratia vinci posse, tentationes autem graves sive collective, sive disjunctim sine gratia superari non posse. Tamen tentationes graves ut sint moraliter insuperabiles, videntur debere esse tales non modo ratione vehementiae, sed etiam ratione alicujus durationis.

THESIS I. Homo sine gratia leves tentationes seorsim sumptas vincere potest

181. *Prob. 1.°* Ex prop. 30 Baii damnata, quae ita se habet (3): "Fures ii sunt et latrones qui... docent, ...tentationi ulli, sine gratiae ipsius (Christi) adjutorio, resistere hominem posse sic ut in eam non inducatur ac ab ea superetur." Quocirca homo alicui tentationi resistere potest, ideoque saltem tentationi levi seorsim acceptae. Nec propositio videtur tantum damnata propter censuram doctrinae contrariae appositam; neque tantum videtur damnata, quia in illa negetur potestas antecedens resistenti cuilibet tentationi, aut potestas resistendi cuicumque tentationi nisi fiat per caritatem; etenim illa propositio damnata videtur absolute. Nec refert quod Baius locutus sit de potentia antecedenti et de necessitate caritatis ad vincendam tentationem; nam sensu obvio in propositione allata damnatur absolute hominem sine gratia nulli tentationi posse resistere.

182. 2.° *Ratione.* Homo sine gratia opus naturaliter honestum facere potest, quum non sit magna aliqua difficultas superanda. Atqui levis tentatio non secum magnam aliquam affert difficultatem superandam, ut ex ipsius definitione constat. Ergo homo etiam posita levi tentatione poterit honeste agere, atque ideo illam vincere. *Prob. maj.* Quia imprimis ad opera honesta ordinis naturalis non deest homini potentia physica; nam ea ab intel-

(1) *In 1. 2.*, d. 189, c. 8 et sq.
(2) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 24, n. 1 et sq.
(3) Denz.-Bannwart, n. 1030.

lectu cognosci possunt ut talia et voluntati proponi; ideoque voluntas potest absolute in ea tendere. Deinde, quum ad opus naturaliter honestum faciendum non adsit magna difficultas, voluntas potest illud facere non modo physice, sed etiam moraliter; quia ut communiter admitti videtur datur potestas moralis, quum magnum obstaculum non est superandum, et aliunde supponatur potentia physica; etenim quum res ita se habet, nihil invenitur viribus humanis incongruum. Si ergo datur et potentia physica et moralis ad levem tentationem vincendam, eo ipso vinci potest.

183. Obj. 1.° Sacra Scriptura et PP. gratiam postulare videntur ad quamcumque vincendam tentationem. Ergo nec levis tentatio sine gratia superari potest.

Resp. Neg. ant. Nam locutiones sacrae Scripturae et PP. possunt accipi de tentationibus generatim; in tentationibus autem generatim acceptis potissimum continentur graves; ad has autem vincendas necessaria est gratia. Deinde Scriptura et PP. de victoria salutari multoties loquuntur; et victoria quidem salutaris gratiam omnino requirit. Postremo tentationes leves saepe non tales reputantur, aut veluti pro nihilo habentur; unde quum de tentationibus sermo est, ad graves tentationes saepe restringitur.

184. Obj. 2.° Conc. Arausicanum II dicit (1): "Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur..." Et locutiones his similes in aliis Conciliis reperiuntur. Ergo.

Resp. Textus Arausicani simili modo solvendus est, ac solutae sunt locutiones Scripturae et PP., videlicet, aut de victoria salutari, aut de tentatione gravi, aut de tentatione generatim accepta. Pari modo aliae similes locutiones solvendae sunt.

185. Obj 3.° In singulis tentationibus est orandum. Ergo nulla tentatio propriis viribus vinci potest.

Resp. Dist. ant.: est praeceptum orandi in singulis tentationibus, neg.; consilium, conc. Jam vero in singulis tentationibus opem a Deo postulare possumus, aut ad victoriam salutarem reportandam, aut ad securius vincendum aut ut impediatur, ne levis tentatio in gravem convertatur.

186. Obj. 4.° Semper est divinae protectionis specialis gratia, quod fortius a daemone non tentemur. Ergo semper est ex aliqua Dei gratia nos posse quasdam tentationes superare.

Resp. Ad providentiam Dei generalem spectare videtur non sinere daemonem pro suo arbitrio homines tentare, atque ideo hoc non est specialis gratia. Praeterea ipse daemon ex diversis causis potest nonnunquam tentare levius (2).

(1) Can. 14 (Denz.-Bannwart, n. 187).
(2) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 23, nn. 25 et 26.

THESIS II. Homo tentationes graves collective sumptas non potest superare, immo nec unam gravem disjunctim acceptam

Prima pars theseos est omnino certa, et 2.ª pars accepta de tentatione gravi non momentanea, sed durante aliquo tempore est communiter recepta.

187. **Prob. 1.ª p.** 1.° *Ex Scriptura.* Ex *Matth.* XXVI, 41, ubi legitur: "Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma." Item ex *Ephes.* VI, 13: "Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare."

188. 2.° *Ex documentis pontificiis et ex Conciliis. Ex indiculo de gratia Dei* (1), ubi hoc dicitur: "Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superendas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit." Et Concilium Arausicanum II jam antea, n. 184, allatum, inquit (2): "Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur..."

189. 3.° Ex PP. Ex S. Augustino dicente (3): "Sed plane quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiae Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem); ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum esse non dubito." Et idem S. Augustinus asserit (4): "Sed quoniam cum hic sumus, in magnis et multis tentationibus vivimus... Sine cujus (Domini) adjutorio, per arbitrium voluntatis tentationes hujus vitae superare non possumus." Item S. Basilius inquit (5): "Quis hominum adversus diabolum bellum gerere possit, nisi ad praesidium potentiae imperatoris confugientes, illinc per fidem quae in ipso est, inimicum nostrum feriamus ac sagittis impetamus?"

190. 4.° *Ratione.* Nam homo magnam inclinationem in bona

(1) Cap. 6 (Denz.-Bannwart, n. 132).
(2) Can. 14 (Denz.-Bannwart, n. 187).
(3) *De perfectione justitiae*, c. 21, n. 44, ad finem (M. L. 44, 317).
(4) *Enarrat. in Ps. 89*, n. 4 (M. L. 37, 1442).
(5) *Homil. in Ps. 32*, n. 3 (M. G. 29, 327).

sensibilia et delectabilia habet, et si in illa vehementer et saepius inducatur, videtur moraliter impossibile non succumbere sollicitationi; aliunde daemon magna astutia et cum viribus superioribus homines ad amplectenda bona sensibilia et delectabilia impellit; denique intellectus humanus ignorantia laborat et imperfecte percipit res honestas et spirituales, res vero sensibiles et delectabiles valde vivide; et voluntas est inconstans et infirma. Jam vero his omnibus consideratis est impossibile hominem, nisi gratia juvetur, malis inclinationibus non cedere.

191. **Prob. 2.ª p.** 1.° *Ex Scriptura.* I *Cor.* X, 13, dicitur: "Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere." In hoc textu indicatur dari tentationes supra humanas et ab homine insuperabiles; hoc vero singulis tentationibus gravibus convenire videtur, quum singulae ad bonum delectabile illicitum vehementer attrahant.

192. 2.° *Ex Conciliis et Pontificibus.* Patres Conc. Milevitani ita ad Innocentuim I loquuntur (1): "Illud vero quod sequitur, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 12 13), non ita intelligendum (secundum pelagianos), tanquam divinum adjutorium poscere debeamus ne in peccatum tentati decidamus; sed hoc in nostra esse positum potestate, et ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis..." Et Innocentius I haec dicit (2): "Nescientes quod nisi magnis precibus in nos Dei gratia implorata descendat, nequaquam terrenae labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium." Hae autem auctoritates etiam de singulis gravibus tentationibus loqui videntur.

193. 3.° *Ex PP.* S. Joannes Chrysost. inquit (3): "Ergo sunt tentationes quae ferri non possunt. Et quaenam illae? Omnes, ut ita dicam." Quae certe verba saltem de singulis gravibus tentationibus accipienda sunt. Et S. Augustinus (4): "Cohibere a crimine voluntatem, hoc ipsum est, nec aliud quidquam, non in-

(1) N. 2 (M. L. 33, 763).
(2) *Epist. ad PP. Conc. Carthaginensis,* n. 5 (M. L. 33, 781).
(3) *In Epist. I ad Cor. Homil.* 24, n. 1 (M. G. 61, 198).
(4) *Operis imperfecti contra Julianum* l. 3, n. 109 (M. L. 45, 1293).

trare in tentationem. Sed si hoc haberemus in potestate propriae voluntatis, non moneremur ut id orando a Domino posceremus." Item S. Gregorius M. (1): "Qui (homo) apte quoque reduci ad pulverem dicitur, quia dimissus sibi cujuslibet tentationis aura raptatur."

194. 4.° *Ratione.* Nam intellectus res honestas et spirituales imperfecte percipit, et res sensibiles et delectabiles valde vivide; et ex altera parte voluntas est valde infirma et propensa in bona sensibilia et delectabilia. Ergo si intellectus voluntati proponit valde vivide bonum sensibile et delectabile, sed illicitum, et bonum oppositum non proponitur nisi obscure et imperfecte, videtur moraliter impossibile voluntatem non sequi bonum delectabile illicitum, seu non cedere tentationi. Et, quum haec in singulis gravibus tentationibus eveniant, moraliter impossibile videtur voluntatem a singulis gravibus tentationibus non superari.

195. Obj. 1.° Si homo gravi tentationi resistere non posset, cedendo illi non peccaret; quod enim necessario fit, non est imputabile. Atqui hoc non videtur admittendum. Ergo videtur dicendum tentationi gravi hominem posse resistere.

Resp. Hùic difficultati variae dantur solutiones (2); sed illa probanda est, quam P. Beraza (3) cum aliis (4) affert, videlicet, quotiescumque aliquis gravi tentatione impugnatur, accipit a Deo auxilium ad illam vincendam. Atque haec solutio bene consonat cum divina voluntate, qua omnes homines salvos fieri vult; nam peccata non solum formalia, sed etiam materialia disponunt homines ad male agendum et ad magis magisque se avertendum ab ultimo fine. Auxilium autem hoc pro fidelibus censendum est supernaturale esse, pro infidelibus autem mere naturale. Hoc autem auxilium non tribuitur a Deo ex aliqua exigentia vel debito ex parte hominis, sed ex voluntate Dei salvandi omnes homines.

Alia solutio probabilis positae difficultati est, quam tradit P. Suarez (5), et ita se habet. Quaecumque tentatio simpliciter gravis, nisi rationem perturbet et tollat libertatem necessariam ad graviter peccandum, perdurat aliquod temporis spatium, et in singulis instantibus hujus durationis conservat homo libertatem physicam et moralem ad resistendum tentationi, licet infallibiliter in aliquo instanti cadat. In singulis enim instantibus datur cognitio objecti tentationis et oppositi, quamvis in objectum tentationis detur vehemens inclinatio et vividior cognitio. Deinde homo in aliquo instanti cadet; nam homo est valde infirmus et

(1) *Moral.* l. 9, c. 53, n. 80 (M. L. 75, 902).
(2) Vide P. Arriaga, *De gratia,* d. 40, sec. 2, subsec. 4 et sq.
(3) *De gratia Christi,* sec. 2, c. 2, a. 3, n. 298.
(4) Henno, *De gratia Christi,* q. 5, a. 5, obj. 2.°; Salmanticenses, *De gratia,* d. 2, dubium 8, n. 297.
(5) *De gratia,* l. 1, c. 24, n. 31 et sq., praesertim nn. 34 et 35.

in objectum tentationis vehementer attrahitur. Hoc vero eveniet, si homo gravem tentationem sine speciali auxilio patitur; ideoque haec secunda solutio explicat qua ratione homo pulsatus gravi tentatione, si illi consentit peccat, licet speciale Dei auxilium ad resistendum non accipiat.

P. Arriaga (1) hanc postremam solutionem impugnat, quia necessitas vaga peccandi in aliquo instanti, necessario ad aliquod instans determinatur, et sic jam non est necessitas vaga, sed determinata, et consequenter necessario peccatur in instanti determinato. Verum omnino negatur ante consensum dari instans determinatum, in quo sit peccandum necessario. Salmanticenses hanc ipsam solutionem improbant, quia ex illa sequitur hominem posse resistere tentationi gravi; hoc autem est contra communem sensum theologorum. At P. Suarez nullo modo docet hominem tentationi gravi posse resistere; sed affirmat ita in aliquibus instantibus posse resistere tentationi, ut in aliquo infallibiliter illi consentiat. Theologi vero nullatenus docent tentationem gravem esse talem, ut illi jam in primo instanti sit consentiendum.

196. Obj. 2.° Potest quis unam vincere gravem tentationem propter motivum inhonestum, v. gr., avaritiam propter luxuriam. Ergo similiter propter motivum honestum vinci potest.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam motiva sensibilia et delectabilia vividiore modo ab intellectu proponuntur, et vehementius voluntatem attrahunt. Contra motiva honesta et spiritualia ab intellectu imperfecte repraesentantur, et voluntatem parum trahunt. Verum unum vitium non vincit alterum, nisi exterius, non interius; sic, v. gr., amor luxuriae non aufert voluntatem inordinatam erga pecunias, sed tantum tollit vel minuit exercitium externum avaritiae.

197. Obj. 3.° Haeretici pro sua falsa doctrina, quam veram putant, aerumnas et aliquando mortem ipsam sustinent. Ergo potest quis sine gratia sustinere gravem tentationem eamdemque vincere; nam certe Deus non dat gratiam, ut falsa doctrina defendatur.

Resp. Haeretici pro sua falsa doctrina aerumnas et aliquando ipsam mortem sustinent ob vanam gloriam vel aliud motivum simile, conc.; ob motivum honestum, neg. Et similiter dist. conc.: potest quis sine gratia sustinere gravem tentationem eamdemque vincere ob motivum vitiosum, conc.; ob motivum honestum, neg. Jam dictum est motiva sensibilia et delectabilia majorem vim habere ad voluntatem trahendam quam motiva honesta. Si vero haeretici pro veritate re ipsa revelata sustinent aerumnas et ipsam mortem, et hoc ob motivum honestum faciunt, tunc existimandum est hoc fieri ab haereticis ob speciale Dei auxilium, ut indicat S. Augustinus (2).

(1) *De divina gratia*, d. 4, s. 2, subsect. 5.
(2) *De patientia*, cc. 26 et 27 (M. L. 40, 623).

Articulus IV

Utrum homo sine gratia deum super omnia amare possit

198. Praemitt. 1.° *Amor* est actus, quo volumus alicui bonum; unde amor Dei, de quo unice est sermo in praesenti est, actus quo volumus Deo bonum. Hic amor dividitur in amorem *benevolentiae* et *concupiscentiae*. Amor *benevolentiae* est, si Deum amamus propter ipsum Deum, et *concupiscentiae*, si Deum amamus, quia bonus est nobis. Uterque amor potest esse *naturalis* et *supernaturalis*. Est *naturalis*, si eliciatur a solis viribus naturalibus sine adjutorio alicujus principii supernaturalis; et est *supernaturalis*, si propter suam intrinsecam perfectionem ordinatur ad Deum ut est in se attingendum.

Rursus amor benevolentiae potest esse *perfectus* et *imperfectus*. Est *perfectus*, si Deus amatur propter se super omnia, ita quidem ut subjectum hujus amoris sit paratum omnia relinquere propter Deum. Ad hunc amorem non requiritur determinata intensio; tamen si magnam habet intensionem, constituit amorem perfectiorem. Est vero *imperfectus*, si Deus ametur, sed non super omnia. Et hic amor multos gradus habere potest, prout magis vel minus ad amorem perfectum accedat. Haec divisio convenit quoque amori concupiscentiae, qui erit *perfectus*, si quis velit sibi Deum super omnia, et *imperfectus*, si quis sibi velit Deum, sed non super omnia. Tam amor perfectus quam imperfectus, sive benevolentiae, sive concupiscentiae, erit supernaturalis, si ordinetur intrinsece ad attingendum Deum ut est in se, et naturalis si tendit in Deum ut cognitum ex creaturis tamquam in finem ultimum.

199. Praemitt. 2.° *Aliae divisiones amoris.* Amor benevolentiae dividitur quoque in *efficacem* et *inefficacem*. Amor benevolentiae *efficax* in Deum habetur, si quis absolute amat Deum propter se ipsum et cum voluntate sincera ponendi omnia media ad id necessaria, saltem vitandi omnia peccata mortalia; et *inefficax*, si quis amat Deum propter se ipsum voluntate conditionata seu velleitate, i. e., voluntate adhibendi media, nisi tot difficultates et impedimenta adessent. Divisio amoris benevolen-

tiae in efficacem et inefficacem, est idem ac divisio in amorem *absolutum* et *conditionatum*. Iterum amor efficax benevolentiae dividitur in amorem efficacem *affective* et *effective*, et in efficacem *tantum affective*. Habetur amor benevolentiae efficaz *affective* et *effective*, si quis non modo amat absolute Deum propter se ipsum et super omnia cum sincera voluntate ponendi media ad id necessaria, sed etiam re ipsa ponit media; et est amor efficax tantum affective, si quis amat absolute Deum super omnia et propter ipsum Deum cum sincera voluntate ponendi media, sed ea non ponit.

Hae postremae divisiones similiter applicari possunt amori concupiscentiae, ut rem consideranti manifestum erit. Item sive amor efficax, sive inefficax, sive efficax effective, sive tantum affective possunt esse supernaturales vel naturales, prout intrinsece ordinentur ad Deum ut est in se attingendum, vel ad Deum ut cognitum ex creaturis.

200. Praemitt. 3.° *Status quaestionis.* Imprimis certum est hominem non posse solis viribus naturae amare Deum amore supernaturali; ad hoc enim nullae in natura sunt vires. Etiam certum videtur et fere communiter admissum posse hominem solis viribus naturae amare Deum amore imperfecto. Item admittendum est hominem non posse amare Deum solis viribus naturae amore perfecto, qui sit efficax affective et effective; nam, ut dictum est, non potest vincere tentationes graves, quibus per diuturnum tempus carere non potest. Questio est igitur utrum homo possit amare Deum amore perfecto, qui sit efficax solum affective. De hac re est duplex sententia. 1.ª negat hominem solis naturae viribus sine speciali aliquo Dei auxilio posse amare Deum super omnia amore perfecto, lice sit efficax tantum affective. Ita tenent Suarez (1), Bellarminus (2), Muniessa (3), Tournely (4), Gonet (5), Billuart (6), Herrmann (7), aliique. Altera sententia affirmat hominem posse amare Deum super omnia amore

(1) *De gratia*, l. 1, c. 33.
(2) *De gratia et liber. arbitrio*, l. 6, c. 7.
(3) *De gratia*, d. 8, s. 1.
(4) *De gratia Christi*, q. 4, a. 3.
(5) *De gratia*, d. 1, a. 4.
(6) *De gratia*, diss. 3, a. 4.
(7) *De divina gratia*, p. 1, s. 2, c. 2, a. 3, n. 167.

benevolentiae affective, sed non effective. Ita docent Scotus (1), Cajetamus (2), Soto (3), Bagnez (4), Molina (5), Arriaga (6), Platelius (7), Viva (8), Frassen (9), Henno (10, Wirceburgenses (11), Mazzella (Card.) (12), Beraza (13), Lahousse (14), Tabarelli (15), Van der Meersch (16) aliique.

THESIS. Homo in statu naturæ lapsæ sine auxilio extrinseco speciali diligere potest Deum amore benevolentiæ perfecto et efficaci affective.

Thesis defenditur ut probabilior.

201. *Prob.* Nam intellectus naturaliter Deum ut summum bonum cognoscere potest; dicit enim *Conc. Vaticanum* (17): "Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse..."; ac proinde ut summum bonum cognosci potest, quum *rerum omnium principium et finis* non possit non esse summum bonum. Jam vero si intellectus cognoscit Deum ut summum bonum, ut tale potest proponi voluntati, et haec, saltem potentia physica, potest Deum amare ut summum bonum, ideoque supra omnia saltem affective; quia voluntas ut potentia physica in illud, quod ab intellectu illi proponitur tendere potest. Verum etiam potentia morali. Quia summum bonum ab intellectu voluntati proponi potest, quum ad diligendum Deum non est impedimentum ex gravi aliqua tentatione vel alia causa, ideoque tunc voluntas saltem affective poterit elicere actum amoris Dei super omnia. Neque ad hunc amorem est impedi-

(1) 3., d. 27, q. unica, n. 13 (ex edit. Vives, pag. 367).
(2) 2.-2., q. 171, a. 2, *in Comment.* n. 7, §. *Ad horum evidentiam,* et 1. 2., q. 109, a. 4, *in Comment.* n. 6, §. *Secundum hoc.*
(3) *De natura et gratia,* l. 1, c. 22, versus finem.
(4) *In* 2. 2., q. 10, dub. 2, ad 4.
(5) *Concordia,* q. 14, a. 13, d. 14, membr. 3.
(6) *De divina gratia,* d. 39, s. 5.
(7) *De gratia,* cap. 6, §. 4, n. 523.
(8) *De divina gratia,* d. 5, q. 5.
(9) *De divino gratiae beneficio,* d. 1, a. 2, q. 4.
(10) *De Christi gratia,* q. 5, a. 6.
(11) *De gratia,* d. 5, c. 2, a. 5, quaer. 1, n. 316.
(12) *De gratia Christi,* d. 2, a. 7, n. 417.
(13) *De gratia Christi,* p. 2, s. 2, c. 2, a. 4, n. 302 et sq.
(14) *De gratia divina,* p. 1, c. 4, a. 5.
(15) *De gratia Christi,* p. 1, q. 1, a. 3.
(16) *De divina gratia,* p. 1, cap. 2, a. 2, schol. 3, n. 83.
(17) *Sess.* 3.ª, cap. 2 (Denz.-Bannwart, n. 1785).

mentum, quod deinde homo non possit agere secundum talem amorem; quia, quum voluntas Deum super omnia absolute amat, non est necesse hominem cogitare suam moralem impossibilitatem ad Deum super omnia amandum modo constanti et per diuturnum tempus. Hic autem amor potest esse benevolentiae, quia summum bonum propter se ipsum est summe amabile; et potest etiam esse amor concupiscentiae, quum summum bonum et primum principium rerum omnium sit etiam summum bonum nobis.

202. Obj. 1.° Apostolus ad *Rom.* V, 5, dicit: "Caritas Dei difussa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis." Sed hoc testimonium et alia complura supponunt caritatem sive Dei dilectionem per gratiam haberi. Ergo. Praeterea CC. et PP. id ipsum tradere videntur, nimirum quamlibet Dei dilectionem esse donum Dei sive gratiam. Ergo.

Resp. Testimonium Scripturae allatum aliaque similia, sicut Conciliorum et Patrum locutiones, quae omnem Dei dilectionem vocant gratiam, ea quidem omnia accipienda sunt de caritate vel conducente ad justificationem, vel justificante, vel meritoria vitae aeternae, ut infertur vel ex contextu, vel ex ipso loquendi modo. Praeterea multa ex his, quae ex auctoritate objiciuntur, si aliquid probarent, nimium probarent, videlicet solis naturae viribus nullam Dei dilectionem haberi posse, neque imperfectam; quod certe est contra communem theologorum sensum modo morali, et saltem hoc videtur damnatum in prop. 34 Baii, quae sic se habet (1): "Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata."

203. Obj. 2.° Conc. Arausicanum II videtur contrarium assertioni positae; dicit (2) enim: "Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit." Item S. Augustinus inquit (3): "Quia et liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus..." Et similia habet in aliis locis.

Resp. Concilium Arausicanum loquitur de dilectione salutari et supernaturali, ut elucet ex verbis, quae sequuntur, videlicet: "Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. *Diffundit* enim *caritatem in cordibus nostris Spiritus* (*Rom.* V, 5) Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio." Dilectio vero salutaris nullo modo viribus naturae haberi potest.

Etiam verba S. Augustini et alia similia interpretanda sunt de dilectione supernaturali; nam per peccatum originale non amisimus naturalia, sed supernaturalia; et S. Augustinus contra pelagianos et semipela-

(1) Denz.-Bannwart, n. 1034.
(2) Can. 25 (Denz.-Bannwart, n. 198).
(3) *Epist. 217, ad Vitalem Carthagin.*, c. 4, n. 12 (M. L. 33, 983).

gianos loquitur de donis supernaturalibus, non de his, quae naturaliter homini conveniunt.

204. Obj. 3.° S. Thomas dicit (1): "Et ideo dicendum est quod homo in statu naturae integrae non indigebat dono gratiae superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia... sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis." Ergo secundum S. Thomam homo in statu naturae lapsae non potest amare absolute Deum super omnia sine gratia.

Resp. Conc. ant., et disting. cons.: secundum S. Thomam homo in statu naturae lapsae non potest sine gratia amare absolute Deum super omnia affective et ad breve tempus, neg.; effective et constanter, conc. Revera S. Doctor de eo amore videtur loqui, qui sit efficax in actu secundo constanter, et non praecise per aliquod breve tempus. Aliunde S. Doctor concedit hominem in statu naturae purae posse Deum diligere (2) super omnia, et hominem lapsum nihil ex naturalibus amisisse (3); quocirca videtur conforme doctrinae S. Thomae hominem posse efficaciter affective amare Deum super omnia, quum nulla gravi tentatione, nec alio notabili incommodo vexatur.

205. Obj. 4.° Amor Dei super omnia est ultima dispositio ad justificationem. Ergo si homo naturae viribus Deum super omnia diligere posset, daretur dispositio naturalis ad justificationem sive gratiam sanctificantem, quod omnino falsum est.

Resp. Ultima dispositio ad justificationem est amor Dei super omnia ordinis supernaturalis, non amor ordinis mere naturalis; quia hic amor nullo modo ordinatur ad finem supernaturalem, et ordinaretur, si haberet vim ad peccata tollenda et justificationem tribuendam. Unde non est absurdum hominem esse conversum ad Deum amore naturali, et simul manere a Deo aversum; nam homo per peccatum a Deo avertitur, et amor naturalis peccata non tollit.

206. Obj. 5.° Si homo solis naturae viribus Deum super omnia diligeret modo perfecto, hoc ipso haberet voluntatem nunquam peccandi, atque ideo universam servandi legem naturalem gravesque vincendi quascumque tentationes. Atqui homo solis naturae viribus non potest velle universam custodire legem naturalem nec graves quascumque superare tentationes, quia hoc est naturaliter impossibile. Ergo.

Resp. Dist. maj.: si homo solis naturae viribus Deum super omnia diligeret, hoc ipso haberet voluntatem non peccandi etc., saltem virtualiter et modo confuso et generali, conc.; expresse et formaliter atque sibi proponendo singula, quae sibi vincenda et vitanda forent, neg. Et contradist. min.: homo solis naturae viribus non potest velle universam custodire legem naturalem sibi proponendo in particulari singula, quae ab eo superanda forent, trans.; non sibi proponendo in particulari singula, quae superanda forent, neg. Unum est hominem universam legem custo-

(1) *1. 2.*, q. 109, a. 3.
(2) *1. p.*, q. 60, a. 5; *Quodl.* 1, a. 8.
(3) *1. p.*, q. 95, a. 1.

dire naturalem; alterum habere voluntatem legis naturalis omnino servandae; primum quidem est homini lapso moraliter impossibile; aliud vero impossibile non apparet. Nec proficit dicere hominem non posse voluntate absoluta aliquid impossibile velle; tum quia ignorare potest illud esse sibi impossibile potestque contrarium sibi persuadere; tum quia ad illam impossibilitatem potest actu non advertere. Praeterea poterit quis elicere amorem Dei naturalem et super omnia, si firmam concipiat spem divini auxilii ipsi adjuturi pro iis implendis, quae solis naturae viribus impleri nequeant.

Accedit quod ad amorem Dei super omnia efficacem affective eliciendum non sit necesse, ut jam indicatum est, hominem sibi proponere in particulari singulas difficultates tentationesque superandas; verum sufficit illum in generali et modo confuso velle, saltem virtualiter, omnia relinquere omniumque potius detrimentum facere, quam Deum amittere. Hoc autem velle non videtur impossibile neque moraliter illi, qui propriis viribus infinitam Dei perfectionem et bonitatem cognoverit.

207. Obj. 6.° Homo solis naturae viribus plus se ipsum amat quam objectum quodlibet insensibile. Ergo homo solis naturae viribus Deum magis quam se ipsum non amabit, quemadmodum perfecta Dei dilectio requirit.

Resp Neg. ant. Quia potest naturaliter homo Deum infinite magis amabilem quam se ipsum cognoscere, itemque a Deo omnia dependere; atque ideo poterit magis Deum quam se ipsum amare, quum obstaculum nullum magni momenti adsit (1).

Articulus V

Utrum homo sine gratia universam legem naturalem servare possit

208. Praemitt 1.° Lex naturalis licet non uno modo a theologis definiatur, tamen ita describi potest, videlicet: est lex illa, quae imponit obligationem servandi ea omnia, quae sunt necessaria pro recta humanae naturae constitutione in ordinem ad finem ultimum, et vitandi ea omnia, quae tali rectae constitutioni necessario opponuntur. Quaeritur hic, utrum homo sine gratia possit fideliter servare ea omnia, quibus per legem naturalem obligatur. Verum ad hoc magis declarandum duplex modus servandi legem distinguendus est (2). Alter consistit in hoc, quod praecise ponatur modo honesto et naturali opus a lege praescriptum; alter vero in hoc, quod ponatur modo supernaturali et meritorio in ordine ad

(1) *1. p.*, q. 60, a. 5; *Quodl* 1, a. 8.
(2) Vide S. Thomam, *1. 2.*, q. 109, a. 4.

vitam aeternam. Hic postremus modus sine gratia haberi non potest, quum solae vires naturales nihil mereri possint respectu vitae aeternae. De altero autem modo consentiunt communiter theologi hominem solis naturae viribus non posse diu universam legem naturalem custodire; sed brevi aliquo tempore, dum nullam gravem tentationem occurrit, potest. Videtur homo etiam singula praecepta naturalia, seu sumpta seorsim, posse observare, dum gravis difficultas in oppositum non occurrat.

THESIS. Homo in statu naturæ lapsæ non potest per longum tempus custodire universam legem naturalem

209. Not. Potest quidem homo universam legem naturalem servare physice, seu habet vires physicas ad illam adimplendam; quia lex naturae est omnino proportionata naturae humanae, et non esset ita, si in humana natura non essent vires physicae ad observantiam ipsius. Verum non potest moraliter observare diuturne legem naturalem, hoc est, ejus observantiae tot impedimenta et difficultates opponuntur, ut re ipsa homo nunquam illam per longum tempus custodiat. Thesis sic explicata est omnino certa, et P. Suarez (1) dicit de illa: "Esse conclusionem theologicam adeo certam, ut contraria non solum jam temeraria sit, sed etiam errori proxima." Alii theologi contendunt esse doctrinam de fide, sed non videntur sufficienter probare; non enim constat pelagianos esse damnatos ut haereticos, quia affirmarent legem naturalem sine gratia servari posse quoad substantiam.

210. *Prob. 1. Ex S. Scriptura.* Ad *Rom.* VII, 23 et sq., legitur: "Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum." Exclamatio *infelix ego homo* profertur ab Apostolo propter luctam cum concupiscentia; non esset autem homo infelix propter luctam cum concupiscentia, si constanter triumphare de illa posset; ideoque indicatur hominem propriis viribus non posse vincere constanter concupiscentiam, et ad hoc necessariam esse

(1) *De gratia*, l. 1, c. 26, n. 12.

gratiam. Atque iste sensus confirmatur ex verbis *quis me liberabit de corpore mortis hujus;* nam *mors* ibi sumitur pro morte animae, seu pro peccato, et peccatum per gratiam aufertur. Quod vero ibi *mors* sumatur pro peccato seu morte animae, elucet ex contextu; quia a v. 10 et sequentibus pro peccato semper sumitur.

Deinde Vulgata affirmat directe *gratiam Dei per Jesum Christum* liberare hominem a morte animae, in quam per concupiscentiam devenitur. Textus graecus diverso quidem modo loquitur, sed eumdem facit sensum; dicit enim: "gratias Deo per Jesum Christum Dominum nostrum"; quocirca gratias Deo aguntur, quia per Jesum Christum reportamus victoriam contra concupiscentiam (1).

Atque ea quae dicta sunt confirmantur ex verbo *captivantem,* quod significat concupiscentiam captivare seu vincere hominem; et hac de causa indigere gratia, ne a concupiscentia superetur. Quod vero vocabulum *captivantem* significet concupiscentiam captivare seu vincere hominem, elucet tum ex sensu obvio, tum quia si solum significaret luctam seu conatum contra concupiscentiam, haberetur repetitio, quum haec lucta, et hic conatus jam significetur per verbum *repugnantem.*

Postremo animadvertendum est argumentum allatum suam vim retinere, sive S. Paulus loquatur ut christianus, sive ut repraesentans judaeum nondum regeneratum, ut plures volunt. Nam si christianus non potest totam legem naturalem servare constanter solis viribus naturae, minus id poterit judaeus nondum regeneratus, quum in pejore conditione reperiatur, et adhuc minus poterit ethnicus, qui in pejore conditione quam christianus et judaeus invenitur.

211. *2.° Ex Conciliis.* Ex canonibus communiter receptis et probatis a Summis Pontificibus (2), licet non certo constet de Concilio, in quo statuti sunt (3). Can. 3 dicit (4): "Item placuit. ut

(1) In textu graeco tres reperiuntur lectiones. Una est: εὐχαριστῶ τῷ θεῷ Altera: χάρις τῶ θεῷ. Tertia: ἡ χάρις τοῦ θεοῦ. Verum hae tres lectiones solum differunt in tribus prioribus verbis, et ad sensum quod attinet, non differunt.
(2) Denz.-Bannwart, n. 101 et sq.
(3) Vide Mansi, *Collect. Conciliorum,* tom. 4, col. 326 et sq.; Hefele-Leclercq, l. 8, tom. 2, p. 1.ª, pag. 190 et sq.
(4) Denz.-Bannwart, n. 103.

quicumque dixerit, gratiam Dei, qua justificatur homo per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quae jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, A. S." Et can. 4 (1): "Item, quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, A. S." Rursus can. 5 (2): "Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam et si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, A. S." Denique Conc. Tridentinum dicit (3): "Formidare enim debent (justificati), scientes, quod *in spem* (conf. I *Petr.*, I, 3) gloriae et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua *victores* esse non possunt, nisi cum Dei gratia..."

212. *3.°* *Ex PP.* S. Augustinus inquit (4): "Illud vero quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica praecepta implenda, etiamsi Dei gratia et Spiritus dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, et omnibus exsecrationibus detestandum." Et idem S. Doctor inquit (5): "Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter recteque vivendi, *littera est occidens*, nisi adsit vivificans spiritus." Et inferius (6): "Nemo ergo christianorum aberret ab hac fide, quae sola christiana est; neque quisquam... ad hoc se convertat ut dicat, ideo sine operatione gratiae Dei nos justos esse non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona praecepta mandavit. Illa enim sine adjuvante spiritu procul dubio est *littera occidens;* cum vero adest vivicans spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri."

(1) Denz.Bannwart, n. 104.
(2) Eodem loco, n. 105.
(3) *Sess.* 6, cap. 13 (Denz.-Bannwart, n. 806).
(4) *Epist. 157*, c. 2, n. 4 *ad Hilarium* (M. L. 33, 675).
(5) *De spiritu et litter.*, c. 4, n. 6 (M. L. 44, 203).
(6) Cap. 19, n. 32.

Item dicit (1) idem S. Doctor: "Repellamus itaque ab auribus et mentibus eos qui dicunt, accepto semel liberae voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus. Talibus tenebris nec Pharisaeus ille caecabatur, qui quamvis in hoc erraret, quod sibi addendum ad justitiam nihil putabat..... Deo tamen gratias agebat, quod non esset sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri..." Itidem S. Joannes Chrysost. inquit (2): "Viden', quanta sit malitiae tyrannis, quae mentem in lege sibi complacentem vincit? Neque enim dicere possis, me, qui legem oderim et averser, a peccato captum fuisse: condelector enim in ipsa, ipsam probo, ad illam confugio. Attamen illa ad se confugientem servare non potuit; contra vero Christus ab se fugientem servavit. Viden' quanta sit gratiae magnitudo?" Denique S. Fulgentius sic loquitur (3): "Divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua praevenerit..."

Nec dicatur testimonia Scripturae, Conciliorum et Patrum solum probare gratiam esse necessariam ad observandam legem modo meritorio; non autem ad illam observandam tantum quoad substantiam. Nam testimonia allata manifeste indicant gratiam etiam esse necessariam ad peccata mortalia vitanda; vitatio vero peccatorum mortalium est necessaria, ut lex servetur quoad substantiam.

213. *4.° Ratione.* Probatum est hominem diuturno tempore non posse amare Deum super omnia amore effectivo, nec posse vincere graves tentationes. Ergo eo ipso per longum tempus universam legem naturalem servare non potest. Praeterea voluntas humana est valde inconstans atque infirma et ad bona delectabilia valde propendens; aliunde observantia omnium praeceptorum naturalium est difficilis ex multis capitibus, nimirum ex concupiscentia, ignorantia, aliorum pravis exemplis, etc. Ergo moraliter loquendo impossibile est homini legem naturalem sine gratia servare.

214. Obj. 1.° *Ex S. Scriptura.* In *Deut.* XXX, 11, dicitur: "Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum." Item ad *Rom.* II, 14: "Cum enim gentes, quae legem non

(1) *De peccator. merit. et remiss.*, l. 2, c. 5, n. 6 (M. L. 44, 154).
(2) *Homil. 13 in Epist. ad Rom., commentans* v. 24 cap. VII, n. 3 (M. G. 60, 512).
(3) *De fide ad Petr.*, c. 32, n. 73 (M. L. 65, 702).

habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex...:" Hisce autem testimoniis videtur indicari hominem solis naturae viribus legem naturalem posse implere.

Resp. Ad textum Deuteronomii respondendum est cum distinctione, hoc modo: *Mandatum hoc non est supra te* si praecise perpendantur vires physicae, conc.; si perpendantur dificultates supervenientes, subdist.: non est *supra te* cum adjutorio divino, iterum, conc.; sine illo, nego. Verba Moysis, licet de adjutorio gratiae non loquantur, illud non excludunt, quum loquatur judaeis, qui veram fidem habebant et veram religionem supernaturalem profitebantur. Unde quae objiciuntur ex judaeis, nihil probant; quum agatur de personis jam habentibus veram fidem. Ea vero quae ex ethnicis objiciuntur, solum probant illos aliqua legis naturalis implevisse, non omnia ab aliqua persona singulari.

Ad alterum testimonium respondendum est gentes facere aliqua legis naturalis, non autem omnia, nec textus amplius requirit. Potest quoque responderi gentes omnia pracepta legis naturalis implere; verum non ita ut persona particularis omnia praecepta adimpleat, sed quatenus unus unum adimpleat, alter alterum, tertius tertium, et omnes simul sumpti omnia vel fere omnia.

Atque hac postrema responsione explicandum est testimonium S. Joannis Chrysost., quod ita se habet (1): "Ideo enim, ait (Apostolus), mirabiles sunt (graeci), quia lege non opus habuere, et quae legis sunt omnia exhibuere: opera non litteras, animis suis insculpentes."

215. Obj. 2.° Deus non potest praecipere impossibilia. Ergo si observantia legis naturalis est homini impossibilis, Deus non potest illam praecipere.

Resp. Imprimis, quum lex naturalis pro objecto ea quae sunt intrinsece bona aut mala habeat, Deus non potest non velle ea esse aut praecepta aut prohibita: unde si talia praecepta essent impossibilia, sequeretur hominem non peccare, licet illa infringeret, non vero Deum non velle ea esse aut praecepta aut prohibita. Tamen in praesenti providentia finis ultimus naturalis saltem per se non datur.

Deinde in statu naturae lapsae, si peccatum originale hominem a fine naturali non avertit, ut plures volunt, homo haberet jus ad auxilia ordinis naturalis, quibus omnia peccata mortalia vitare posset, et finem naturalem consequi per auxilia, quae Deus illi daret. Verum in statu naturae lapsae raparatae Deus omnibus tribuit auxilia sufficientia ad vitanda peccata et legem naturalem custodiendam; fidelibus quidem tribuit auxilia ordinis supernaturalis, quibus possunt se praeparare ad justificationem, aut si jam justi sint, vitam aeternam mereri.

Praeterea in statu naturae purae indigeret etiam homo auxiliis specialibus ad universam legem naturalem servandam, quae essent illi debita, ut finem naturalem consequi posset (2).

216. Obj. 3.° Homo potest servare singula praecepta distributive per longum tempus. Ergo etiam collective.

(1) *Homil. 5 in epist. ad Rom.*, n. 5 (M. G. 60, 428).
(2) Vide dicta in Tract. *de Deo Creatore*, d. 3, c. 2, a. 5, n. 629.

Resp. Dist. ant.: si non ocurrat gravis tentatio aut alia gravis difficultas, conc.; si occurrat, neg. Jam vero per longum tempus nullam gravem tentationem ocurrere reputandum est speciale Dei beneficium. Praeterea voluntas sine gratia, quum sit valde infirma et instabilis, neque tentationes leves per diuturnum tempus vincet. Postremo omnia praecepta simul sumpta plures important tentationes et difficultates quam unum praeceptum; et idcirco quamvis homo diu unum praeceptum servaret, non inde infertur ea posse servare collective.

217. Obj. 4.° Quae sunt impossibilia tantum moraliter, non sunt simpliciter impossibilia. Ergo potest haberi casus, in quo impossibilitas moralis superetur, et eveniat quod dicebatur moraliter impossibile.

Resp. Diss. ant.: quae sunt moraliter impossibilia sensu stricto aliquando eveniunt, nego; quae sunt moraliter impossibilia sensu latiore aliquando eveniunt, conc. Observantia vero legis naturalis per diuturnum tempus sine gratia est impossiblis moraliter sensu stricto, et ita nunquam eveniet; nam ex observantia praeceptorum exurgunt tot difficultates et tentationes, quibus voluntas succumbit et nunquam illas superat (1).

218. Obj. 5.° Homo per actus honestos, quos exerceat, acquirit habitus recte agendi, et per hos habitus ad universam legem naturalem servandam juvabitur. Ergo.

Resp. Homo per habitus bonos, quos acquirat, solum juvabitur ad exercendos actus similes illis, a quibus habitus sunt geniti, non vero ad omnes actus necessarios ad universam legem naturalem servandam.

219. Scholion I. In statu naturae integrae homo per longum tempus universam legem naturalem sine gratia servare poterat. Ita S. Thomas (2), Suarez (3) etc. *Prob ex S. Augustino*, qui dicit (4): "Ille (Adamus) non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus?...* Ille vero (Adamus) nulla tali rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur." *Item ratione.* Quia in illo statu non modo dabatur potentia physica ad non peccandum; verum etiam potentia moralis, quum nulla gravis difficultas erat superanda. Non quidem ex parte concupiscentiae, quae ibi non aderat; non ex ignorantia, quia ibi non erat ignorantia privativa; non ex tentatione daemonis, quia ibi daemon non poterat excitare passiones et perturbationes interiores; neque aliud caput assignari potest, quod gravem difficultatem importaret ut peccatum vetaretur. Neque eximia dona, quibus Adamus ornabatur, superbiam difficilem vincendi inducebant: quia in illo statu passiones et appetitus erant rationi prorsus subjecti (5).

PP. quidem etiam pro statu naturae integrae requirunt gratiam; verum illam requirunt ad operandum salutariter, non autem ad servanda

(1) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 24, n. 31 et sq.
(2) *1. 2.*, q. 109, a. 4.
(3) *De gratia*, l. 1, c. 25.
(4) *De corrept. et gratia*, c. 11, n. 29.
(5) Vide *Tractatum de Deo Creatore*, d. 3, c. 2, a. 2, schol. 3.

praecepta naturalia quoad substantiam et vitanda peccata. Si aliqui dicant Adamum ad non comedendum de fructu vetito indiguisse gratia, non hoc dicunt de illa comestione materialiter sumpta; sed quatenus a non comestione fructus vetiti dependebat conservatio gratiae sanctificantis in toto genere humano et ostensio fidei in divinas promissiones et comminationes, et victoria de diabolo conante subvertere genus humanum; ideoque tale praeceptum revera ad ordinem supernaturalem pertinebat (1).

220. Scholion II. De qualitate gratiae necessariae ad servandam totam legem naturalem et vitanda peccata per longum tempus. Imprimis ad servandam totam legem naturalem et vitanda peccata per actus mere naturales, etiamsi sit per longum tempus, ex natura rei non requiritur nisi gratia naturalis, seu ea gratia quae dicitur talis, quia est indebita, non quia ad ordinem stricte supernaturalem pertineat. Ratio est, quia ad actus mere naturales, per se sufficiunt principia naturalia. Deinde si lex naturalis servanda est modo salutari et simili modo peccata vitanda sunt, ad hoc requiritur gratia stricte supernaturalis; nam vires naturales nihil prosunt in ordine ad vitam aeternam consequendam. Quaestio vero, utrum ad totam legem naturalem servandam per longum tempus et ad peccata mortalia devitanda per simile tempus sint necessariae gratia santificans et fides, non quidem ex natura rei, sed ex speciali lege Dei in hac providentia, tractabitur inferius, n. 270.

(1) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 1, c. 25, n. 12.

CAPUT IV

De necesitate gratiæ ad actus salutares

Articulus I

De erroribus pelagianorum et semipelagianorum aliorumque

221. De Pelagio (1) Hic haeresiarcha, natione anglus, vixit ad finem saeculi quarti et initium quinti. Amplexus est statum monachalem (2), sed videtur sacros ordines non suscepisse et laicus semper mansisse. Famam quidem sanctitatis acquisivit (3). Tamen Orosius ita de illo loquitur (4): "Sed tibi specialis inde portandi oneris iortasse fiducia est, quod balneis epulisque nutritus latos humeros gestas robustamque cervicem: praeferens etiam in fronte pinguedinem..." Ingenio certe fortissimo, celerrimo et acutissimo fuit (5). Communiter, qui de Pelagio agunt, consentiunt fuisse hominem versipellem, sinuosum et dolis et fraudibus utentem. S. Hieronymus dicit (6) de illo: "Aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta, aliud rostrorum populi... Sola haec haeresis (pelagiana) est, quae publice erubescit loqui, quod secreto docere non metuit." Pelagius plura scripsit; verum ex eorum scriptis solum remanet *Epistola ad Demetriadem* (7).

(1) S. Augustinus, *De haeres., haer. 88* (M. L. 42, 47); item *Epist. 186 ad ad Paulinum* (M. L. 33, 815); item in scriptis contra pelagianos; Orosius, M. L. 31; Marius Mercator, M. L. 48; Suarez, *De gratia, prolegom.* 5, c. 2 et sq.; Tournely (Honor.), *De gratia Christi*, q. 3; Billuart, *De gratia, diss. 1.ª, praeamb.*, a. 1; Wirceburgenses, *De gratia*, c. 2, a. 1; Pesch (Christ.), *De gratia*, p. 1, s. 2. §. 1; Beraza, *De gratia*, p. 2, s. 2, c. 1, a. 1; Schiffini (Sanctus), *De gratia divina*, d. 2. s. 1; *Dictionnaire de Theologie catholique sous la direction de A. Vacant, Augoustin*, tom. 1, col. 2380 et sq.; *Histoire de dogmes par Tixeront* (J.), II, pag. 436 et sq.

(2) S. Augustinus, *De haer.*, n. 88 (M. L. 42, 47).

(3- S. Augustinus *De peccat. merit. et remiss.*, l. 3, c. 1; (M. L. 44, 185) dicit de Pelagio: "Verum post paucissimos dies legi Pelagii quaedam scripta, viri, ut audio, sancti, et non parvo provetu christiani, quae in Pauli Apostoli epistolas expositiones brevissimas continerent". Et c. 3, n. 5, col. 188, ore aliorum vocat eum, *bonum ac praedicandum virum.*

(4) *Apologetic.*, n. 31 (M. L. 31, 1200).

(5) S. Augustinus, *De natura et gratia*, c. 6 (M. L. 44, 250) et c. 35, n. 41, col. 266.

(6) *Epist. ad Ctesiphont.*, 183, n. 11 (M. L. 22, 1159).

(7) Haec *Epistola* invenitur in Patrologia Latina Migne, t. 32, Appendix, col. 1099.

222 Discipuli Pelagii tres potissimum fuerunt, videlicet Caelestius, Julianus et Annianus. Caelestius creditur fuisse italus et vitam monachalem professus est. Ingenio quidem acerrimo praeditus fuit, ut testatur (1) S. Augustinus, et suum magistrum audacia superavit, et sectatores Pelagii etiam caelestiani nuncupabantur (2). Alter sectator insignis Pelagii, nempe Julianus, natus in Apulia, ad Episcopatum Eclanensem pervenit, et bono ingenio et sacris litteris eruditus pugnavit pro Pelagio contra S. Augustinum, a quo victus fuit et ab Episcopatu cecidit, licet systema Pelagii mitigaret. Mortuus est in Sicilia anno 453 vel 454 exercens munus ludimagistri (3). Tertius denique Annianus creditur italus, et fuit diaconus Ecclesiae Celedensis. Multum juvit Pelagium, praesertim sua peritia linguae latinae et graecae (4).

223. Errores Pelagii. S. Augustinus tanquam praecipuos errores Pelagii tres indicat (5), sc.: 1.° Gratiam ex meritis conferri; 2.° in praesenti vita sine qualibuscumque peccatis hominem justum vivere; 3.° hominem obnoxium non esse peccato primi parentis seu originali.

Atque ipse S. Augustinus erroribus memoratis alios addit (6), sc.: sine gratia posse nos servare divina mandata, et gratiam solum conferre, ut facilius faciamus quod faciendum est. Liberum autem arbitrium esse unicam gratiam, quae sine ullis meritis nostris cum ipsa natura accipimus; liberum vero arbitrium juvatur per legem et doctrinam, quatenus haec tribuunt notitiam eorum, quae facienda sunt, licet ad ea facienda non detur adjutorium, quia non est necessarium. Sine oratione obtineri possunt, ea quae postulentur, et ita oratio non est necessaria. Et quamvis Pelagius in episcopali judicio Palaestino ea, quae ipsi opponebantur, negaverit; tamen in posterioribus suis scriptis ea docuit. Praeterea sunt errores Pelagii existere Ecclesiam militantem *sine macula et ruga* (*Ephes.* X, 27), quia justi sunt sine peccato; parvulos nasci sine peccato, et ideo non baptizantur ad delenda peccata, sed ad

(1) *Contra duas epist. pelagian. ad Bonifacium*, l. 2, c. 3 (M. L. 44, 574).
(2) S. Augustinus, *De haeres.*, n. 88 (M. L. 42, 47).
(3) Vide *De primis auctoribus et praecipuis defensor haer. pelagianae* (M. L. 48, 286).
(4) Vide locum proxime citatum, c. 7, col. 298. Item *Epist.* S. Hieronymi 143, n. 2 (M. L. 22, 1181).
(5) *De dono perseverantiae*, c. 2, n. 4 (M. L. 45, 996).
(6) Loco paulo antea citato *De haeres...*

consequendum regnum Dei; verum sine baptismo vitam aeternam consequi. Item affirmat Adamum moriturum sive peccaret, sive non peccaret, et mortuum esse non propter peccatum, sed conditione naturae.

224. Hic mihi visum est adjungere, quae Pelagius dolose negabit tanquam sua, et ex quibus ejus errores melius cognoscuntur. Sunt autem haec (1): "Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quod peccatum Adae ipsum solum laeserit, et non genus humanum. Quod lex sic mittat ad regnum, quemadmodum et Evangelium. Quod infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adamus fuit ante praevaricationem. Quod neque per mortem vel praevaricationem Adae omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat. Quod infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam aeternam. Quod divites baptizati, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non eis reputetur, neque regnum Dei possint habere. Quod gratia Dei et adjutorium non ad singulos actus detur; sed in libero arbitrio sit, et in lege atque doctrina. Quod Dei gratia secundum merita nostra detur; et propterea ipsa gratia in hominis sit posita voluntate, sive dignus sive indignus. Quod filii Dei non possint vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti. Quod oblivio et ignorantia non subjaceant peccato, quoniam non eveniant secundum voluntatem sed secundum necessitatem. Quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque aut facere aliquid, aut non facere. Quod victoria nostra ex Dei non sit adjutorio, sed ex libero arbitrio. Quod ex illo quod ait Petrus, *divinae nos esse consortes naturae*, consequens sit, ut ita possit esse anima sine peccato, quemadmodum Deus. In extremo autem objectorum positum est: quod poenitentibus venia non detur secundum gratiam et misericordiam Dei, sed secundum meritum et laborem eorum, qui per poenitentiam digni fuerint misericordia" (2).

(1) S. Augustinus, *De gestis Pelagii*, c. 35, n. 65 (M. L. 44, 357); *Epist. ad Paulinum* 186, c. 9, n. 32 (M. L. 33, 827); Mansi, *Conc. ampliss. Collect.*, t. 4, col. 311 et sq., *Conc. Diospolitanum*, anno 415.

(2) P. Suarez (*De grat. proleg.* V, c. 4), Card. Beatus Bellarminus (*De gratia et liber. arbitrio*) aliique sentiunt Pelagium negare concursum Dei in operationibus creaturarum. Id ipsum sentire videntur S. Hieronymus (*Epist. ad Ctesiphontem* 133, n. 7) et Orosius (*Apolog.*, n. 19).

Haec omnia subdole improbavit Pelagius, et ideo Conc. Diospolitanum cum ut catholicum agnovit, et versutiam haeresiarchae non detexit.

225. Dubia aliqua circa doctrinam Pelagii. Dubitatur, utrum Pelagius aliquando auxilia gratiae interioris et supernaturalis admiserit; item utrum gratiam sanctificantem receperit. De his theologi inter se dissentiunt: alii admittunt Pelagium a catholicis coactum suscepisse auxilia supernaturalia interna et gratiam sanctificantem; alii vero hoc negant. Verunt propugnatores sive unius, sive alterius opinionis, fatentur Pelagium constanter tenuisse gratiam non esse necessariam ad operandum salutariter, sed tantum ad hoc ut facilius salutaris operatio eliciatur, et ex meritis naturalibus dari. Porro gratia, quae ad operationem salutarem non est necessaria et ex meritis naturalibus datur, non est gratia proprie et stricte supernaturalis; quocirca Pelagius nunquam admisisse videtur auxilia interna et gratiam sanctificantem stricte supernaturalia, et consequenter neque agnovit gratiam internam creatam proprie talem.

Dubitatur etiam qua ratione Pelagius inter vitam aeternam et regnum caelorum distinxit; asserebat enim parvulos non baptizatos consequi vitam aeternam, sed non regnum caelorum, cujus parvuli per baptismum fiebant participes. Profecto talis distinctio est contra Scripturam, quae pro eodem sumit *regnum beatorum* et *vitam aeternam,* ut elucet ex *Matth.* XXV, 34 et 46; nam quod v. 34 vocatur *regnum,* v. 46 dicitur *vita aeterna.* Qua ratione vero Pelagius inter regnum caelorum et vitam aeternam distingueret, non constat; forte intelligebat diversos status beatitudinis, alterum superiorem, alterum inferiorem. Verum quaecumque distinctio ponatur, sine fundamento ponitur.

226. Variationes Pelagii, saltem in modo loquendi. Pelagius initio, nulla gratiae mentione facta, docebat liberum arbitrium sufficere ad servanda omnia mandata, et ideo ad vitanda omnia peccata, ad concupiscencias vincendas et ad vitam aeternam consequedam. At, quia Pelagius vidit suo modo loquendi gignere invidiam et offensionem (1) catholicorum, professus est gratiam se non impugnare, sed illam profiteri; sed pro gratia nihil aliud in-

(1) Vide S. Augustinum, *Serm.* 26, c. 7 (M. L. 38, 174).

tellexit nisi ipsam naturam et liberum arbitrium quatenus a Deo homini concessa sunt.

227. Postea vero quum Pelagius urgeretur a catholicis, ut agnosceret gratiam distinctam a natura et libero arbitrio, agnovit etiam ut gratiam, legem, doctrinam, revelationem, exemplum Christi, et remissionem peccatorum. In his autem continetur multiplex illuminatio, quae in doctrina Pelagii potest esse mere naturalis, et se habere ex parte manifestationis objecti, non ad voluntatem excitandam. Quod vero Pelagius admittat illa, quae indicata sunt, ut gratias Dei, ex multis locis S. Augustini probari posset; in specimen aliqua tantum afferam.

S. Augustinus dicit (1): "Iam gratiam Dei et adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura et libero ponit arbitrio (Pelagius), aut in lege atque doctrina: ut videlicet, cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo et faciat bonum, revelando et ostendendo quid fieri debeat, adjuvare creditur, non etiam cooperando et dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit faciat."

Idem S. Doctor asserit (2) de Pelagio: "Quam nos (pelagiani) non, ut tu putas (Augustinus), in lege tantummodo, sed et in Dei esse adjutorio (gratiam)... Adjuvat enim nos Deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi et ineffabili dono gratiae caelestis illuminat... Qui haec dicit, gratiam tibi videtur negare? An et liberum hominis arbitrium, et Dei gratiam confitetur?" His addit S. Augustinus: "In his omnibus non recessit a commendatione legis atque doctrinae, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, et hoc exsequens quod proposuerat, cum diceret, *sed in Dei esse adjutorio confitemur*. Denique Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit, commemorando doctrinam et revelationem, et oculorum cordis adapertionem, et demonstrationem futurorum, et apertionem diabolicarum insidiarum, et multiformi atque ineffabili dono gratiae caelestis illuminationem: ad hoc utique ut divina praecepta et promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina."

(1) *De gratia Christi*, c. 3, n. 3 (M. L. 44, 361).
(2) *De gratia Christi*, c. 7, n. 8 (M. L. 44, 364).

Rursus asserit (1) S. Augustinus: "Sed cum dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero quae datur in fine, id est, aeternam vitam meritis nostris praecedentibus reddi: respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam vero merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus dicens: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?*"

Denique tradit (2) S. Augustinus; "Ecce quomodo vult intelligi (Pelagius) adjuvari eos qui sub lege peccant, ut per gratiam Christi justificati liberentur, tanquam eis non sufficiat sola lex, propter nimiam peccandi consuetudinem, nisi Christi accedat, non inspiratio caritatis per Spiritum Sanctum, sed intuendum et imitandum in doctrina evangelica virtutis ejus exemplum." Et paulo inferius dicit: "Hanc (gratiam) iste cum constituat, non in virtutis ejus auxilio, sed imitationis exemplo, quid amplius de illo sperare debemus, ubicumque gratiae nomen sub ambigua generalitate commemorat?".

228 Possibilitas, voluntas, actio Pelagii. Dicit (3) namque S. Augustinus: "Sed ne quis forsitan dicat, nos vel non recte intelligere quae loquitur, vel malevolo animo in alium sensum quae non ita dicta sunt vertere, ipsa jam verba ejus (Pelagii) accipite. Nos, inquit, sic tria ista distinguimus, et certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est, posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturae suae contulit: duo vero reliquia, hoc est, velle et esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt."

Et inferius (4) dicit S. Augustinus: "Ecce est totum dogma Pelagii in libro ejus tertio pro *Libero Arbitrio*, his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse, id est, possibilitatem, volun-

(1) *De gratia et libero arbitrio*, c. 6, n. 15 (M. L. 44, 890).
(2) *De gratia Christi*, c. 39, n. 43 (M. L. 44, 380). Vide de eodem libro, c. 2, n. 2, col. 361.
(3) *De gratia Christi*, c. 4, n. 5 (M. L. 44, 362).
(4) Cap. 5, n. 6, col. 363.

tatem, actionem tanta curavit subtilitate distinguere, ut... sciamus quid loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendo quam sentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo, tanquam hoc sit infirmum, quod Deus ipse posuit in natura; cetera vero duo quae nostra esse voluit, ita sint firma, et fortia, et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; et ideo non ...juvet ut velimus non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle et agere valeamus."

Etiam Pelagius distinguebat inter possibilitatem et adjutorium possibilitatis; per possibilitatem intelligebat naturam, per adjutorium legem et doctrinam. Hoc indicat Augustinus, quum dicit (1): "Hanc autem naturalem possibilitatem quod adjuvari Dei gratia confitetur (Pelagius), non est hic apertum vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari: sed sicut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi quam legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur." Etiam id ipsum indicat, quum dicit (2): "Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eamdem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturae asserit adjuvari? Quantum autem existimo, ideo veretur intelligi, quia damnavit eos qui dicunt gratiam Dei et adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina: et tamen latere se putat, cum aliis atque aliis locutionibus versat significationem legis atque naturae."

229. Fundamenta Pelagii. Tria hujus haeresiarchae assignantur fundamenta. 1.um est necessitatem gratiae non posse stare cum libero arbitrio. Id constat ex S. Augustino (3).

2.um est Deum non posse jubere illa, quae humanae naturae sunt impossibilia, et extrinsecus, seu ex principiis extrinsecis debeat adjuvari, et per ipsam naturam non possit illa adimplere. De hoc fundamento constat ex *Epist. Pelagii ad Demetriadem* (4).

Tertium fundamentum est Deum non esse acceptatorem per-

(1) *De gratia Christi*, c. 6, n. 8, col. 364.
(2) Eodem loco, c. 9, n. 10, col. 365.
(3) *De gestis Pelagii*, c. 35, n. 65 (M. L. 44, 358).
(4) Cap. 16. Migne Patr. Lat. tom. 33, col. 1099, 1110.

sonarum; et hac de causa Pelagius statuit gratiam dari secundum merita.

230. De condemnatione Pelagianismi (1). Ab anno 411 vel 412 ad 431 celebrata sunt 24 Concilia in causa Pelagii. Ex his praecipua sunt Concilium Carthaginense, anno 416, Milevitanum, eodem anno, alterum Carthaginense, anno 418, et Generale Ephesinum.

Concilium Carthaginense, anno 416, concurrentibus plusquam sexaginta episcopis celebratum fuit. Acta hujus Concilii perierunt praeter Epistolam Synodalem ad Innocentium I scriptam, qua condemnatur Pelagius et Caelestius et a Summo Pontifice postulatur, ut eos similiter condemnet (2).

Concilium Milevitanum, anno 416, concurrentes habuit sexaginta episcopos, plus minusve, quorum acta amissa esse videntur; sed remanet Epistola Synodalis (3) ad Innocentium I, in qua improbantur Pelagius et Caelestius, et postulatur remedium malis adductis a Pelagianis.

Conc. Carthaginense anno 418 celebrato. Ad hoc Concilium concurrerunt plusquam ducenti episcopi, et octo canones contra Pelagianos ediderunt (4).

Conc. Ephesinum Oecumenicum, celebrato anno 431. Hoc Concilium duos canones (5) edidit contra Caelestium pelagianum, et praeterea haec habentur contra Pelagianos et Caelestianos.

Actione 5.ª legitur (6): "Porro perlectis in Sancta Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum et Caelestianorum, Caelestii et Pelagii, Juliani... et eadem cum illis sentientium, quae a pietate tua de ipsis decreta et constituta sunt, judicavimus et nos ea solida firmaque permanere debere, et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes."

(1) Migne, Patrolog. Lat., tom. 48, pag. 321 et sq.; Tournely, *De gratia Christi*, q. 3, *Error Pelagii ab Ecclesia proscriptus*; Wirceburgens., *De gratia*, disp. 4, c. 2, a. 1, n. 177 et sq.; Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 2, c. 1, a. 1; Pesch (Chr.), *De gratia*, p. 2.ª, s. 2, n. 82 et sq.

(2) Mansi, *Conc. Collectio*, t. 4, col. 321; Conc. Carthaginense anni 416; Hefele-Lecrercq, tom. 2, l. 8, §. 118, pag. 183; Epistola 175 inter epist. S. Augustini; Mign. Lat., 33, 758.

(3) Mansi, *Concil. ampliss. Collect.*, tomo 4, col. 334 et sq.; Item epist. 76 inter Augustinianas, Mign. 33, col. 762.

(4) Mansi, *Conc. Collectio*, t. 4, col. 326 et sq., et 378; Hefele-Lecrercq, *Histoire des Conciles*, l. 8, §. 119; Migne, Patrol. Lat. tom. 45, col. 1728; Denz.-Bannwart, n. 101 et sq., pag. 47.

(5) Hi canones habentur apud Mansi, *Collect. Conciliorum*, Conc. Ephesinum, Act. 7.ª, col. 1471, tom. 4; et apud Denz.-Bannwart, nn. 126, 127, can. 1 et 4.

(6) Mansi, *Conc. ampl. collectio*, tom. 4 *Epist. Concilii ad Caelestinum Papam*, versus fin., col. 1338.

Et Actione 7.ª, in praefatione ad canones, dicitur (1): "Hi nullam omnino ecclesiasticae communionis facultatem habentes, ut ex auctoritate sacerdotali cuiquam nocere vel prodesse possint, propterea quod etiam quidam ex ipsis sunt depositi, cum primis Nestorii et Caelestii sequi sententias manifeste ex eo sunt deprehensi, quod Nestorium nobiscum condemnare noluerunt: quos Sancta Synodus communi decreto ab omni ecclesiastica communione alienos esse statuit, et omnem sacerdotii functionem illis ademit, per quam aliquibus vel nocere vel prodesse poterant."

231. Improbatio Pelagianismi a Summis Pontificibus et Sanctis Patribus. Gelasius I dicit (2): "An fortasse nescitis hanc haeresim de qua loquimur (pelagianam), et ab apostolica dudum sede per beatae memoriae Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Caelestinum, Sixtum, Leonem, continuis et incessabilibus sententiis fuisse prostratam; nec tantum Ecclesiae catholicae legibus, sed principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, ut nec usquam terrarum vivendi locum sectatores spes habere sinerentur?" De singulis his Pontificibus pauca.

Innocentius I tres Epistolas scripsit contra Pelagianos; prima PP. Concilii Carthaginensis, celebrati anno 416, respondens; altera PP. Conc. Milevitani, et tertia quinque Episcopis inter quos erat S. Augustinus (3). In his tribus Epistolis reprobat pelagianismum, et approbat doctrinam Episcoporum, quibus scribit.

Zosimus *Epistolam* vocatam *Tractoriam,* in qua doctrina Pelagii et Caelestii damnabatur, ad Episcopos totius orbis scripsit, qui illam subscripserunt, exceptis decem et octo duce Juliano, qui depositi sunt. Ita per totum orbem Pelagiani damnati sunt (4).

Caelestinus I ad Episcopos Galliae scripsit Pelagianos reprobans (5).

S. Leo M. a Pelagianis, ut in Ecclesia recipiantur, exigit ut errores abjurent (6).

Ex PP. praecipuus impugnator pelagianorum fuit S. Augusti-

(1) Mansi, *Conc. ampl. collect.,* t. 4, col. 1471.
(2) *Epist. 5 ad Honor. Dalmatiae Episcop.* (M. L. 59, 32); Mansi *Conc. ampliss. collect.,* tomo 8, col. 21.
(3) Tres *Epistolae* memoratae habentur apud Mign., P. L. tom. 20, col. 582 et sq., et sunt epistolae 29, 30, 31.
(4) S. Augustinus, *Epist. 190 ad Optatum,* c. 6, n. 22 (M. L. 33, 865); Marius Mercator, *Commonitor.* c. 3 (M. L. 48, 90).
(5) M. Lat. 50, 528.
(6) *Epist. ad Aquileiensem Episcopum* (M. L. 54, 593), et in altera *ad Septimum, Episcop. Altinensem* (M. eodem loco, col. 597).

nus, qui multa contra Pelagianos scripsit (1). Cum S. Augustino impugnarunt quoque Pelagianos S. Hieronymus (2), Orosius (3) et Marius Mercator (4).

232. De Semipelagianis (5). *Semipelagiani* vocantur illi, qui plura pelagianorum rejecerunt, et aliqua admiserunt; dicuntur reliquiae pelagianorum eadem de causa; et Massilienses, quia plures eorum Massiliae degebant. Praecipui Semipelagiani sunt Cassianus, Faustus, Vincentius et Gennadius.

Cassianus (Joannes) natione, ut videtur, gallus, natus est versus annum 50 vel 60 saeculi IV, et mortuus versus annum 40 saeculi V. Fuit monachus in Palaestina et in Aegypto, et a S. Joanne Chryst. fuit ordinatus diaconus. Deinde Massiliae presbyteratum accepit, et praefuit in coenobio ibidem ab ipso extructo. Emicuit fama sanctitatis et sapientiae, et scripsit *duodecim libros de coenobiorum institutis et viginti quatuor collationes;* unde nomen *Collatoris* accepit. S. Gregorius M. approbat aedificationem coenobii in honorem S. Cassiani (6):

Faustus vixit saeculo V, et fuit abbas coenobii Lirinensis, et postea Episcopus Rhegiensis. Acerrime semipelagianismum propugnavit, et in ipsius defensionem scripsit *De gratia et liber. arbitrio* libros duos. Habitus est ut vir sanctus. Ejus scripta, sicut Cassiani, reprobavit Gelasius I Papa (7).

Vincentius contra quem scripsit S. Prosper quasdam *Responsiones,* quas sic inscripsit: *Responsiones ad capitula objectionum vincentianarum.* Nonnulli putant hunc Vincentium esse Vincentium Lirinensem (8):

Gennadius, presbyter massiliensis, floruit saeculo V; videtur

(1) Opera S. Augustini contra Pelagianos continentur in Patr. Lat. Migne, tom. 44 et 45. Etiam aliquae Epistolae ejusdem Sancti Doctoris de eadem materia reperiuntur in tom. 33 Migne.
(2) *Dialogus contra Pelagianos* (M. L. 23, 495 et sq.).
(3) *Apologeticum* (M. L. 31, versus finem).
(4) *Commonitorium et Subnotationes adversus Pelagianos* (M. L. 48).
(5) S. Augustinus, *De praedestinatione sanctorum* (M. L. 44, 959 et sq.); *De dono perseverentiae* (M. L. 45, 995 et sq.); S. Prosper, *Epistol. ad Augustinum* (Mign. Lat. inter Epist. S. Augustini, 225, tom. 33, col. 1002), et haec ipsa Epistola habetur etiam inter opera S. Prosperi (M. L. 51, 67); Hilarius, *Epist. ad S. August.* (M. L. 33, 1007); Billuart, *De gratia,* diss. praeambula, a. 2; Wirceburgenses, *De gratia,* disp. 4, c. 2, a. 2; Beraza, *De gratia Christi,* p. 2, s. 2, c. 1, a. 2; Schiffini, *De gratia divina,* disp., 2, s. 1.
(6) *Epist. l.* 7., *Epist. 12 ad Respectam* (M. L. 77, 866).
(7) *In Conc. Romanum,* anno 494 (Mansi, *Collect. Conc.,* tom. 8, col. 152).
(8) Vide Migne, P. L., 50, 637.

fuisse semipelagianus; reprehendit enim S. Augustinum (1) et S. Prosperum (2), et laudat Faustum (3).

Omnes isti habiti sunt ut catholici; quia ante Conc. Arausicanum II, anno 529, non erat eorum doctrina expresse damnata; et S. Prosper, in *Epist.* laudata ad S. Augustinum, illos vocat *servos Christi,* et S. Augustinus (4) *nostros et dilectissimos.*

Fuerunt quoque Semipelagiani quidam Vitalis (5) et nonnulli *Monachi* Adrumetini (6); verum talem errorem retractarunt. Ipse Augustinus, ut ipse fatetur (7), aliquando errorem semipelagianorum admisit.

233. De erroribus semipelagianorum. Semipelagiani admittebant peccatum originale, et gratiam esse necessariam ad omne opus salutare. Sic dicit (8) S. Augustinus: "Pervenerunt autem isti fratres nostri (semipelagiani), pro quibus sollicita est pia caritas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut praeveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere consentiant." Et idem Augustinus *De dono perseverantiae* inquit (9): "Sed quid plura? Satis docuisse me existimo, vel potius plus quam satis, dona Dei esse, et incipere in Dominum credere, et usque in finem in Domino permanere. Cetera vero bona ad vitam piam, qua Deus recte colitur, pertinentia, etiam isti propter quos haec agimus, Dei dona esse concedunt."

1.° Error igitur capitalis semipelagianorum erat ponere aliquid naturale, nempe aliquod initium fidei, qua gratia ad bona opera obtineretur. Unde semipelagiani non computabant inter actus salutares desiderare salutem, quaerere salvatorem, ab illo salutem sperare, petere et alia similia, sicut non pertinet ad curationem aegroti advocatio medici, ab illo petere et sperare sanitatem. Quocirca secundum semipelagianos ea omnia, quae ordi-

(1) *De scriptoribus ecclesiasticis,* c. 38 (M. L. 58, 1079).
(2) Eolem loco, c. 84, col. 1108.
(3) Eodem loco, c. 85, col. 1109.
(4) *De dono perseverantiae,* c. 24, n. 66 (M. L. 45, 1053).
(5) Vide S. Augustinum, *Epist.* 217 (M. L. 33, 978 et sq.).
(6) Vide *epistolas* S. Augustini *ad Valentinum* (M. L. 44, 875 et sq.) et Valentini *ad S. Augustinum* (M. L. 44, 911).
(7) *De praedestinatione sanctorum,* c. 3, n. 7 (M. L. 44, 964).
(8) *De praedest. sanctorum,* c. 1, n. 2 (M. L. 44, 1033).
(9) Cap. 24, n. 66, col. 1033, tom. 45.

nantur ad fidem, seu ad credendum, licet sint naturalia, ex lege Dei ordinatur ad gratiam et ad bona opera salutaria.

2.° Asserebant perseverantiam dependere a libero arbitrio, non esse donum Dei; et ideo illos habere perseverantiam, qui in voluntate etiam naturali perseverandi erant constantes.

3.° Sequitur ex dictis Deum omnibus fidem naturalem habentibus dare gratiam ex conatu et merito naturali credendi.

4.° Deum velle salutem omnium ex merito naturali credendi, i. e., omnes, qui viribus naturalibus credunt, Deum velle esse salvos. Similiter Christum esse mortuum pro omnibus, qui viribus naturalibus crederent.

5.° Semipelagiani recusabant praedestinationem ad gratiam esse gratuitam, et contendebant haberi ex meritis naturalibus credendi.

6.° Asserebant illis nationibus praedicari evangelium, quae praevisae erant esse crediturae, et illis non praedicari, quae non erant crediturae. Item illos parvulos baptizari, qui in aetate adulta erant crediturі, et non baptizari, qui non erant crediturі. Ex quo elucet semipelagianos merita conditionata, quae nunquam erant futura, admittere ut merita, a quibus salus aeterna dependebat.

Hic animadvertendum est non esse semipelagianum admittere Deum velle salutem omnium hominum et Christum pro omnibus mortuum esse; quum Ecclesia catholica hoc admittat. Sed est semipelagianum haec omnia facere a fide naturali dependere. Similiter non est semipelagianum asserere Deum cognoscere conditionate futura libera per scientiam mediam, quum Ecclesia admittat ut catholicos theologos, qui hoc defendunt. Similiter non est semipelagianum defendere praedestinationem ad gloriam post praevisa merita supernaturalia (1).

(1) Apposite ad hanc rem dicit P. Natalis Alexander, ordinis PP. Praedicatorum (*Hist. Eccles.* saecul. V, c. 3, a. 8, n. 6, ad finem): "Cavendum tamen est ne recentioribus quibusdam theologis, qui praedestinationem electorum ad gloriam intuitu meritorum a Deo fieri contendunt, et scientiam quamdam mediam propugnant, semipelagiani erroris nota inuratur, quod imprudenter et temere novi quidam Auctores fecerunt, vel semipelagianorum dogmatum ignari, vel studio partium in transversum acti. Magnum enim est quantum ad hoc utrumque dogma inter semipelagianos et theologos illos discrimen. Nullam enimvero praedestinationem gratuitam semipelagiani admittebant, nedum ad gloriam, sed nec ad gratiam... Theologi vero laudati, praedestinationem ad gratiam omnino gratuitam profitentur. Solam electionem ad gloriam intuitu meritorum fieri volunt." Et paululo inferius prosequitur: "Quod spectat scientiam illam, quae media nuncupatur, non in hoc fuerunt haeretici semipelagiani, quod eam admiserint et propugnaverint: sed quod ex praescientia meritorum, vel peccatorum, quae nus-

Fundamenta semipelagianorum fuerunt, quia per doctrinam S. Augustini putabant Deum fieri acceptorem personarum et injustum gratiae distributorem, immo destructorem liberi arbitrii.

234. Impugnatio et condemnatio semipelagianismi. S. Augustinus, *De praedestinatione sanctorum* (1), et *De dono perseverantiae* (2) semipelagianismum impugnavit. Post S. Augustinum praecipuus semipelagianismi impugnator fuit S. Prosper, qui contra semipelagianos plures tractatus scripsit (3). Impugnarunt quoque Semipelagianismum Hilarius (4) (non Hilarius Episcopus Arelatensis), S. Fulgentius (5), Caesarius Arelatensis (6), Petrus diaconus (7), Joannes Maxentius etc.

Ex Pontificibus et Conc. Arausicano. Caelestinus Papa defendit (8) et laudat S. Augustinum contra semipelagianos. Gelasius I doctrinam semipelagianorum damnat (9), et in Conc. Romano improbat (10) opuscula Cassiani et Fausti Rhegiensis. Hormisdas doctrinam Fausti Rhegiensis non recipit (11): Bonifacius II approbat (12) Conc. Arausicanum II his verbis: "Quae cum ita sint, invenire non possumus quid ad credendum in Christo, sino Dei gratia, humanae deputent voluntati, cum Christus auctor consummatorque sit fidei. Quapropter affectu congruo salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus." Ex quibus verbis apparet Bonifacium II Conc. Arausicanum II approbasse pro Ecclesia universa. Accedit quod inferius, in eadem *Epistola,* vocat doctrinam oppositam *reliquas pelagiani erroris ineptias.* Concilium vero Arausicanum omnem doctrinam semipelagianorum damnat (13).

quam essent futura, Deum hominum sortes definire assererent, idque etiam alios praedestinare ad gloriam, alios damnare ad poenam: idque etiam locum habere in parvulis. At recentiores illi theologi, de quibus agimus, longe sunt ab istius erroris flagitio: quod enim propugnant scientiae mediae genus circa merita vel peccata, sub conditione quae nusquam ponenda sit, futura, non ita versatur, ut Deus in praedestinationis et reprobationis negotio rationem eorum aliquam habeat."

(1) M. L. 44, 959 et sq.
(2) M. L. 45, 993 et sq.
(3) M. L. 51, 67 et sq.
(4) M. L. 44, 954.
(5) M. L. 65.
(6) M. L. 67.
(7) M. L. 62, 79.
(8) *Epist. ad Episcopos Galliae* (Mansi, *Collect. Concilior,* tom. 4, col. 454).
(9) *Epist. ad omnes Episcop. per Picenum* (Mansi, tom. 8, col. 23).
(10) Mansi, *Collect. Concilior.,* tom. 8, col. 152.
(11) *Epist. ad Possessorem Episcop.* (Mansi, loco citato, col. 478).
(12) *Epist. ad Caesarium Arelatensem Episc.* (Mansi, loco citato, col. 735).
(13) Hoc Concilium celebratum fuit initio Julii, anni 529 (Mansi, *Collect. Conciliorum,* tom. 8, col. 711 et sq.).

235. De aliis erroribus circa gratiam (1). De ethnicis et judaeis. Ethnici, quum veram religionem et verum Deum non agnoscerent, non poterant cognoscere gratiam supernaturalem, quae tantum per revelationem divinam cognosci potest; ideoque non poterant illam docere, neque impugnare, saltem directe. Tamen stoici dici possunt indirecte impugnare gratiam, quia docebant homines habere virtutes et omnia bona in ordine morali a seipsis.

Judaei dupliciter circa gratiam errarunt: 1.° quidem, quia existimabant legem veterem ad salutem consequendam sufficere, et gratiam Christi non sufficere, nisi cum observantia legis veteris conjungeretur; qui certe error a S. Paulo in *Epist. ad Galatas* refutatur. Alter error erat, Evangelium esse praedicandum specialiter judaeis, quia illis propter observantiam legis veteris erat Christus promissus. Hic error a S. Paulo refutatur in *Epist. ad Romanos.*

236. Praecursores Pelagii. S. Hieronymus docet (2) doctrinam Pelagii esse ramusculum doctrinae Origenis. Et ad finem Dialogor. contra pelagianos, sic hos compellat (3): "Transite ad amasium vestrum (Originem), qui praeterita in caelis et antiqua delicta solvi dicit in Baptismo, ut cujus in ceteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorum sequamini."

Marius Mercator asserit Theodorum Mopsuestenum fuisse magistrum doctrinae pelagianae his verbis (4): "Simul admonere volens, Julianum ex Episcopo oppidi Eclanensis, haereticum pelagianum seu caelestianum, hunc secutum esse Theodorum, ad quam peragratis terris... tanquam ad christianorum dogmatum praedicatum magistrum, tetendit; ut de haeresi pelagiana, seu caelestiana, quam defendendam et sequendam suscepit, ab ipso confirmaretur..." Et speciatim Theodorum Mopsuestenum docuisse non dari peccatum originale affirmat ipse Marius Mercator (5).

Idem Marius Mercator dicit de Rufino (6): "Hanc ineptam

(1) Suarez, *De gratia, proleg.* V; Wirceburgenses, *De gratia*, d. IV, c. 2, a. 3 et sq.; Billuart, *De gratia* dissert. I praeamb., a. 3; Migne, *Theologiae Cursus Completus*, tom. 10, *De gratia*; Herrmann, *De divina gratia*, sect. praevia, a. 3 et sq.; Beraza, *De gratia Christi*, s. 3, quaest. dogmat.; Janssens, *De gratia*, dissert. praev., §. 3.

(2) *Epistol. ad Ctesiphontem*, n. 3 (M. L. 22, 1152).

(3) *Dialog. 3 contra pelagian.* l. 3, n. 19 ad finem (M. L. 23, 590).

(4) *Symbolum Theodori Mopsuesteni*, initio (M. L. 48, 215).

(5) *Liber subnotationum, praefatio* (M. L. 48, 109 et sq.).

(6) Eodem loco, col. 111.

et non minus inimicam rectae fidei quaestionem (de non existentia peccati originalis), sub sanctae recordationis Anastasio Romanae Ecclesiae summo pontifice, Rufinus quidam natione syrus Romam primus invexit, et ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens, et per se proferre non ausus, Pelagium gente britannum monachum tunc decepit, eumque ad praedictam apprime imbuit atque instituit impiam vanitatem." Et S. Augustinus asserit (1) Caelestium in Conc. Carthaginensi ita esse locutum: "Caelestius dixit: sanctus presbyter Rufinus Romae qui mansit cum sancto Pammachio: ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit." Ac proinde iste Rufinus praecursor pelagianorum aliquo modo fuit. Aliqui volunt hunc Rufinum esse Rufinum Aquileiensem.

237. De haeresi praedestinatiana. Haec haeresis ita describitur (2) a Sigeberto Gemblacensi: "Praedestinatorum haeresis hoc tempore coepit serpere; qui ideo praedestinati vocantur, quia de praedestinatione et divina gratia disputantes asserebant, quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem praedestinati fuerint; nec impiis obsit, quod improbe vivant, si a Deo fuerint praedestinati ad vitam. Quae assertio et bonos a bonis avocabat, et malos ad mala provocabat. Haec haeresis ex libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur." Haec haeresis plus minusve saeculis V et IX nonnullos sectatores habuisse videtur (3).

238. De Luthero et Calvino (4). Utriusque haeresiarchae doctrina ad substantiam quod attinet, eadem est. Uterque docet naturam humanam propter peccatum Adae in naturalibus fuisse corruptam et vitiatam. Sic Calvinus dicit (5): "Cujus (Dei) in contumeliam recideret si quid vitii inesse naturae probaretur." Et eodem cap., n. 4, ita loquitur: "Ergo quum Dei imago sit integra humanae naturae praestantia, quae refulsit in Adamo ante defectionem, postea sit vitiata et prope deleta, ut nihil ex ruina nisi confusum, mutilum, labeque infectum supersit..." Et n. 8

(1) *De peccato originali*, c. 3 (M. L. 44, 387).
(2) *Cronica*, anno 415 (M. L. 160, 76).
(3) Vide Tournely, *De gratia Christi*, q. 3, §. *De praedestinationis*, et Wirceburgenses, *De Deo uno*, d. 4, a. 3 et sq.
(4) Lutherus natus est anno 1483, et mortuus 1546; et Calvinus natus est 1509 et mortuus 1564.
(5) *Instit. christian. religion*, l. 1, c. 15, n. 1.

addit: "Nam ad rectitudinem formatae erant singulae animae partes, et constabat mentis sanitas, et voluntas ad bonum eligendum libera."

Ex naturae corruptione inferunt hominem per peccatum originale amisisse libertatem. Ita Leo X in damnatione (1) errorum Lutheri, n. 36, hunc ponit: "Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo; et dum facit quod in se est, peccat mortaliter." Et Calvinus asserit (2): "Ac voluntatem movet (Deus), non qualiter multis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperari aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo... Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus ut potuerit ad alterutram partem inclinare..." Non vero asserunt humanam voluntatem subjici coactioni, sed tantum necessitati.

Sublato quidem libero arbitrio consequitur hominem gratiae resistere non posse, et non dari gratiam sufficientem, cui homo consentire possit, licet non consentiat. Immo asserunt voluntatem mere passive se habere, ut indicat Conc. Tridentinum his verbis (3): "Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum... veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: A. S."

Ex hac doctrina sequitur non esse in manu hominis implere praecepta. Et sic docent isti novatores, et speciatim Calvinus dicit (4): "Quod autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul et confirmandum." Ex eadem doctrina sequitur praedestinatianismus; etenim quum homines, qui necessario agunt, nihil pro sua salute modo meritorio agere possint, non alia ratio praeter divinam praedestinationem salutis aut condemnationis hominum assignari potest.

Postremo Lutherus et Calvinus non admittunt peccata deleri, sed tantum non imputari, nec justificationem intrinsecam, sed tantum applicationem justificationis Christi, quae omnibus aequaliter applicatur, et quidem per solam fidem, nec dantur bona opera immunia a peccato.

239. De Baio, Jansenio et Quesnello. Baius natus est anno

(1) In Bulla *Exsurge Domine*, 15 Junii, 1520.
(2) Loco citato, l. 2, c. 3, n. 10.
(3) *Sess.* 6.ª can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 814).
(4) *Inst. christ. relig.*, l. 2, c. 7, n. 5.

1513, et mortuus 1589: fuit Professor in Facultate theologica Lovaniensi. Hujus errores damnati (1) a Pio V ad octo capita reducuntur a P. Kilber, scilicet (2): 1.° *Gratia sanctificans* fuit debita et naturalis naturae innocenti (3). Similiter homini innocenti erat debita *immunitas ab omni malo* (4).

2.° Opera bona naturalia in quocumque statu sunt meritoria vitae aeternae (5).

3.° Liberum arbitrium hominis lapsi nonnisi ad peccandum valere (6). Immo statuit in homine lapso liberum arbitrium habere libertatem a coactione, non autem a necessitate (7).

4.° Etiam motus concupiscentiae indeliberati sunt peccata in non renatis, et in peccatoribus (8).

5.° Peccatum originis habet rationem peccati sine relatione ad voluntatem Adami (9).

6.° Omnis amor creaturae rationalis aut est caritas theologica, aut vitiosa cupiditas (10). Deum homini impossibilia praecepisse (11).

7.° Justificatio fit formaliter per obedientiam mandatorum, non per gratiam sanctificantem (12). Sacramenta baptismi et poenitentiae reatum tollunt, sed vivificatio fit a solo Deo (13).

8.° Solutio poenae temporalis, quae peccato dimisso saepe remanet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est (14).

P. Ripalda ponit propositiones Baii damnatas a Pio V ordinatas ratione materiae (15).

Praecipui Baii errores videntur esse dona concessa Adamo in statu innocentiae non esse supernaturalia, sed debita naturae, nec vitam aeternam reddi gratiae Dei, sed obedientiae mandatorum (prop. 1, 3, 11). Leberum arbitrium esse quidem immune a coac-

(1) In bulla *Ex omnibus afflictionibus* 1 Oct. 1567.
(2) Wirceburgenses, *De gratia*, d. 4, c. 2, a. 4, n. 204.
(3) Vide prop. 9, 21, 23, 24, 26, 55, 79.
(4) In prop. memoratis et 78.
(5) Prop. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 11, 12, 13, 15, 17, 18, 19, 62.
(6) Prop. 25, 27, 28, 29, 30, 68.
(7) Prop. 39, 41, 66.
(8) Prop. 48, 49, 50, 51, 74, 75, 76.
(9) Prop. 47.
(10) Prop. 38.
(11) Prop. 54.
(12) Prop. 42.
(13) Prop. 57 et 58.
(14) Prop. 10, 59, 77, 60.
(15) *Adversus Baianos*, d. 1, s. 11.

tione, sed non a necessitate, et solam violentiam libertati repugnare (prop. 39 et 66). Quidquid non est a caritate Dei est vitiosa concupiscentia, et liberum arbitrium, sine gratiae Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet (prop. 38 et 27). Haec gratia Dei est quidem secundum Baium aliquid naturae superadditum, sed illi debitum. Unde Baius a pelagianis distinguitur, quia hi ipsam naturam vocabant gratiam, sed Baius vult gratiam esse a natura distinctam, sed illi debitam (1).

240. De Jansenio. Jansenius (Cornelius) natus anno 1585 et mortuus 1638: fuit Episcopus Iprensis, et ante mortem declaravit se omnia sua scripta subjicere judicio Sedis Apostolicae, et ideo non censendus est haereticus. Hic Jansenius non est confundendus cum altero Jansenio (Cornelio), Episcopo Gandavensi, omni ex parte orthodoxo, qui natus est anno 1510 et mortuus 1576. Errores praecipui Jansenii Iprensis continentur in propositionibus ejusdem damnatis ab Innocentio X (2), et ita se habent:

1.ª Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Damnata est ut *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda,* et *haeretica.*

2.ª Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. Damnata est ut *haeretica.*

3.ª Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Damnata est ut *haeretica.*

4.ª Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere et obtemperare. Damnata est ut *falsa et haeretica.*

5.ª Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. Damnata est ut *falsa, temeraria, scandalosa,* et intellecta eo sensu, ut Christus

(1) Vide P. Pesch (Chr.), *De gratia,* p. 1, s. 2, a. 2, n. 115.
(2) Per constitut. *Cum occasione,* 31 Maj. 1653 (Denz.-Bannwart, n. 1092 et sq.).

pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, *impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans,* et *haeretica.*

Atque hae quinque Jansenii propositiones damnatae sunt in sensu Auctoris, ut constat ex Alexandro VII dicente (1): "Quinque illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est: *Augustinus,* excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse, declaramus et definimus."

Praeterea, ut in 3.ª propositione damnata indicatur, Jansenius docet hominem per peccatum originale amisisse liberum arbitrium, seu libertatem indifferentiae in unam et in alteram partem, et pro libero arbitrio habere duplicem delectationem, alteram, quae in malum inclinat, et alteram, quae in bonum. Si delectatio bona seu caelestis est major, seu habet plures gradus intensionis, voluntas necessario illam sequitur; contra si delectatio prava plures habet gradus intensionis, seu est major, voluntas hanc necessario sequitur. Quocirca voluntas constanter et necessario sequitur majorem delectationem (2):

241. De Quesnello (Paschasio). Natus est Parisiis an. 1634, et obiit Amstelodami an. 1719: fuit presbyter, et nomen dedit Congregationi Oratorii a Card. Berullo in Galiis institutae. Inter alia scripsit librum, cui titulus: *Le nouveau Testament en français avec de reflexions morales.* Hic liber damnatus fuit, et ex illo extractae sunt 101 propositiones, quas Clemens XI damnavit (3). Propositiones damnatae a 1.ª usque ad 43 ad gratiam pertinent, a 44.ª usque 71.am ad virtutes, a 72 usque ad finem ad Ecclesiam. Circa gratiam docet gratiam communicatam Adamo fuisse naturalem (prop. 35), et differre a gratia christiana, quia haec non recipitur in singulis personis, sed tantum in persona Christi (prop. 36 et 37); gratia in natura lapsa est voluntas omnipotens Dei jubentis et facientis, quod jubet (prop. 11, 10, 19, 21); et sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem (prop. 40). Omnes quos Deus vult salvare per Christum,

(1) In constitut. *Ad sacram beati Petri sedem,* 16 Oct. 1656 ((Denz.-Bannwart, n. 1098).
(2) Vide plura apud Tournely (Honorat.), *De gratia,* q. 3, §. *De Jansenio,* et Wirceburgenses; *De gratia,* d. 4, c. 2, a. 5.
(3) Per constitut. dogmat. *Unigenitus,* 8 Sept. 1713.

salvantur infallibiliter (prop. 30), et Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper electos (prop. 32).

Circa virtutes statuit non esse nisi duos amores, scilicet amorem Dei propter Deum, quem Deus remunerat, et amorem, quo nosmetipsos et mundum diligimus, qui est malus (prop. 44); fides et spes non proficiunt sine caritate (prop. 51, 57).

Circa Ecclesiam docet eam componi ex electis, et ab illa esse separatos omnes qui aut non recte vivunt, aut non credunt (prop. 78); pastores Ecclesiae possunt quidem excommunicare, sed de consensu, saltem praesumpto, totius Ecclesiae. Ecclesia potest senescere (prop. 95), et ejus potestates possunt esse contrariae praedicatoribus veritatis (prop. 96), et respicere et tractare sanctiores et magis unitos cum Ecclesia tanquam membra indigna existendi in Ecclesia, et ab ipsa separata (prop. 97) (1).

242. De non admittentibus veram revelationem. Quum gratia sit res stricte supernaturalis, et ideo nonnisi per veram revelationem prout ab Ecclesia catholica intelligitur cognosci possit, omnes qui veram revelationem non admittunt, non possunt habere veram notionem de gratia. Quare de gratia recte sentire non possunt materialistae, pantheistae, evolutionistae, rationalistae, modernistae (2) aliique similes. Omnes vero hi sectatores non possunt directe refutari circa doctrinam gratiae; sed illis ostendendum est veritatem religionis catholicae, et inde ad veritatem dogmatum ejusdem religionis probandam veniendum est.

Sociniani omnia ad gratiam pertinentia ad doctrinam et exemplum reducunt. Hermes Georgius, natus anno 1775, et mortuus 1831, rejicit gratiam interiorem, et justificationem explicat per benevolam voluntatem Dei erga homines, et gratiam actualem per effectus benevolae voluntatis Dei ad concupiscentiam vincendam.

(1) Vide plura apud Migne, *Theologiae cursum completum*, tom. 10, *De gratia*, diss. 12, De Quesnello; et apud Wirceburgenses, *De gratia*, d. 4, c. 2, aa. 6 et 7.

(2) De modernistis vide *Tract. de Christi Ecclesia, Appendix II*, et speciatim nn. 725, 738, 739.

Articulus II

De necessitate gratiæ ad actus salutares

243. Praemitt. 1.° Vocantur actus salutares, omnes illi, qui aliquo modo ad vitam aeternam consequendam conducunt. Actus ad vitam aeternam consequendam conducere possunt vel *negative* vel *positive,* ut explicatum est supra (1). Et ibidem explicatum est actus *positive* conducentes ad salutem non posse esse nisi actus intellectus et voluntatis. Actus intellectus et voluntatis possunt esse supernaturales *quod modum* et *quoad substantiam.* Sunt supernaturales *quoad modum,* quum habent supernaturalitatem per aliquid actui superadditum, v. gr., ratione intensionis; et sunt supernaturales *quod substantiam,* quum sunt tales intrinsece, per ipsam suam substantiam, naturam seu essentiam.

244. Quaestio hic tractanda est, utrum actus ad hoc ut sint salutares seu conducentes ad salutatem, debeant esse aliquo modo supernaturales; item utrum debeant esse salutares quoad substantiam, et ideo pro illis gratia sit necessaria ut causa physica. Necessitas potest esse physica et moralis, seu aliquid potest esse necessarium physice et moraliter prout declaratum est alibi (2) ; Haec quidem quaestio jam soluta est supra (3) ; verum quia res maximi momenti est contra pelagianos et semipelagianos, hic iterum tractanda est. Supra tractata est ad ostendendum gratiam actualem esse supernaturalem quoad substantiam; hic iterum tractatur contra pelagianos et semipelagianos ad probandum gratiam esse necessariam, et quidem physice seu quoad substantiam actus, ut actus positive in vitam aeternam tendant. Atque gratiam esse aliquo modo necessariam, ut actus ad salutem conducant est de fide, et fuit definitum in Conc. Araus. II (4) et in Tridentino (5). Quod vero gratia ita sit necessaria, ut actus debeat esse supernaturalis quoad substantiam, est communior theologorum sententia et omnino tenenda (6). Similiter gratiam aliquo modo esse physice

(1) Disp. 1, c. 1, a. 4. n. 47.
(2) D. 1, c. 3, a. 1, n. 139.
(3) Disp. 1, c. 1, a. 4, n. 46 et sq.
(4) Denz.-Bannwart, n. 178 et sq.
(5) *Sess.* 6.ª, cap. 16, et can. 1, 2 et 3.
(6) vide dicta d. 1, c. 1, a. 4, n. 48.

necessariam ad salutem est de fide ex iisdem documentis, et sententia communior et tenenda est gratiam physice producere substantiam actus.

THESIS. Omnes et singuli actus, ut ad vitam æternam conducant, debent esse supernaturales, immo supernaturales quoad substantiam, et idcirco gratiam ut causam physicam requirunt.

245. Prob. 1.ª p. seu actus debent supernaturales. 1.° *Ex Sacra Scriptura.* a) *Ex Joann.* VI, 44, ubi legitur: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum..." Jam vero Pater ad Filium trahit, ut ex v. 45 eruitur, per inspirationem interiorem, quam homines audiendo et amplectendo per cognitionem et amorem ad Christum ducuntur. Hic autem modus trahendi est supernaturalis, quia res naturales et earum cognitio nec Christum manifestant nec ad eum conducunt. Item Pater manifestare res per internam inspirationem est quid supernaturale; nam naturaliter manifestat res per creaturas. Id ipsum confirmatur ex v. 66, ubi dicitur: "Nemo potest venire ad me (Christum), nisi fuerit ei datum a Patre meo." Dari autem a Patre modo non contento in ordine naturae est quid supernaturale.

b) *Ex II Cor.* III, 5. Dicit Apostolus: "Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est..." Hic agitur de rebus ad vitam aeternam spectantibus; agitur enim de his, quae ad praedicationem Evangelii pertinent. Et Apostolus affirmat nos non esse *sufficientes ex nobis* ad cogitandum de his rebus, *sed sufficientiam nostram ex Deo esse;* cogitare igitur de his rebus est aliquid supernaturale, quia ad cogitandum de rebus naturalibus sumus sufficientes cum divino concursu, qui pro rebus ordinis naturalis est debitus. Quocirca si cogitatio ad vitam aeternam conducens debet esse supernaturalis, a fortiori vel similiter idem dicendum est de aliis actibus ad vitam aeternam conducentibus.

c) *Ex epist. ad Ephes.* II, 8 et sq. Ibi legitur: "Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut nequis glorietur." Gratiae hic tribuitur salus, et fides indicatur esse gratia; quum salus *non sit ex nobis, sed*

donum Dei, et non ex operibus (naturalibus). Unde, quum aliunde constet et etiam ex hoc loco v. 10, hominem obtenturum esse vitam aeternam per opera bona, inde sequitur haec opera seu actus debere esse supernaturales seu ex gratia.

d) Ex S. Scriptura asserente fidem esse supernaturalem. Fides secundum Scripturam est supernaturalis; ergo similiter alii actus ad salutem conducentes debent esse supernaturales; tum quia omnes actus ex se conducentes ad salutem debent similiter ad illam ordinari; tum quia semipelagiani faciebant initium fidei naturale, et alios actus post initium fidei supernaturales. Prob. ant. *Ad Rom.* IV, 16, legitur: "Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini..." Idcirco *promissio ex fide est secundum gratiam*, quo indicatur fidem esse gratiam. Et *ad Philipp.* I, 29, dicitur: "Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini..." Textus quidem dicit expresse fidem esse donum Dei in ordine ad Christum, ac proinde esse supernaturalem. Et id ipsum confirmatur ex textibus *S. Joannis* VI, 44 et 66 adductis sub a); nam in illis speciatim est sermo de ductu ad Christum per fidem.

Profecto textus allati ostendunt omnes et singulos actus debere esse supernaturales, si ad Christum ducant; nam in duobus prioribus textibus (*Joann.* VI, 44, 66), ut actus ducant ad Christum debent esse a Patre, donati a Patre; ideoque supernaturales. In textu sub b) cogitatio ex nobis seu naturalis non est sufficiens, ut tendat in vitam aeternam seu in Christum; ac proinde neque aliae operationes erunt sufficientes, ut per illas in vitam aeternam ducamur. Denique in textu sub c) aperte affirmatur omnem salutem esse per gratiam; ergo actus omnes in salutem conducentes debent esse ex gratia seu supernaturales.

246. *2.° Ex Conciliis.* Conc. Arausicanum II dicit (1): "Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut oboedientiae

(1) Can. 6 (Denz.-Bannwart, n. 179).

humanae subjungit gratiae adjutorium, nec, ut oboedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes, quod non accepisti?* (*I Cor.* IV, 7), et: *Gratia Dei sunt id, quod sum* (*I Cor.* XV, 10)." Et Conc. Carthaginense XVI asserit (1): "Cum enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, caritas vero aedificat* (*I Cor.* VIII, 1), valde impium est, ut credamus, ad eam, quae inflat, nos habere gratiam Christi, et ad eam, quae aedificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus, ut aedificante caritate scientia nos non possit inflare." Item Conc. Tridentinum definit (2): "Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo: A.S." Denique idem Tridentinum, eodem loco (3), etiam definit: "Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter, possit: A.S."

247. *3.° Ex Summis Pontificibus.* Inter auctoritates Sedis Apostolicae Episcoporum haec leguntur (4): "His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et *velle* incipiamus et *facere* (*Philipp.* II, 13)."

248. *Ex PP.* S. Gregorius Naz. dicit (5): "Etenim cum illud audis: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei;* idem tibi existimandum censeo. Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori, et sapientiae eorum auctori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam recte velle, divino auxilio indigeat;

(1) Can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 104).
(2) *Sess.* 6, can. 1 (Denz.-Bannwart, n. 811).
(3) Can. 2 (Denz.-Bannwart, n. 812).
(4) Denz.-Bannwart, n. 141. Vide Migne, P. L., tom. 50, col. 534, n. 14.
(5) *Orat. 37 in Matth. XIX*, n. 13 (M. G., 36, 298).

imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum, quae recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Quod enim salvamur, id et a nobis, et a Deo esse oportet." Et S. Joan. Chrysost. inquit (1): "Non enim haec tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit; si remissionem peccatorum, si charismata, si doctrinae verbum, si virtutes: omnia inde accepisti. Quid ergo habes, quaeso te, quod non acceperis, sed ex te ipso recte acquisieris? Nihil dicere possis."

S. vero Augustinus ita loquitur (2): "Etiam atque etiam considerate quid adhuc veritas adjungat et dicat: *Ego sum*, inquit, *vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset, *hic fert fructum multum*, non ait, quia sine me parum potestis facere, sed *nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sino quo nihil fieri potest." Et idem S. Doctor alibi (3): "Peccato Adae arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus: sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo; ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta." Denique ipse S. Augustinus dicit (4): "Hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis et submissa confessio, ut detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam et verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III, 5)."

249. *4.°* *Ratione.* Suadetur id ipsum ratione; quia media fini proportionata debent esse; finis autem est supernaturalis. Ergo (5);

250. **Prob. 2.ª p.** seu actus salutares debent esse tales quoad totam suam essentiam seu substantiam. Ante probationes animadvertendum est actus salutares, licet quoad totam substantiam

(1) *Homil. 12 in Epist. 1.am ad Cor.* n. 2 (M. L. 61, 97).
(2) *Tract. 81 in Joan.* c. 15, n. 3 (M. L. 35, 1841).
(3) *Contra duas epist. Pelagianor*, l. 2, c. 5, n. 9 (M. L. 44, 577).
(4) *De dono perseverantiae* c. 13, n. 33 (M. L. 45, 1013).
(5) Vide dicta supra disp. 1.ª, c. 1, a. 4, n. 52 et sq.

sint supernaturales, debere quoque esse vitales et liberos, et haec praedicata accipiunt per influxum physicum facultatum naturalium (1): Etiam animadvertendum est hanc 2.am partem modo generali jam esse probatam supra (2), sed nunc magis specialiter probatur.

1.° *Ex S. Scriptura.* In *Joan.* XV, 5, legitur: "Sine me (Christo) nihil potestis facere." Hic agitur de actibus salutaribus, ut probatum est n. 49; et de his actibus asseritur nos nihil posse facere (sine concursu gratiae); hoc autem non esset verum, si in actibus salutaribus esset aliquid mere naturale. Item *vita aeterna* (*Rom.* VI, 23), tribuitur simpliciter gratiae, et similiter *salus* (*Ephes.*, II, 8); hoc autem non staret, si actus salutares haberent aliquid, quod solis causis naturalibus esset tribuendum.

251. 2.° *Ex Conciliis.* Conc. Arausicanum II supra allatum (3) dicit: "Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant." Quibus verbis manifeste indicatur nulla dari merita conducentia ad vitam aeternam sine gratia, ac proinde nec actus salutares. Et Conc. Tridentinum asserit (4) *opera bona justificatorum sine virtute Christi* seu gratia *nullo pacto Deo grata et meritoria esse posse;* quod est autem mere naturale non est ex virtute Christi, et sic nec ad salutem conducit, quum non sit *Deo gratum* et meritorium. Et idem Tridentinum inferius docet (5): "Domini tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona." Ideoque merita seu actus salutares, sunt dona Dei, et consequenter supernaturales quoad substantiam.

3.° *Ex S. Augustino* (6) dicente de actibus salutaribus seu fructibus salutaribus circa illa Christi verba *sine me nihil potestis facere*: "Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest."

4.° *Ratione* id ipsum suadetur; nam id quod est mere naturale

(1) Vide d. 1, c. 2, a. 3, et speciatim *testimonium S. Bernardi* adductum n. 116.
(2) D. 1, c. 1, a. 4, n. 51 ad finem.
(3) N. 50.
(4) *Sess.* 6.ª, c. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(5) Denz.-Bannwart, n. 810.
(6) Allato antea, n. 248.

non est proportionatum ad praemium supernaturale consequendum.

Atque haec ipsa est doctrina S. Thomae, qui haec dicit (1): "Actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos. Nullus autem actus excedit proportionem principii activi... Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, ut ex supra dictis patet (q. 5, a. 5); et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae; sed ad hoc exigitur altior virtus quae est virtus gratiae. Et ideo sine gratia homo non potest mereri vitam aeternam..."

252. Prob. 3.ª p. seu gratia in actus salutares physice influere. Haec pars est corollarium ex dictis; etenim si natura sine influxu gratiae nihil potest facere in ordine supernaturali, nec meritum aliquod vitae aeternae habere potest, manifestum est influxum physicum gratiae necessarium esse, ut actus salutares seu stricte supernaturales dari possint.

253. Corollarium. Ex dictis sequitur nullum actum bonum esse salutarem seu conducentem ad vitam aeternam, nisi sit stricte supernaturalis, et quidem quoad substantiam. Ideoque initium et augmentum fidei et credulitatis effectum, quum sint actus conducentes ad salutem, debent esse actus supernaturales quoad substantiam. Item, ut in disputatione de merito magis declarabitur, si homo gratiam sanctificantem habens, elicit actum bonum mere naturalem, hic actus non erit meritorius vitae aeternae.

254. Obj. 1.° S. Scriptura doctrinae traditae contradicit. Nam in *Prov.* XVI, 9, dicitur: "Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus ejus." Et in *Luc.* XI, 9 et sq. indicatur *petentes, quaerentes, pulsantes* invenire gratiam, ideoque per media mere naturalia accipere gratiam. Item *Zachaeus* (*Luc.* XIX, 2 et sq.) *per desiderium naturale* videndi Christum, bonus Latro *per confessionem justitiae Christi* et *desiderium regni* (*Luc.* XXIII, 41 et sq.) naturalia, et Cornelius Centurio *per orationem* et *eleemosynas* naturales gratiam meruerunt; quo satis significatur media mere naturalia gratiae recipiendae conducere. Ergo.

Resp. In nullo ex testimoniis allatis significatur actiones naturales conducere ad dona stricte supernaturalia. In textu *Prov.* indicatur consilia et deliberationes humanas subjici divinae Providentiae; nihil vero indicatur de habitudine inter res naturales et supernaturales. In *Luca petere, quaerere, pulsare* non accipitur pro *petere, quaerere, pulsare*

(1) *1. 2.*, q. 109, a. 5.

naturaliter, quum Christus velit, ut eliciamus cum gratia actus conducentes ad vitam aeternam. Denique operationes Zachaei, boni Latronis, Cornelii Centurionis non est credendum eas fuisse mere naturales, sed existimandum eas processisse cum illuminatione et adjutorio divinae gratiae. Hinc Conc. Araus. II dicit (1): "Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit (*Luc.* XXIII, 43), et Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est (*Act.* X, 3), et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit (*Luc.* XIX, 6), illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum" (2).

255. Obj. 2.° Plures Patres significare videntur homines per operationes naturales ad supernaturalia conduci posse. Ita Hermas, S. Justinus, Clemens Alexandrinus, S. Joannes Chrysostomus; et inter latinos Optatus Milevitanus, S. Ambrosius, S. Hieronymus. Ergo saltem non est res ab omnibus admittenda operationes naturales non conducere ad supernaturalia.

Resp. Neg. ant. et cons. Atque antequam testimoniis singulorum PP. respondeam, adduco verba S. Augustini contra pelagianos dicentis (3): "Vobis nondum existentibus securius loquebantur (PP.), et in Ecclesia Dei loquentes non aliter intelligebantur, quia Ecclesia et fideles crediderant..." Et alibi asserit (4): "Quid igitur opus est eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis (pelagiana) oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attingerent: immorarentur vero in eis quae adversus inimicos Ecclesiae disputabant, et in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo et vero pro adipiscenda vita aeterna et vera felicitate servitur." Ex verbis S. Augustini allatis constat ante S. Augustinum Patres de gratia non egisse nisi transeunter, et non habuisse adversarios gratiae cum quibus esset pugnandum; ideoque non est mirum aliqua in hac materia minus accurate dixisse. His animadversis jam ad testimonia Patrum, quae objiciuntur, explicanda venio.

Imprimis Hermas dicit (5): "Quorum, inquit (Pastor), mentem vidit (Dominus) mundam futuram sibi ex toto corde serviturum esse, his dedit paenitentiam; quos autem vidit fallaces et iniquos futuros et in hypocrisi paenitentiam acturos esse, illis non tribuit paenitentiam, nequando iterum violarent nomen ipsius." Profecto Hermas nullo modo affirmat dari paenitentiam ex meritis naturalibus, et mentem futuram mundam et ex toto corde serviturum esse sine gratia. Quod vero Deus non det gratiam *fallacibus*, *iniquis*, *hypocritis*, non est admittendum, quum Deus omnibus det gratiam sufficientem, ut possint pervenire ad veram paenitentiam, si sint peccatores, et ad salutem consequendam (6).

(1) Can. 25 (Denz.-Bannwart, n. 200).
(2) Vide supra n. 63 et sq.
(3) *Contr. Julianum*, l. 1 (M. L. 44).
(4) *De praedestin. sanctorum*, c. 14, n. 27 (M. L. 44, 980).
(5) *Pastor simil.* 8, c. 6, n. 2 (Funk, PP. AP., pag. 567, edit. 2.ª).
(6) Vide tamen S. Augustinum, *De dono persev.*, c. 10, n. 24 (M. L. 45, 1006).

Item S. Justinus dicit (1): "Et qui cum ratione vixerunt, christiai sunt, etiamsi athei existimati sint; quales apud graecos fuerunt Sócrates et Heraclitus; apud barbaros autem Abraham...;" ideoque aliquis potest esse christianus, licet nihil agnoscat de gratia per Christum. Attamen manifestum videtur S. Justinum sumere nomen *christianus* modo lato ita, ut christianos vocet omnes, qui secundum rationem aliquo modo vixerunt, et omnes fideles Veteris Testamenti.

Clemens Alex. videtur affirmare philosophiam ducere ad Christum et ad justificationem; dicit (2) enim: "Nam ipsa (philosophia) quoque graecos paedagogi more docebat, sicut lex hebraeos ad Christum. Praeparat ergo philosophia, ei viam muniens, qui a Christo perficitur." Et alibi (3): "Quamquam per se quoque aliquando graecos justificabat philosophia, sed non universa et perfecta justitia..." Verum allatis vervis Clemens Alexandrinus non videtur docere philosophiam directe et positive influere in justificationem, sed tantum indirecte et negative, quatenus removet obstacula, quae assensui religionis christianae opponuntur. Deinde ipse Clemens expresse declarat id, quod per philosophiam affertur esse a *Christo percifiendum*, et *non esse universam et perfectam justitiam*. Praeterea etiam declarat magnum discrimen inter philosophiam et religionem christianam quum dicit (4): "Proinde graeca veritas, etiamsi sit idem nomen sortita (sapientia), tamen a nostra tum magnitudine cognitionis, tum demonstrationum evidentia, et divina virtute, et aliis similibus, satis distinguitur. A Deo enim docti sumus, qui litteras vere sacras a Filio Dei didicimus: unde non perinde ac nos illi movent animas, sed diversa plane methodo ac disciplina." Nec refert Clementem comparare philosophiam legi mosaicae: nam comparationes solum exigunt aliquam similitudinem.

Aliunde Clemens Alex. vim gratiae agnoscit, quum dicit (5): "Oportet autem mentem quoque habere sanam, et quae nulla retardetur paenitentia a pulchri venatione, ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia, rectaque doctrina, castaque et munda animi affectione, et Patris ad ipsum attractione." Quocirca verba Clementis Alex. quae videantur omnia tribuere electioni et voluntati non sunt accipienda sensu exclusivo.

S. Joannes Chysost. ea docere videtur, quae componi non possint cum vera doctrina de gratia; dicit (6) enim: "Et vero istud ipsum quod Patriarcha (Abraham), qui ante gratiae tempus et ante legem fuit, a seipso et a scientia quae naturae insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui: vir ille multam a Deo gratiam consecutus est, et omnium Dominus ejus singularem habuit curam. Etiam, id et ego fateor: verum nisi primus et ipse quod suum erat fecisset, non tanta a Domino obtinuisset."

(1) *Apol.* 1, n. 46 (M. G. 6, 398).
(2) *Stromat.* l. 1, c. 5 (M. G. 8, 718).
(3) *Stromat.* l. 1, c. 20 (M. G. 8, 818).
(4) Loco ultimo citato, col. 815.
(5) *Stromat.* l. 5, c. 1 (M. G. 9, 18).
(6) *Homil. 42 in Gen.*, c. 18 (M. G. 54, 385).

Et alibi (1): "Non praevenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium: quando autem nos elegerimus, tunc nobis multum affert auxilium... Nam nostrum quidem est praeeligere et velle, Dei autem et perficere et ad finem deducere."

Resp. Neg. assertum. Etenim S. Joannes Chrysostomus non semel tradit veram doctrinam circa gratiam; ut in testimonio allato supra (2), et in pluribus aliis (3). Quocirca verba illa *a se ipso et a scientia qua naturae insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium; nisi primus et ipse quod suum erat fecisset, non tanta a Domino obtinuisset; nostrum est praeeligere et velle, Dei autem est perficere*, non sunt accipienda ut excludentia omnem gratiam, sed excludunt eam gratiam uberiorem, quam Deus solet dare cooperantibus primis gratiis; item excludunt revelationem mosaicam et evangelicam respectu Abrahae. Deinde Chrysostomus dicit nostrum esse *praeeligere*, non ad gratiam excludendam, sed ad manifestandam libertatem in nostris operationibus. Accedit quod locutiones quae habentur in S. Joan. Chrysostomo et in aliis PP., habentur quoque in S. Scriptura et in PP. nullo modo de semipelagianismo suspectis. Ita *Joan* XVI, 27, dicitur: "Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis...;" et Paulo, *Ephes.*, V, 14: "Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.;" *Jacob.* IV, 8: "Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.;" *Apoc.* III, 10: "Quoniam servasti verbum patientiae meae, et ego servabo te ab hora tentationis..." et similia alia habentur (4).

Atque similiter solvenda sunt alia testimonia S. Joannis Chrysostomi et etiam aliorum PP.; aut accipienda sunt, si de ordine ad actus salutares agitur, de praeparatione et dispositione mere indirecta et negativa.

Ex PP. quoque latinis non semipelagianis aliqua objiciuntur. Imprimis S. Ambrosius dicit (5): "Hortus enim clausus est Ecclesia sancta, et immaculata virginitas, quae ideo hanc gratiam meretur a Christo, quia verbum Dei quaesivit, desideravit, invenit..." Verum haec verba nullatenus significant verbum Dei esse quaesitum et desideratum sine gratia. Deinde S. Augustinus de S. Ambrosio haec dicit (6): "Puto tamen eis qui de hac re sententias tractatorum requirunt, sanctos et in fide atque doctrina christiana laudabiliter et usquequaque diffamatos viros, Cyprianum et Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, et debere ad utrumque, id est, ut et gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque praedicanda est, per omnia credant et per omnia praedicent, et eamdem praedicationem praedicationi qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur adversam."

Objiciuntur ex Optato Milevitano haec verba (7): "Est enim christiani hominis, quod bonum est velle; et in eo, quod bene voluerit, currere:

(1) *Homilia 12 in Epist. ad Hebr.*, c. 7 (M. G. 63, 99).
(2) N. 248.
(3) Vide Ruiz de Montoya (Didacus), *De providentia*, tract. 3, d. 3, s. 3, et sq.
(4) Vide Ruiz de Montoya (Didacus), *De providentia*, tract. 3, d. 27, s. 6.
(5) *Apolog. David altera*, c. 9, n. 47 (M. L. 14, 949).
(6) *De dono perseverant.*, c. 19, n. 48 (M. L. 45, 1023).
(7) *De schismate donatistarum contra Parmenianum*, l. 2, n. 20 (M. L. 11, 974).

sed homini non est datum, perficere... quia ipse solus (Deus) est perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus. Ceteri omnes semi-perfecti sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere; Dei, perficere." Certe mens Optati non est excludere gratiam, ut ex contextu elucet; sed significare nos posse *velle* bonum salutare et ad illud *currere;* sed non posse nos pervenire in hac vita ad consummatam perfectionem, qua etiam quaecumque peccata venialia excluduntur.

Item objiciuntur ex S. Hieronymo haec (1): "Et tamen hoc scito, baptismum praeterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quae labore et industria, ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur: ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus." Attamen verba S. Hieronymi sensum pelagianum vel semipelagianum facere non possunt, quum S. Doctor omnino approbet et laudet doctrinam S. Augustini contra pelagianos (2), et contra hos haereticos scripserit.

256. Obj. 3.° Motiva credibilitatis evidenter ostendunt doctrinam catholicam esse credibilem. Ergo actus fidei est naturalis; quia motiva credibilitatis, quae naturaliter cognoscuntur, ad fidem inducunt; ideoque ad actum naturalem.

Resp. Conc. ant. et dist. cons.: actus fidei est naturalis, si per motiva mere naturalia et sine ullo auxilio supernaturali elicitur, conc.; si elicitur per illustrationem intellectus supernaturalem et per piam voluntatis affectionem etiam supernaturalem, neg. Deinde actus fidei stricte talis nititur auctoritate Dei revelantis, non praecise motivis credibilitatis; licet haec omnia sint necessaria, ut constet de divina revelatione et prudenter credi possit.

257. Obj. 4.° Si initium fidei non est naturale, sed donum Dei supernaturale, haec sequuntur: 1.° non esse in manu hominis habere fidem; 2.° qui illam non habent, habere justam excusationem; quia non habent, quia Deus illis non dedit; 3.° Deum esse acceptorem personarum; quia aliis dat fidem, aliis non dat. Ergo initium fidei debet esse naturale.

Resp. Nihil ex eis, quae sequi dicuntur, sequitur. Non primum; quia Deus omnibus dat media, quibus ad fidem pervenirent, si illis cooperarentur. Unde jam apparet nihil esse, quod secundo loco ponitur. Nec datur personarum acceptio, quum Deus nulli gratiam debeat, neque ullus sit, qui gratiam aliquo modo exigat (3).

258. Obj. 5.° In Sacris Litteris sunt aliquae locutiones significantes hominem ex propriis viribus debere aliquid facere, ut salvus sit (*Rom.* X, 9). Item, si aliter esset, facultates nostrae intellectuales essent inutiles. Ergo.

Resp. Dist. assertum: in Sacris Litteris sunt aliquae locutiones significantes hominem ex propriis viribus simul cum gratia debere aliquid facere, ut salvus sit, conc., sine gratia, neg. In Sacra Scriptura, ut

(1) *Dialog. adversus pelagianos,* l. 3, n. 1 (M. L. 23, 569).
(2) *Dialogus contr. pelagianos,* l. 3, n. 19 (M. L. 23, 588).
(3) Vide dicta supra, n. 66.

probatum est, requiritur gratia pro singulis actibus salutaribus; unde ubi non expresse requiritur, nullo modo excluditur; sed necessario supponitur. Facultates vero nostrae per gratiam in suis operationibus non impediuntur, sed elevantur ad agendum supernaturaliter, et quidem etiam cum plena libertate.

259. Obj 6.° In statu innocentiae non erat necessaria gratia ad salutariter operandum. Ergo in praesenti statu solum requiritur gratia ad sanadam naturam per peccatum Adami vulneratam.

Resp. Neg. ant. Nam gratia requiritur, quia finis hominis est supernaturalis et omnino superans omnem exigentiam naturalem; hoc autem convenit naturae humanae in se consideratae in omni statu, in quo reperiatur, et consequenter etiam in statu integritatis et innocentiae. Verum in statu innocentiae non requirebatur gratia ad sanandam infirmitatem inductam per peccatum, sicut requiritur in praesenti, sive in statu naturae lapsae, etiamsi sit reparatae.

260. Obj. 7.° Actus boni naturales erunt inutiles et otiosi, si nihil ad finem ultimum concurrunt. Atqui hoc non est dicendum. Ergo.

Resp. Neg. maj. Nam actus boni ordinis naturalis perficiunt hominem secundum perfectionem naturalem homini convenientem, et negative disponunt etiam ad finem supernaturalem: tollunt enim impedimenta pro communicatione gratiae. Nam Deus, licet omnibus, dum manent in statu viae, communicet gratiam necessariam ad salutem consequendam; potest tamen propter peccata negare gratiam abundantiorem.

261. Obj. 8.° Infirmus, licet se ipsum sanare non possit, potest tamen vocare medicum a quo sanetur. Ergo similiter homo, licet ex se non possit habere gratiam, potest illam postulare. Item natura humana, quamvis animam rationalem producere non possit, potest tamen producere dispositionem, quae illam exigat.

Resp. Neg. paritatem; nam in duobus exemplis adductis agitur de rebus mere naturalibus inter quas potest dari aliqua proportio vel exigentia; gratia autem nullam habet proportionem, nec exigentiam cum rebus naturalibus; est ordinis omnino superioris respectu omnium rerum naturalium, etiam perfectissimarum, et solus Deus est in ordine rerum stricte supernaturalium quoad substantiam.

Articulus III

Qualis sit gratia necessaria in peccatoribus et in justis pro actibus salutaribus

262. Praemitt. In articulo proximo probatum est actus, qui conducant ad vitam aeternam debere esse supernaturales quoad substantiam, atque ad hoc requiri gratiam, quae non modo moraliter, sed etiam physice in actus salutares influat. In praesenti

declarandum est qualis sit haec gratia; nam, ut supra dictum est (1), gratia potest esse actualis et habitualis, creata et increata.

THESIS I. Peccatores ut actus salutares elicere possint, requirunt gratiam actualem et increatam

263. *Prob.* Nam peccatores ex gratiis, si fides et spes excipiantur, creatis, tantum habent gratiam actualem, nec aliam secundum praesentem providentiam habere possunt. Ergo hanc gratiam ad salutariter agendum requirunt, quum aliqua ex dictis sit necessaria, nec sola increata potest sufficere ad operandum; nam haec non potest formaliter excitare et vocare, quod certe est necessarium ad operandum, ut ex dictis supra (2) et ex ipsa natura rei constat. Deinde hoc confirmatur ex *Joan.* VI, 44, dicente: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum." Homines vero illuminatione intellectus et motione voluntatis trahuntur.

Praeterea requiritur quoque gratia increata; quia actus salutares, ut dictum est, requirunt principium supernaturale physice operans; hoc principium non potest esse gratia actualis creata; haec enim solum moraliter in actus salutares influit, sicuti dictum est (3); ideoque requiritur aliud principium, quod in peccatoribus non potest aliud, nisi Deus seu Spiritus Sanctus. Tamen in peccatores, qui virtutem fidei et spei habeant, physice producere possunt actus harum virtutum. Item secundum Theologos admittentes gratiam actualem in actus supernaturales non modo moraliter, sed etiam physice influere, potest gratia actualis esse causa physica actuum supernaturalium.

THESIS II. Justus ad salutariter operandum gratiam excitantem probabilius requirit (4)

264. Not. Non agitur in thesi de gratia necessaria ad finaliter perseverandum; de hac enim inferius tractabitur. In thesi

(1) Disp. 1, c. 1, a. 1 et a. 3.
(2) D. 1, c. 1, a. 2.
(3) D. 1, c. 2, a. 2.
(4) S. Thomas, *1. 2.* q. 109, a. 9; Suarez, *De gratia*, l. 3, c. 8; Ruiz de Montoya, *De Providentia*, d. 41, s. 5 et sq.; Ripalda, *De ente supernaturali*, d. 106, ubi etiam in oppositum plures auctores citantur; Gotti, *De divina gratia*, dub. 12; Mazzella, Card., *De gratia Christi*, d. 2, a. 2; Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 2, c. 1, a. 2, n. 218; Herrmann (Joannes), *De divina gratia*, p. 1, s. 2, c. 2, a. 3, quaer. 2.°, aliique communius.

agitur de gratia necessaria ad salutariter agendum in casibus ordinariis, et quum magnae difficultates non sunt superandae; nam si magnae difficultates sint superandae, ut tentatio valde vehemens et aliquantulum durans, thesis non est probabilior, sed certa.

265. *Prob. 1.° Ex Concil.* Conc. Tridentinum dicit (1): "Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam *caput in membra* (*Ephes.* IV, 15), et tanquam *vitis in palmites* (*Joan.* XV, 5), in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent..." Jam vero gratia quae *antecedit* est certe gratia excitans specialiter a Deo excitata. Et Conc. Arausicanum II inquit (2): "Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur." Profecto *operari* Dei ut *operemur* est gratia excitans. Idem Arausicanum etiam dicit (3): "Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere." In hoc testimonio, quum *Christo auxiliante* opponatur Christo cooperanti, Christum *auxiliari* debet per gratiam excitantem, quae quidem non debet excitari per gratiam habitualem, quae ut operetur, excitatione indiget.

266. 2.° *Ex PP.* Ex auctoritatibus Pontificum, in quibus inter alia haec asseruntur (4): "Ideo utique, quia *praeparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII, 25: LXX), et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum." Item (5): "Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, *sine quo nihil possumus* (*Joan.* XV, 5)." Rursus (6): "Et non dubitemus, ab ipsius (Dei) gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et *velle* inci-

(1) *Sess. 6*, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(2) Can. 9 (Denz.-Bannwart, n. 182).
(3) Can. 25 versus finem (Denz.-Bannwart, n. 200).
(4) *De gratia Dei indiculus*, c. 8 (Denz.-Bannwart, n. 134).
(5) Eodem loco, c. 9 (Denz.-Bannwart, n. 135).
(6) Eodem loco, c. 12 (Denz.-Bannwart, n. 141).

piamus et *facere* (*Phil.* II, 13)." Et S. Augustinus inquit (1): "Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus." Et idem S. Doctor alibi (2): "Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum (I *Tim.* II, 5), spiritualiter sanat aegrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur ut pie semper justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere."

267. 3.° *Ratione.* Nam voluntas non operatur nisi sub illuminatione et directione intellectus, et non operatur supernaturaliter nisi sub cognitione supernaturali; quia cognitio intellectus debet esse proportionata affectui voluntatis; ideoque actus supernaturalis voluntatis cognitionem supernaturalem requirit. Ergo requiritur actus supernaturalis intellectus ut voluntas operari possit, ac proinde gratia excitans ex parte intellectus. Sed requiritur quoque similis gratia excitans ex parte voluntatis; quia haec non elicit actum deliberatum supernaturalem, nisi praecedat actus indeliberatus ejusdem rationis, ut probant argumenta allata n. 14 et sq., et n. 23 et sq..

268. Dices 1.° Habitus jam ad operationem inclinat. Ergo frustra praeter habitum ponitur gratia acualis excitans.

Resp. Dist. ant.: Habitus ita in operationem inclinat, ut sine actuali excitacione in actum exire possit, neg.; aliter, conc. Habitus sive supernaturales sive naturales, ut actu operentur, excitatio est illis necesaria.

269. Dices 2.° Objecta externa ad res supernaturales pertinentia possunt excitare habitus supernaturales. Ergo gratia excitans interna non est necesaria.

Resp. Dist. ant: objecta externa ad res supernaturales pertinentia possunt excitare habitus supernaturales mediate et per accidens, seu non ex se, conc.; immediate et directe, neg. Vide inferius, n. 274.

270. Scholion 1. Qualis gratia sit necesaria ad vitanda peccata mortalia per longum tempus (3). Quaestio est, utrum ad hoc sit necesaria

(1) *De gratia et libero arbitrio*, c. 17, n. 33 (M. L. 44, 901).
(2) *De natura et gratia*, c. 26, n. 29 (M. L. 44, 261).
(3) Vide dicta supra, n. 220.

gratia sanctificans, quum de longo tempore agitur. Aliqui negant, inter quos S. Bonaventura numeraur (1). Verum communior sententia cum S. Thoma (2), Suarez (3), Valentia (4), Salmanticensibus (5), Gotti (6), Arriaga (7), Mayr (8), Beraza (9), affirmat. Haec sententia ita probatur:

Ex S. Augustino dicente (10): "Sed sic intelligendum est *factores legis justificabuntur*, ut sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi justificentur: ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio praecedat." Et S. Gregorius M. ita loquitur (11): "Peccatum namque quod poenitentia non diluit ipso suo pondere mox ad aliud trahit." Et alibi (12): "Sed si citius poenitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quae flendo et corrigendo noluit emendare quod fecerit, peccatum incipiat peccato cumulare."

Atque haec sententia confirmatur ex auctoritate D. Thomae, qui non semel illam docet (13); item ex valde communiore theologorum sententia.

Tamen argumenta, quae ex Conciliis afferuntur, non videntur efficacia; exponi enim posse videntur, ea loqui aut de restitutione status gratiae sanctificantis, qui per peccatum Adami amissus fuit, aut de gratia in genere, non praecise de necessitate gratiae sanctificantis, aut de adjutorio gratiae sanctificantis, quatenus dat jus ad auxilia, ut difficultates superentur, non de ipsius absoluta necessitate ad peccata mortalia vitanda. S. Augustinus vero explicari posse videtur, quatenus requirit gratiam sanctificantem, ut opera nostra sint meritoria et ad vitam aeternam consequendam efficaciter conducant. Gregorius M. quidem asserit necessitatem gratiae sanctificantis ad peccata mortalia vitanda; sed quia ad hoc requirit, ut culpa *mox citius poenitentia tergatur* contra communem theologorum sententiam, ejus auctoritas in hac re minuitur. Verum auctoritas S. Thomae et valde communior theologorum sententia facit, ut sit probabilior affirmatio, quae tenet gratiam sanctificantem esse necessariam ad peccata mortalia vitanda.

271. Dices. Si ad peccata vitanda requiritur gratia sanctificans, peccatores, haeretici et infideles peccata lethalia vitare non poterunt. Hoc autem non videtur asserendum. Ergo.

Resp. Peccatores fideles, haeretici et infideles positivi possunt vitare peccata mortalia, saltem mediate; infideles vero negativi, nihil de vera religione cognoscunt; et ideo non habent media ad se convertendum. Dicuntur haeretici, qui aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam ut talem negant voluntarie et pertinaciter; infideles positivi sunt, qui

(1) *2. sent.*, dict. 28, a. 1, s. 3.
(2) *1. 2.*, q. 109, aa. 4 et 8.
(3) *De gratia*, l. 1, c. 27.
(4) *In 1. 2.*, d. 8, q. 1, punct. 5.
(5) *De gratia*, d. 2, dub. 6.
(6) *De gratia*, q. 1, dub. 7, §. 3.
(7) *De gratia*, d. 41, s. 5.
(8) *De gratia*, d. 1, q. 2, a. 10, n. 128.
(9) *De gratia Christi*, n. 262, scholion.
(10) *De spiritu et littera*, c. 26, n. 45 (M. L. 44, 228).
(11) *Moral.* l. 25, c. 9, n. 22 (M. L. 76, 334).
(12) *Homiliar. in Ezech.*, l. 1, homil. 11, n. 24 (M. L. 76, 915).
(13) *1. 2.*, q. 109, a. 8; *De veritate*, q. 24, a. 12; *Contr. gent.*, l. 3, c. 160.

sufficientem fidei notitiam habuerunt, ut ad veram fidem et justificationem pervenire possent, si illam recipere voluissent et debitam veritatis inquisitionem fecissent. Infideles *negativi* sunt illi, qui veram religionem inculpabiliter ignorant. Unde Pius V damnavit propositionem 68 Baii, quae ita se habet (1): "Infidelitas pure negative in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est." Jam vero peccatores fideles possunt acquirere gratiam sanctificantem, et sic habere omnia necessaria ad peccata mortalia vitanda. Item haeretici et infideles positivi ad veram fidem pervenire possunt, et per illam ad justificationem. Infideles vero negativi non possunt, saltem proxime, ad veram religionem pervenire; verum, dum in hoc statu inculpabiliter permanent, existimandus videtur Deus illis dare auxilia ordinis naturalis sufficientia ad peccata vitanda, ut evadant minus indigni gratia, quae illos ad veram fidem perducat, si illi fideliter cooperentur.

272. Scholion II. Qualis gratia habitus per se infusos determinet ad producendos actus supernaturales indeliberatos? Quaeritur *qualis gratia*, quia solae res supernaturales sunt immediate aptae ad determinandas res supernaturales ad operandum. Deinde hoc quaeritur de actibus indeliberatis; ad actus enim deliberatos habitus per se infusi determinantur ad agendum per liberam voluntatem. Nam licet voluntas sit naturalis, tamen informata principio supernaturali potest habitum supernaturalem et se ipsam ad agendum determinare. Actus indeliberati, de quibus sermo est, sunt intellectus et voluntatis. Quaeritur igitur de primo actu intellectus supernaturali in qualibet serie, a quo determinetur ejus productio vel potius a quo habitus determinetur ad producendam primam cogitationem supernaturalem indeliberatam. Habitus potest determinari *immediate* et *mediate*. Determinatur *immediate* si ipse habitus ad agendum determinetur; et *mediate*, si aliquid distinctum ab habitu determinetur, sed ex quo in hac providentia sequatur determinatio habitus. De hac re haec stabilienda videntur (2).

ASSERO I. Solus Deus immediate et per se determinat habitum per se infusum intellectus ad gratiam excitantem seu cognitionem supernaturalem producendam.

273. *Prob.* Quia res entitative supernaturalis per se excitari non potest, nisi per aliquod etiam entitative supernaturale; etenim hac de causa opus est, ut gratia excitans entitative supernaturalis, praecedat quoslibet actus salutares. Atqui habitus per se infusus intellectus a nulla re entitative supernaturali determinari potest ad ipsam gratiam excitantem producendam nisi a Deo; quia ante gratiam excitantem intellectus nihil assignari potest creatum entitative supernaturale, a quo habitus per se infusi intellectus determinentur. Ergo. Gratia vero excitans voluntatis et a Deo, et a gratia excitante intellectus determinari potest (3).

(1) Denz.-Bannwart, n. 1068.
(2) Vide P. Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 5, d. 108, et l. 3, d. 49.
(3) Vide P. Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 5, d. 103, s. 6.

ASSERO II. Res quoque creatæ possunt mediate et per accidens determinare habitus per se infusos ad gratiam excitantem producendam.

274. *Prob.* Quia imprimis angeli possunt excitare species phantasiae, ex quibus species quoque intellectus excitentur respondentes objectis supernaturalibus, quo in casu in praesenti providentia Deus infallibiliter determinabit habitus per se infusos ad operandum cum illis speciebus; quapropter angeli mediate et per accidens possunt habitus per se infusos ad agendum excitare. Deinde id ipsum possunt facere homines, non quidem immediate excitando phantasiam sicut angeli, sed per loquelam vel alia signa mediis sensibus externis possunt excitare phantasiae species, ex quibus infallibiliter excitentur species intellectus respondentes objectis habituum per se infusorum, quo in casu, sicuti jam dictum est, Deus determinabit habitus per se infusos ad agendum cum illis speciebus ad hoc, ut actus entitative supernaturalis exurgat. Postremo quotiescumque ex qualibet occasione excitentur species objectorum respondentium habitibus per se infusis, isti determinantur a Deo ad concurrendum. Ratio hujusce rei est, ex una parte, quia cum species, ut statim probabitur, sint naturales, earum excitatio sufficiens de se non est ad habitus per se infusos determinandos, atque ideo isti a solo Deo determinandi sunt ad producendam primam in qualibet serie cogitationem salutarem; ex altera vero, cum indubitatum sit aliquando occasione excitationis specierum habitibus per se infusis respondentium, hosce habitus ad agendum determinari, dicere oportet semper ita determinari, si species illis respondentes excitentur; quia ratio non apparet, cur aliquando occasione excitationis specierum ad agendum determinentur; aliquando vero non ita.

275. Scholion III. An species impressae concurrentes ad actus entitative supernaturales, sint quoque entitative supernaturales? Antequam hujus dubii solutio detur, praemittendum est, ad omnem cognitionem requiri, ut ex philosophia constat, praeter concursum intellectus et primae causae, influxum ex parte objecti se tenentem, qui quidem influxus praestari solet per speciem impressam, sive per qualitatem quamdam ab objecto immissam, vel ejus quasi nomine productam, quae potentiae advenit, ut eam compleat et adjuvet ad eliciendam objecti cognitionem. Quaestio igitur est, an hae species, quae juxta communem sententiam ad cognitiones quoque entitative supernaturales concurrunt, sintne ipsae etiam entitative supernaturales. Communiter receptum est objecta entitative supernaturalia, si attingantur quidditative et prout in se ipsis sunt, requirere species entitative supernaturales vel earum defectum esse supplendum aut per specialem Dei influxum aut per alium aequivalentem. Quocirca solum sermo est, utrum cognitiones entitative supernaturales abstractivae, prout sunt quae in statu viae habentur, eliciantur per influxum specierum supernaturalium, vel e contra per naturalium specierum influxum.

DICO. Species impressæ concurrentes ad cognitiones entitative supernaturales in statu viae sunt naturales

Ita communior sententia cum P. Ripalda (1), et haec videtur quoque sententia P. Suarez (2).

276. Prob. 1.° Si species entitative supernaturales essent necessariae ad actus fidei, infunderentur in baptismo simul cum habitu fidei. Atqui non infunduntur. Ergo. Prob. maj. 1.° Quia in baptismo confertur quidquid entitative supernaturale per modum habitus sive modo permanenti requiritur ad actus entitative supernaturales eliciendos; species autem impressae sunt res permanentes. Ergo 2.° Quia cum Deus tribuit potentiam ad cognoscendum, tribuit quoque species impressas, si hae ope objectorum acquiri nequeunt, quemadmodum sunt species entitative supernaturales, quae certe in praesenti statu nequeunt objectorum ope acquiri. Prob. min. 1.° Quia si jam a baptismo adessent species impressae rerum fidei, pueri non indigerent instructione circa res fidei, sed tantum specierum excitatione; nam jam haberent virtualiter quidquid est necessarium ad res fidei cognoscendas. 2.° Quia quum tales species haberentur independenter a phantasmatibus, hoc ipso possent etiam determinare cognitionem independenter ab illis; hoc autem non contingere experientia docet. Ergo revera non infunduntur tales species entitative supernaturales.

277. 2.° Apprehensio mysteriorum fidei praecedens actum fidei est entitative supernaturalis; quia talis apprehensio de se ducit ad actum fidei, et nulla res ordinis naturalis de se ducit ad actum entitative supernaturalem. Atqui apprehensio illa fit per species naturales; quia illa apprehensio est perfectior quoad distinctionem in objecto repraesentando in homine docto quam in rudi; quod certe non eveniret, si in utroque fieret per species infusas seu non acquisitas mediis phantasmatibus. Ergo aliqua cognitio entitative supernaturalis, saltem directa, fit per similes species; non enim apparet ratio discriminis faciendi.

278. 3.° Species entitative supernaturalis non est necessaria pro cognitione supernaturali entitative. Ergo non est ponenda; quia Deus non multiplicat entia quoad substantiam supernaturalia sine necessitate. Prob. ant. Quia si necessaria esset, ideo quia alias actus non haberetur entitative supernaturalis. Atqui ad hunc scopum non est necessaria; actus enim jam est entitative supernaturalis, eo ipso quod accipiat esse ab habitu per se infuso vel ab alio principio entitative supernaturali; quia sic jam accipit ab aliquo principio perfectionem ordinis entitative supernaturalis. Ergo.

279. Obj. 1.° Species supernaturales infundi possunt, quum primo quis incipit habere cogitationem supernaturalem, vel quum primum fidei actum eliciat. Ergo quamvis species pro cognitionibus supernaturalibus infundantur, non opus est asserere eas simul cum habitibus infundi.

(1) *De ente supernaturali*, l. 3, d. 54, s. 1.
(2) *De gratia*, l. 3, c. 6, n. 3, et c. 8, n. 11 et alibi.

Resp. Neg. assert. Nam aliter infideles, qui veritatem fidei sufficienter propositam repudiarunt, retinerent species illas entitative supernaturales; quia memoriam conservant mysterium fidei. Jam in infidelibus adesse habitualiter aliquid entitative supernaturale est contra sensum omnium.

280. Obj. 2.° Etsi cognitio possit esse entitative supernaturalis sine specie ejus ordinis, tamen ut connaturaliore modo fiat, requirere videtur speciem quoque supernaturalem. Ergo.

Resp. Neg. assert. Nam cognitio supernaturalis fit etiam per intellectum naturalem; ergo simili modo poterit fieri per aliud principium naturale, dummodo unum principium entitative supernaturale adsit. Praeterea in statu viae cognitiones supernaturales connaturaliore modo fiunt per extrinsecam a phantasmatibus dependentiam; hoc autem habetur, si species impressae dependenter a phantasmatibus fiant.

281. Obj. 3.° In qualibet cogitatione entitative supernaturali repraesentatio ipsius est supernaturalis. Atqui repraesentatio habetur ratione speciei impressae. Ergo.

Resp. In qualibet cognitione entitative supernaturali repraesentatio ipsius est supernaturalis identice, conc.; ratione praecise talis repraesentationis, neg. Quod cognitio aliqua supernaturalis pro statu viae sit talis, non habet praecise ex distinctione qua objectum suum repraesentat; quia totum hoc habere posset etiam si esset mere naturalis; sed habet ex eo quod ita repraesentet suum objectum, ut ei falsitas repugnet; hoc autem illi cognitioni convenit non ratione speciei, sed ratione habitus per se infusi vel alterius principii supernaturalis.

282. Obj. 4.° Ad cognitiones supernaturales scientiae infusae, quibus referuntur objecta naturalia, dantur species entitative supernaturales. Ergo idem dicendum est de speciebus, quibus cognitiones entitative supernaturales habentur in statu viae.

Resp. Trans. ant. et neg. cons. Quia ad cognoscenda objecta naturalia per actum supernaturalem entitative, non videntur necessariae species entitative supernaturales. Unde si hujusmodi species habentur in Christo Domino aut in beatis, non est quia necessariae sint, sed propter statum unionis hypostaticae aut beatitudinis eminentiam.

283. Scholion iv. An species quae a cognitionibus entitative supernaturalibus relinquuntur, sint naturales, vel supernaturales? Species quae ab actibus sive intellectus sive voluntatis entitative supernaturalibus reliquuntur, sunt naturales. Ita P. Ripalda (1) et theologi communiter, speciatim Suarez (2). Prob. quia actus entitative supernaturales non gignunt habitus supernaturales, ut fere omnes theologi docent. Ergo neque species supernaturales. Prob. cons. Tum quia eadem videtur pro unis ac pro alteris ratio, actus enim naturales et species et habitus gignunt; tum quia aliter essent in infidelibus positivis et in haereticis quaedam dona supernaturalia permanenter, nimirum illae species; nam haeretici et infideles positivi memoriam retinent actuum supernatu-

(1) *De ente supernaturali*, l. 3, d. 54, s. 3.
(2) *De gratia*, l. 6, c. 14.

ralium, quos elicuerunt, atque ideo eorum especies conservant. Jam vero in haereticis et infidelibus esse quaedam dona supernaturalia permanenter videtur esse contra sensum omnium.

Articulus IV (1)

Utrum justus omnia peccata venialia vitare possit

284. Praemitt. 1.° Jam supponitur hic ut certum hominem solis naturae viribus non posse vitare omnia peccata venialia, immo nec omnia mortalia, ut ex supra dictis constat. Sed quaeritur, utrum justus cum gratia ordinaria vitare omnia venialia possit. Et de fide est justum per totam vitam omnia venialia vitare non posse; hoc enim definivit Conc. Tridentinum his verbis (2): "Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: A. S."

285. Praemitt. 2.° Ut canon Conc. Tridentini, in quo definitur impotentia hominis justi ad vitanda omnia peccata, declaretur, imprimis explicanda est multiplex impotentia. Impotentia enim potest esse metaphysica, physica et moralis. Impotentia metaphysica habetur, quum res est absolute impossibilis: ideoque Tridentinum de hac impotentia non loquitur, quum asserat Virginem Mariam omnia venialia, et a fortiori mortalia omnia vitasse. Impotentia physica habetur, quum in subjecto de quo agitur, desunt vires naturales ad rem faciendam; ita in homine datur impotentia physica ad volandum per vires homini intrinsecas. Denique datur impotentia moralis, quum in subjecto adsint vires naturales ad rem faciendam; verum est tanta difficultas ut fiat, ut raro vel nunquam fiat. Si res fit raro propter difficultatem, habetur impotentia moralis *lata*, si nunquam, moralis *stricta*.

286. Praemitt. 3.° Impotentia vitandi omnia peccata venialia non est physica; quia si ita esset, homo non haberet vires ad

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 109, a. 8; *3.* q. 87, a. 1, ad 1; *De veritate*, q. 24, a. 12; Suarez, *De gratia*, l. 9, c. 8; Salmanticenses, *De gratia*, dis. 2, dub. 7; Arriaga, *De gratia*, d. 51, s. 6; Viva, *De gratia*, d. 5, q. 6; Struggl, *De gratia*, d. 4, q. 2, a. 5; Frassen, *De gratia*, d. 1, a. 3, q. 2; Billuart, *De gratia*, dissert. 3, a. 6, §. 2; Wirceburgenses, *De gratia*, d. 5, c. 2, a. 5, *quaer.* 3; Mazzella, Card., *De gratia Christi*, d. 2, a. 5; Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 2, c. 1, a. 4; Pesch (Ch)., *De gratia*, p. 1, s. 2, a. 2, §. 2, n. 173, etc.

(2) *Sess. 6*, can. 23.

singula peccata venialia vitanda, et sic non peccaret. Est igitur impotentia moralis impossibilitas vitandi omnia peccata venialia; est tamen impotentia moralis stricta, quia ita S. Scriptura et Traditio indicant. Verum haec impotentia non habetur respectu singulorum venialium, prout dantur a parte rei; quia si aliquod veniale singulare et determinatum non posset vitari, eo ipso non esset peccatum. Impotentia igitur est vaga et indeterminata antecedenter ad lapsum, et determinatur per ipsum lapsum in peccatum veniale. Quare datur necessitas moralis stricta in aliqua venialia incidendi; sed qualia in singulari et determinate sint haec, solum consequenter ad lapsum constat. Nec dicas lapsum semper contingere, v. gr., post decem victorias, et ita in undecino periculo committendi peccatum veniale, homo illud semper committet. Ne, inquam, hoc dicas; quia nullus victoriarum numerus designari potest post quem lapsus infallibiliter habeatur, nisi numerus sit tam magnus ante quem lapsus semper eveniat. At in hoc eventu determinari nequit quanta sit distantia a lapsu usque ad illum numerum magnum victoriarum explendum.

287. Praemitt. 4.° Necessitas in peccata venialia incidendi seu impotentia vitandi talia peccata est antecedens; quia non pendet a libertate hominum, qui in natura lapsa inveniuntur. Et haec necessitas habetur praesertim circa peccata venialia semideliberata. Utrum vero justi, saltem sanctiores, cum auxiliis ordinariis possint vitare omnia peccata venialia plena deliberata, disputatur. Gonet (1) cum aliis negat; sed Viva (2), S. Alphonsus Maria de Ligorio (3), Beraza (4) cum pluribus aliis affirmant, et Salmanticenses hanc affirmantem opinionem existimant (5) probabilem. Secundum hanc opinionem votum de vitandis omnibus venialibus deliberatis est validum (6). Jam per breve tempus videtur justus omnia peccata venialia posse vitare. Unde S. Thomas circa illa verba *Joannis* (I, Epist. I, 8) *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,* dicit (7): "Dicendum quod illud verbum non est intelligendum, quin aliqua hora

(1) *De gratia,* d. 1, a. 7, §. 1, n. 323.
(2) *De gratia.* d. 5, q. 6, n. 11.
(3) *Theologia Moralis,* l. 3, n. 203.
(4) *De gratia Christi,* p. 2, s. 2, c. 1, a. 4, n. 261.
(5) *De gratia,* d. 2, dub. 7, n. 237.
(6) Vide P. Suarez, *De materia voti,* c. 3, n. 4; *De gratia,* l. 9, c. 8, n. 27; Arriaga, *De gratia,* d. 51, s. 6, n. 42.
(7) *3. p.,* q. 79, a. 4, ad 2.

possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus."

Privilegium speciale, de quo Tridentinum loquitur (1), necessarium ad superandam impotentiam peccata venialia vitandi, est privilegium stricte tale, seu contra regulam generalem; quia secundum S. Scripturam et Traditionem omnes homines etiam justi in aliqua venialia cadunt.

THESIS. Justus in præsenti vita omnia peccata venialia vitare nequit

Thesis, si de tota vita accipitur, quae sit aliquantulum longa, est de fide, et videtur etiam de fide, si de longo tempore agitur; si vero de tempore aliquantulum notabili, v. gr., de pluribus diebus, videtur certa theologice.

288. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* In *III Reg.*, VIII, 46, legitur: "Non est enim homo qui non peccet." Et in *Eccle.* VII, 21: "Non est enim justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet." Item *Jac.* III, 2: "In multis enim offendimus omnes." Ex his testimoniis eruitur nullum esse hominem, qui saltem venialiter non peccet; nam justi, dum manent justi, non possunt peccare lethaliter. Item ex eisdem testimoniis etiam eruitur justum non posse vitare omnia peccata venialia; aliter enim aliquis justus ea vitaret. Et confirmatur doctrina theseos ex *Matth.* VI, 12, ubi dicitur: "Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris." Justi autem postulant remissionem peccatorum venialium, quum mortalia non habeant.

289. 2.° *Ex Conciliis.* Tridentinum dicit (2): "Licet enim in hac mortali vita quamtumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia (can. 23) dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi; nam justorum illa vox est et humilis et verax: *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12)..."

Et Conc. Carthaginense XVI (3) ita loquitur (4): "Item pla-

(1) *Sess. 6*, can. 23 (Denz.-Bannwart, n. 833).
(2) *Sess. 6*, c. 11 (Denz.-Bannwart, n. 804).
(3) Hoc Concilium celebratum fuit anno 418, et a Zosimo Papa fuit approbatum.
(4) Can. 7 (Denz.-Bannwart, n. 107, edit. 13.ª).

cuit, ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12), ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores; et ideo non dicere unumquemque sanctorum: Dimitte mihi debita mea, sed: Dimitte nobis debita nostra; ut hoc pro aliis potius, quam pro se, justus petere intelligatur, A. S. Sanctus enim et justus erat Apostolus Jacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Nam quare additum est *omnes*, nisi ut ista sententia conveniret et Psalmo, ubi legitur: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* 142, 2). Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo qui non peccavit* (*Eccle.* VII, 21). Et in libro sancti Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam* (*Job.* XXXVII, 7). Unde etiam Daniel sanctus et justus, cum in oratione pluraliter diceret: *Peccavimus, iniquitatem fecimus* (*Dan.* IX, 5, 15), et cætera quæ ibi veraciter et humiliter confitetur: ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hoc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cum... orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei* (*Dan* IX, 20) Domino Deo meo, noluit dicere: peccata nostra, sed peccata populi sui dixit et sua, quoniam futuros istos, qui tam male intelligerent tanquam propheta præevidit."

Denique idem Concilium asserit quoque (1): "Item placuit, ut quicumque ipsa verba dominicae orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12), ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, A. S. Quis enim ferat orantem et non hominibus, sed ipsi Deo mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur, debita non habere?."

290. **3.°** *Ex PP.* S. Cyprianus dicit (2): "Et iterum in epistula sua *Joannes* ponat et dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est.* Si autem nemo esse sine peccato potest et quisque se inculpatum dixerit aut superbus aut stultus est; quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae cum sciat non deesse sanatis quaedam

(1) Can. 8 (Denz.-Bannwart, n. 108).
(2) *De opere et eleemosynis*, n. 3 (Hartel, pag. 375).

postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria." Et S. Hieronymus (1): "Quamdiu ergo ille finis adveniat, et corruptivum atque mortale incorruptione et immortalitate mutetur, necesse est, nos subjacere peccato, non naturae et conditionis, ut tu calumniaris, vitio, sed fragilitate, et commutatione voluntatis humanae, quae per momenta variatur: quia Deus solus est immutabilis." Item S. Augustinus (2): "Nam tria sunt, ut scitis, quae maxime adversus eos (pelagianos) catholica defendit Ecclesia: quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari... alterum est, in quantacumque justitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium est obnoxium nasci hominem peccato primi hominis..."

Et S. Gregorius Naz. ita loquitur (3): "Illud cognitum habeamus, quod omni vitio carere, vere hominis modulum excedit, soliusque Dei est." Denique S. Joannes Chrysost. dicit (4): "Quis ergo gloriatur castum se habere cor: aut quis confidet mundum se esse a peccato?... Fieri ergo non potest, ut homo sit ita penitus justus, ut a peccato sit mundus; neque rursus fieri potest ut ullus ita malus sit homo, quin habeat aliquid saltem exiguum bonum."

291. 4.° *Ratione.* Quia etiam in justis manet fomes seu rebellio appetitus sensitivi contra rationem, ex quo innumerae peccandi occasiones exoriuntur; aliunde homo ignorantiis, imperfecto judicio et instabilitate voluntatis laborat, continua daemonis impugnationi subjicitur, et debet superare difficultatem, quae ex labore et defatigatione resistendi omnibus contrariis exoritur. Hisce ergo omnibus consideratis apparet moraliter impossibile justum omnia peccata venialia posse vitare.

292. Obj. 1.° In *Psal.* XIV, 2, legitur: "Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam." Et in *Psal.* CXVIII, 1: "Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini." Ergo dantur justi *immaculati*, seu sine ullo prorsus peccato.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Imprimis justi vocari possunt immaculati, quia peccato lethali carent, quod animam proprie maculat; nam peccatum veniale de gratia sanctificante, quae est mundities et splendor animae, nihil tollit. Denique, ut textus Scripturae non sibi contradi-

(1) *Dialogus contra pelagianos*, n. 30 (M. L. 23, 568).
(2) *De dono perseverantiae*, c. 2, n. 4 (M. L. 45, 996).
(3) *Oratio XVI*, n. 15 (M. G. 35, 954).
(4) *De Lazaro*, conc. 6, n. 9 (M. G. 48, 1041).

cant, textus ponentes homines immaculatos, non alio modo accipi possunt nisi de ea immunitate a peccato, quae in praesenti vita possibilis est, non de completa liberatione ab omni peccato.

293. Obj. 2.° a) *Matth.* V, 48, legitur: "Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est." Et *Philipp.* III, 15: "Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus..." b) *Ephes.* V, 25 et sq.: "Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata." c) *I Joan.* III, 9: "Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est." d) *Philipp.* II, 15: "Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae." Et *II Petr.* I, 10: "Haec enim facientes, non peccabitis aliquando. "In omnibus autem testimoniis adductis variis modis indicatur justos, saltem sanctiores, posse ab omni peccato esse immunes.

Resp. Neg. ex testimoniis allatis inferri homines sanctiores esse ab omni peccato immunes, et ad singulos textus allatos respondeo.

Ad a) Textum *estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* ex contextu speciatim referri ad inimicorum dilectionem, ita ut perfecti dicantur, qui inimicos et suos adversarios diligunt. Sic dicit S. Augustinus (1): "Potest perfectus esse ut diligat inimicos, qui nondum est perfectus ut sufferat." Si vero allatus textus accipitur de perfectione absolute, seu in omni virtute, intelligendus est de ea perfectione, quae homini etiam moraliter est possiblis; non autem de ea perfectione, quae perfectionem Patris adaequet, quum hoc absolute repugnet; sed homo perfectionem Patris non potest nisi imitari, et modo tantum imperfecto. Dicit S. Augustinus de hac re (2): "Cum ergo legitur in Scripturis cujusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum est: quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus. Quamquam in hoc possit ita dici, ut non quia jam non est quo proficiat, sed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur." Similiter de ea perfectione, quae est homini possiblis, sumendi sunt alii textus, ut *II Cor.* XIII, 11; *Coloss.* I, 28; *Jac.* I, 4, etc.

Alterum testimonium, sc. *quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*, non potest significare Apostolum se existimare absolute perfectum, quum v. 12 asserat se non esse perfectum; sed sensus videtur esse eos, qui habent perfectionem propriam viae, debere sentire necessitatem majoris et majoris perfectionis, eamque omni studio et conatu debere procurare. Etenim Apostolus in vv. praecedentibus asserit se adhuc non *comprehendisse* metam attingendam, sed illam *persequi*. Apposite ad hanc rem dicit (3) S. Augustinus: "Ingredi autem sine macula non ab-

(1) *De peccator. merit. et remiss.* l. 2, c. 15, n. 22 (M. L. 44, 165).
(2) Loco antea citato, paululo inferius.
(3) *De perfectione justitiae*, c. 9, n. 20 (M. L. 44, 291).

surde etiam ille dicitur, non quia jam perfectus est, sed quia ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit..."

Ad b) Ecclesiam viae dici gloriosam, i. e., splendidam, non habentem maculam, neque rugam; quia in illa sunt personae sanctitatis eximiae, splendentes suis virtutibus, donis et praerogativis, et ab omni peccato gravi prorsus immunes.

Ad c) dicendum hominem ex Deo natum seu justum non *posse peccare lethaliter*, dum operetur secundum justitiam seu nativitatem a Deo acceptam. Item non possunt simul coexistere gratia sanctificans et peccatum mortale. Dicit (1) S. Augustinus: "Ac per hoc in eo quod scriptum est, *Qui natus est ex Deo, non peccat, et non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet* (*I Joan.* III, 9), et si quid aliud eo modo dictum est: multum falluntur minus considerando Scripturas... Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur: sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum, et in quantum quisque spiritualia sapit, qui jam sapit. Caetera vero in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis et incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum."

Ad d) Textum ex *Philipp.* solum requirere, ut philippenses sint *sine querela et sine reprehensione* in quantum natura humana patitur. Textum ex II *Petr.* asserere fideles non esse peccaturos, dum nitantur recte agere; ideoque dum procurent recte agere, non peccabunt mortaliter, nec venialiter cum plena deliberatione.

294. Obj. 3.° De Job dicitur (*Job*, I, 8): "Numquid considerasti servum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus ac timens Deum, et recedens a malo?" Et de Zacharia et Elisabeth (*Luc.* I, 6): "Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela..."

Resp. Job, Zacharias, Elisabeth et alii sancti laudantur ut jam absolute perfecti et ab omni prorsus peccato immunes, dum in statu viae reperiebantur, neg.: ut perfecti prout status viae sinit respectu naturae lapsae, conc. De Job dicit (2) S. Augustinus: "*Nemo justus in omnibus.* Non igitur praeclarum illud testimonium Dei, quo laudatus est Job, contrarium est ei testimonio quo dictum est: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens...* Proinde omnibus qui tunc in terra justi esse potuerunt, excellebat (Job.) Non ergo ipse propterea nullum peccatum omnino habebat, quia in profectu justitiae ceteros anteibat." Et idem Augustinus de testimonio pro Zacharia et Elisabeth inter alia haec dicit (3): "Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem justitiae, in qua vere atque omnimodo immaculati perfectique vivemus." Denique ipse Augustinus de hac re generatim ita loquitur (4): "Sic itaque omnes, quicumque in hac vita divinarum Scripturarum testimoniis in bona voluntate atque actibus justitiae praedicati sunt... omnes

(1) *De peccator. meritis et remissione*, c. 7, n. 9 (M. L. 44, 156).
(2) *De peccator. meritis et remiss.*, c. 12, n. 17 (M. L. 44, 161-162).
(3) *De gratia Christi*, c. 48, n. 53 (M. L. 44, 384).
(4) *De peccator. merit. et remiss.*, l. 2, c. 14, n. 21 (M. L. 44, 164).

magni, omnes justi, omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non justificari in conspectu Dei omnem viventem..." (1).

Item quod dicit *Ecclesiasticus* (VII, 40) de his, qui novissima sua memorant, sc.: "In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis."; solum videtur significare memoriam novissimorum impedire peccatum mortale.

295. Obj. 4.° In oratione dominica dicitur (*Matth.* VI, 13): "Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo." Et *II Cor.* XIII, 7: "Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis..." Item Ecclesia in Prima petit, *ut in hac die ad nullum declinemus peccatum;* et in Litaniis, *ab omni peccato libera nos Domine.* Ergo, quum in S. Scriptura postuletur immunitas ab omni peccato, et Ecclesia hoc ipsum postulet, videtur significari immunitatem ab omni peccato sine speciali privilegio obtineri posse.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Petitiones enim allatae, quibus postulamus *liberationem a malo, ab omni peccato* non possunt significare hominem per auxilia ordinaria posse consequi immutatem ab omni peccato; etenim in ipsa oratione dominica in qua petimus *libera nos a malo*, petimus quoque *dimitte nobis debita nostra*, et secundum *Lucam* (XI, 4) *dimitte nobis peccata nostra;* ideoque, si omnes debemus petere remissionem peccatorum, omnes aliqua peccata committimus. Ad rem S. Augustinus (2): "Nobis autem sufficit quod nullus in Ecclesia Dei fidelium reperitur in quolibet provectu excellentiaque justitiae, qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis dominicae, *dimitte nobis debita nostra;* et dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, et veritas in eo non sit (*I Joan.* I, 8), quamvis jam sine querela vivat." Et idem Augustinus verba *libera nos a malo* significat plene in altera vita impleri (3). Item alibi dicit (4): "Cum dicimus *libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13), nos admonemus cogitare, nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum quod in dominica oratione positum est, tam late patet, ut homo christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem."

Propositae difficultati P. Suarez respondet (5): "Licet homo in hac vita non possit vitare omnia haec peccata, nihilominus volendum, ac desi-

(1) Si S. Ambrosius significaverit (*In Luc.* c. 1, 6) Zachariam et Elisabeth omni prorsus peccato caruisse, respondet S. Augustinus (*De gratia Christi,* c. 49, M. L. 44, 384): "Illud ergo S. Ambrosii testimonium, quo pro sua sententia Pelagius utitur, aut secundum quemdam modum dictum est, probabilem quidem, sed non minutius excussum; aut certe si ille vir sanctus atque humilis Zachariam et Elisabeth summae atque omni modo perfectae justitiae, cui nihil addi jam posset, fuisse existimavit, profecto sententiam suam minutius excutiendo correxit." Et S. Ambrosius (*In Ps.* 118, *sermo 16,* v. 124, n. 31; M. L. 15, 1509) dicit: "Tibi soli peccavi (*Ps.* L, 6). Non potest hoc justus negare, quia nemo sine peccato." Et hoc ipsum indicat S. Ambrosius in aliis locis. Vide P. Suarez, *De gratia,* l. 9, c. 8, n. 20.

(2) *Epist. 177 ad Innocentium,* n. 18 (M. L. 33, 772).

(3) *De peccat. merit. et remiss.,* l. 2, c. 4, n. 4 (M. L. 44, 153).

(4) *Epist. 130 ad Probam,* c. 11, n. 21 (M. L. 33, 502).

(5) *De gratia,* l. 9, c. 8, n. 31.

derandum, ac conandum cum spiritu Dei, et postulandum esse ut fiat. Nam illud generale et quasi confusum objectum, scilicet, nunquam peccare venialiter, honestissimum est; ergo et optare illud, conari optimum est, quia, licet omnino et integre id assequi non possimus, ad plura vitanda peccata, semperque illa minuenda utilissimum est. Et ad hunc finem dirigitur oratio, qua gratiam ad omnia haec peccata vitanda postulamus. Nullum est enim quod per gratiam Dei vitari non possit, semperque potest dari nobis major et major gratia ut illa vitemus, et ideo simpliciter ad omnia illa vitanda petimus auxilium, sperantes Deum daturum illud, quantum est ex se, et saepius futurum in nobis efficax, licet simul etiam timeamus, saepius ex parte nostra esse frustrandum."

296. Obj. 5.° Si homo necessario peccaret venialiter, haec peccata tribuenda essent Deo, qui fecit naturam. Sed Deus non potest esse auctor alicujus peccati. Ergo talia peccata necessario commissa non dantur.

Resp. Dist. maj.: Si homo ita necessario peccaret, ut singula peccata venialia vitare non posset, haec Deo tribuenda essent, Trans.; si homo ita necessario peccaret, ut non possit omnia peccata venialia vitare, sed nullum esset singulare et determinatum quod non posset vitare, neg. Et neg. cons. Ut dictum est in praemittendis nullum peccatum singulare et determinatum habetur, quod homo non possit vitare; quia si non posset vitari, eo ipso non esset peccatum. Verum homo propter suam fragilitatem in aliqua peccata venialia incidet; sed quaenam sint haec, non determinatur nisi per lapsum in ipsa; nam ante lapsum vitari poterant. Fragilitas autem ex qua consequitur hominem in aliqua venialia incidere, est aliquid quod consequitur naturam humanam, et Deus talem fragilitatem naturalem non tenetur tollere, et ipsa peccata potest permittere. Quocirca Deus non est causa peccati; sed causa radicalis est fragilitas humanae naturae, quam Deus non debet tollere; quia non ostenditur Deum naturas debere immutare. Dixi vero *transeat* peccata tribuenda esse Deo, si singula peccata determinata vitari non possent; quia in hac hypothesi illa peccata non essent peccata eo ipso, quod vitari non possent.

297. Obj. 6.° Christus venit ad opera diaboli dissolvenda. Ergo opus est, ut hoc saltem in aliquibus individuis perfecte obtineat, quod certe non eveniret, si in omnibus aliqua essent peccata.

Resp. Conc. ante. et dist. cons.: Hoc certe non eveniret, si in omnibus darentur peccata, quae finem ultimum impedirent, conc.; aliter, neg. Finis enim redemptionis et destructionis operis diaboli sufficienter obtinetur ex eo, quod omnes homines sunt sufficienter reparati, ut finem ultimum consequi possint, si mediis, quae illis tribuuntur, uti velint. Et si revera omnes mediis, quae iis tribuuntur, cooperarentur, omnes finem ultimum obtinerent.

298. Obj. 7.° Homo justus quodlibet determinatum vitare potest peccatum veniale. Ergo hoc ipso omnia vitare potest; unumquodque enim declinando successive, omnia tandem declinantur. Accedit, quod vitando unum, acquiritur facilitas ad alia vitanda, et sic cetera facilius vitabuntur.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Et ad rationem consequentis dico hominem in praesenti statu, licet singula peccata venialia vitare possit, tamen

illa non vitabit, sed in aliqua incidet propter infirmitatem humanae naturae et alia motiva in argumento rationis indicata. Ad illud quod additur, dico hominem per victorias obtentas roborari ad vincendas tentationes in illa materia vel materiis, in quibus victoriam obtinuit, non autem in aliis.

299. Obj. 8° Homo potest vitare singula peccata venialia. Sed collectio peccatorum venialium non auget difficultatem resistendi. Ergo si homo potest vitare singula, etiam collectionem.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Quia re ipsa collectio auget difficultatem; tum quia importat multiplicationem occassionum peccandi; tum quia auget laborem et defatigationem resistendi; tum instabilitas voluntatis multiplicatis occassionibus peccandi, facilius inducit ejusdem mutationem, quia habentur plures causae, ut voluntas mutetur. Quare ex eo quod voluntas possit resistere singulis peccatis venialibus, non sequitur quod re ipsa in omnibus occassionibus peccata venialia vitet.

300. Scholion 1. **Sola Virgo Maria fuit per totam vitam prorsus immunis ab omni peccato.** In hoc scholio duplex pars continetur: 1.ª est: Beata Virgo Maria ab omni prorsus peccato immunis fuit; et altera: ceteri sancti non fuerunt immunes ab omni peccato. 1.ª p. est doctrina catholica, ut constat ex canone Concilii Tridentini adducto supra, n. 284. Et hanc primam partem probavi in *Tractatu de Verbi divini Incarnatione* (1), et ibidem solvuntur praecipuae difficultates in oppositum.

Altera pars, scilicet omnes alii sancti praeter Virginem Mariam non fuerunt immunes ab omni peccato veniali. Hoc probatur ex argumentis allatis supra, n. 288 et sq., quae sensu obvio significant omnes justos habere aliqua peccata. Beata Virgo Maria excipitur, quia ostenditur pro illa exceptionem esse faciendam; et pro nullo alio, saltem modo certo, probatur. De hac re dicit (2) S. Augustinus, quum ei propositi fuissent nonnulli sancti tanquam ab omni peccato immunes, inter quos S. Josephus, cui desponsata erat Virgo Maria, et S. Joannes: "Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, quum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod iste (Pelagius) dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?"

301. Tamen ipse S. Augustinus etiam dicit (3): "Quin etiam si nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus (i. e., sine ullo prorsus peccato actuali), et tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur,

(1) D. 19, a. 4.
(2) *De natura et gratia*, c. 36, n. 42 (M. L. 44, 267).
(3) *De spiritu et littera*, c. 2, n. 3 (M. L. 44, 202).

et putatur; quantum ego judicare possum, non multum erratur, nec perniciose..." Ex his autem verbis inferri videtur non esse de fide praeter Virginem Mariam nullum alium reperiri justum, qui sine ullo prorsus peccato fuerit per totam vitam. Verum, quamvis hoc non sit de fide, videtur certum ex testimoniis Scripturae et Traditionis allatis, si S. Joannes Baptista excipiatur, nullum justum fuisse per totam vitam aut per longum tempus immunem ab omni peccato veniali. De hac re dicit (1) P. Suarez: "Solum de Joanne Baptista pauci hoc significant (nunquam commisisse peccatum actuale), et ideo ita de illo affirmare temerarium non est, quamvis sit minus probabile; de quocumque vero alio id certe dici non potest cum probabilitate. Denique de S. Josepho, sponso Virginis Mariae, dicit (2) idem P. Suarez: "Et ad summum sentit (Echius), in materia castitatis, et praesertim post matrimonium, nunquam peccasse venialiter, nec motus concupiscentiae habuisse. Quod probabilissimum est propter decentiam Virginis, et alias congruentias, quas (Echius) ibi adducit. Inde autem non sequitur in omni materia veniali peccato semper caruisse."

Plures theologi docent non modo S. Josephum, sed etiam alios sanctos fuisse immunes ab omni peccato etiam veniali in aliqua materia determinata, non in omni materia.

302. Scholion II. **De natura privilegii immunitatis ab omni peccato.** Hoc privilegium videtur reponendum in eximiis donis gratiae sanctificantis, virtutum et gratiae actualis cum extinctione fomitis et speciali providentia et protectione Dei; hoc enim modo convenienter habetur privilegium vitandi omnia prorsus peccata (3). Et hoc modo concessum est Beatae Virgini Mariae laudatum privilegium. Absolute privilegium vitandi omnia peccata etiam venialia per totam vitam haberi posset per gratiam sanctificantem et communicationem constantem auxiliorum efficacium in omni periculo et occasione peccandi sive mortaliter, sive venialiter.

Articulus V

De necessitate gratiæ ad perseverantiam finalem (4)

303. Praemitt. 1.° De varia acceptione et definitione perseverantiae. S. Thomas dicit (5): "Perseverantia tripliciter dicitur.

(1) *De gratia*, l. 9, c. 8, n. 24. Vide etiam *De mysteriis vitae Christi*, d. 24, s. 4, n. 3.
(2) *Loco citato de gratia*, n. 23. Vide etiam *De mysteriis vitae Christi*, d. 8, s. 2, n. 7.
(3) S. Thomas, *De veritate*, q. 24, a. 9; Suarez, *De mysteriis vitae Christi*, d. 4, sec. 4 et 5.
(4) S. Thomas, *1. 2.*, q. 109, a. 10; *2. 2.*, q. 137, a. 4; *Contr. gent.*, l. 3, c. 155; *De veritate*, q. 24, a. 13 Suarez, *De gratia*, l. 10; Valentia, *In 1. 2.*, d. 8, q. 1, punct. 6; Lessius, *De praedestinat.*, s. 4, appendix; Struggl, p. 1, tract. 6, d. 4, q. 2, a. 7; Mazzella Card., *De gratia Christi*, d. 2, a. 4; Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 2, c. 1, a. 3; Perrone, *De gratia Christi*, p. 1, c. 2, a. 4, prop. 2; Van Der Meersch, *De divina gratia*, p. 2, s. 4; Tepe, *De gratia*, q. 1, c. 2, prop. 8, n. 87; Tabarelli, *De gratia Christi*, p. 1, q. 1, a. 10, etc.
(5) *1. 2.*, q. 109, a. 10.

Quandoque enim significat habitum mentis, per quem homo firmiter stat (1), ne removeatur ab eo quod est secundum virtutem, per tristitias irruentes; ut sic se habeat perseverantia ad tristitias, sicut continentia ad concupiscentias et delectationes... Alio modo potest dici perseverantia habitus quidam, secundum quem homo habet propositum perseverandi in bono usque ad finem. Et utroque istorum modorum perseverantia simul cum gratia infunditur, sicut et continentia, et ceterae virtutes. Alio modo dicitur perseverantia continuatio quaedam boni usque ad finem vitae." Et haec est perseverantia de qua hic agitur, et consistit in hoc, quod quis cum gratia sanctificante sibi inhaerente perduret usque ad mortem.

304. Praemitt. 2.° De variis perseverantiae divisionibus. Imprimis perseverantia dividitur in *perfectam* et *imperfectam*. Perseverantia *perfecta*, seu proprie talis, est illa, quae usque ad mortem perdurat; et *imperfecta*, quae permanet per aliquod longum tempus, seu non usque ad mortem. Haec *imperfecta*, ut dicatur perseverantia, debet durare per aliquod longum tempus; aliter enim non posset dici perseverantia; sic aliquis non dicitur perseverare in re aliqua, cui per breve tempus tantum incumbit. Perseverantia *perfecta* in *activam* et *passivam* dividitur. *Activa* consistit in exercitio virtutis et vitationis peccati lethalis, dum usus rationis maneat; et *passiva*, in conjunctione mortis cum statu gratiae. Rursus subdividitur in *mere passivam* et in *passivam simul activam*. Est *mere passiva*, si justus a momento justificationis usque ad instans mortis exercitium virtutis habere non potest, ut evenit in illis, qui aut moriuntur ante usum rationis, aut statim post justificationem. At in postremo casu difficile est non dari tempus aliquod, si usus rationis conservetur, ad actus virtutis exercendos. Est *passiva simul activa*, si a tempore justificationis ad instans mortis habeatur aliquod tempus, in quo virtus exerceri possit; quia si ita est, habetur perseverantia activa per exercitium virtutis usque ad admissionem usus rationis; et passiva per conjunctionem mortis cum statu gratiae. Haec perseverantia activa, simul et passiva tanto magis habetur, saltem ratione per-

(1) 2. 2., q. 137.

severantiae activae, quanto plus temporis datur ad virtutem exercendam.

305. Praemitt. 3.° De sensu canonis Tridentini, qui sic se habet (1): "Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse: A.S." Circa hunc canonem duplex praecipue quaestio habetur: altera est, utrum canon loquatur de tali *posse*, quod cum actu conjungatur, an de *posse* quod cum actu conjungi et non conjungi potest. Secunda est, quo sensu illa verba *speciale auxilium Dei* sint accipienda. Circa primam quaestionem dicendum est in canone agi de *posse* perseverari, quod potest cum actu conjungi et non conjungi; ratio est, quia iste est sensus obvius; et Concilium non dicit *cum auxilio speciali actu perseverari*, sed *posse perseverari*. Nec dicatur semper *posse* expeditum ad agendum conjungi cum actu; hoc enim inferius probabitur non evenire saepe, eo quod voluntas gratiae non cooperetur.

Respectu alterius quaestionis est duplex sententia. Prima docet per *speciale auxilium* significari *auxilium* distinctum a collectione omnium auxiliorum, quae pro singulis actibus eliciendis tribuuntur; et ideo realiter distinctum non modo a gratia sanctificante et virtutibus per se infusis, sed etiam ab omni gratia actuali, quae collectionem actuum non reddit possibilem etiam moraliter.

Altera, sententia quam defendit Card. Mazzella cum aliis, tenet *per speciale auxilium* comprehendi omnia auxilia actualia sive interna sive externa, quae ad conservandam gratiam sanctificantem et virtutes tribuuntur. Quare secundum hanc sententiam non dicitur *speciale auxilium*, quia non detur omnibus; sed quia a gratia habituali et permanente realiter distinguitur. Nihilominus hoc auxilium speciale, licet pro omnibus et singulis sit sufficiens ad perseverandum, et quidem cum potestate physica et morali; tamen in diversis potest esse diversum; quatenus aliis immediate detur auxilium sufficiens, aliis vero solum mediate, quatenus auxilium immediatum sit obtinendum per orationem supernaturalem. Item aliis potest dari auxilium intensius, aliis minus intensum. Similiter auxilia externa possunt esse diversa in diversis. Quum oratio est necessaria ad obtinendam gratiam necessariam, Deus ad orandum movet; et si non respondeat homo motioni divi-

(1) Can. 22 (Denz.-Bannwart, n. 832).

nae, culpa hominis est non habere gratiam sufficientem ad recte operandum. Discrimen inter utramque sententiam in hoc videtur consistere, quod secundum priorem sententiam *speciale auxilium* importat auxilia actualia interna et externa realiter distincta ab auxiliis actualibus internis et externis, quae communiter dantur; et hoc *speciale auxilium* secundum alteram sententiam complectitur omnia auxilia actualia tam interna, quam externa, quae requiruntur, ut justus potentiam physicam et moralem habeat ad perseverandum.

THESIS I. Omnibus justis datur gratia sufficiens ad perseverandum, licet auxilium proxime sufficiens per orationem saepe obtinendum sit.

Haec thesis quoad utramque partem est certa, immo de fide.

306. Prob. 1.ª p. *1.° Ex S. Scriptura.* Ex V. T. in *Ps. 36* vv. 25 et 28 legitur: "Non vidi justum derelictum... Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos: in aeternum conservabuntur." Et *Eccli.* II, 12 et sq.: "Quis enim permansit in mandatis ejus et derelictus est? aut quis invocabit eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus... et protector est omnibus exquirentibus se in veritate." Et in eodem *Eccli.* XV, 16: "Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere."

Ex N. T. a) *I Cor.* X, 12, 13: "Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum (1), ut possitis sustinere." In hoc textu agitur de justo, dicit enim *videat ne cadat;* si vero non esset justus, jam cecidisset. Et justo promittit Deus se non permissurum ut tentetur supra vires, et ideirco poterit tentationes superare et gratiam ad id necessariam accipiet. Quod si tempore tentationis poterit justus non peccare, a fortiori extra tempus tentationis. Et verba Apostoli referuntur ad omnes justos Corinthiorum ad quos scribit, ac proinde absolute ad omnes justos, quum doctrina fidelium corinthiorum debet esse

(1) In textu graeco habetur vocabulum ἔκβασις, quod significat *exitum*, ideoque evasionem ex tentatione.

eadem cum doctrina aliorum fidelium. Item refertur ad justos pro omni tempore vitae suae usque ad mortem, quia Apostolus nullam restrictionem indicat.

b) *Matth.* XI, 30, dicitur: "Jugum enim meum suave est, et onus meum leve." Et *I Joan.* V, 3: "Haec est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt." Jam vero si mandata Dei in aliquo tempore vitae pro justis essent impossiblia observatu, licet tantum moraliter, et solum collective, non distributive, profecto *jugum* Christi non esset suave, nec mandata ejus non essent *gravia*.

c) *Joan XIV*, 21, dicitur: "Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum." Et ad *Rom.* V, 8 et sq.: "Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius." Non autem dilectio Dei erga justos adeo commendaretur, si in aliquo tempore vitae suae relinquerentur justi in impossibilitate servandi praecepta. Praeterea justificati dicuntur salvi; non essent vere salvi, si praecepta, saltem collective, servare non possent.

d) In *Apoc.* II, 10, legitur: "Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae." Et III, 11: "Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam." Si vero justis esset moraliter impossibile servare legem, quia non haberent gratiam sufficientem; frustra hortarentur ad fidelitatem et ad conservandam gratiam. Plura alia in eamdem sententiam afferri possent (1).

307. 2.° *Ex Conciliis.* Concilium Arausicanum II dicit (2): "Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint adimplere." Item Conc. Carthaginense XVI (3): "Quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum

(1) Vide P. Beraza, *De gratia Christi*, nn. 247 et 401.
(2) Canon 25 (Denz.-Bannwart, n. 200).
(3) Can. 4 (Denz.-Bennwart, n. 104).

Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, A. S." Et Conc. Tridentinum (1): "In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, *operans velle et perficere* (*Philipp.* II, 13)."

Et hoc ipsum probatur ex prop. 1.ª Jansenii ab Innocentio X reprobata, quae ita se habet (2): "Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possiblia fiant." Ex hac propositione manifeste infertur nulla praecepta hominibus justis esse impossibilia, et dari gratiam sufficientem ad illa implenda. Et hoc accipiendum est pro tota vita justi usque ad mortem; nam sine coarctatione propositio damnata est. Propositio fuit damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, et haeretica.

308. 3.° *Ex S. Augustino.* Hic Sanctus Doctor inquit (3): "Jacta in dominum curam tuam et spera in eum, et ipse faciet (*Psal.* 54, 23). Quid tibi curaturus est? Quid tibi provisurus? Habeat tui curam qui fecit te. Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam cum jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiae. Curam tui non habebit, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45)? te jam justum ex fide viventem (*Rom.* I, 17) negliget, deseret, dimittet? Immo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria suministrat, et noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto." Et alibi (4): "Illud autem lumen (*Joan.* I, 9) non irrationabilium avium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus praecepta implenda convertentur. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud

(1) *Sess. 6*, cap. 13 (Denz.-Bannwart, n. 806).
(2) Denz.-Bannwart, n. 1092.
(3) *Enarr. in Ps.* 39, n. 27 (M. L. 36, 450).
(4) De *Genes. contra manich.*, l. 1, c. 3, n. 5 (M. L. 34, 176).

lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum (1)." Et idem Sanctus Doctor (2): "Justior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam, quam dicentium, non accepimus perseverantiam: quoniam potest dici, homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles; nullo modo autem dici potest, id quod non audieras, crederes si velles."

309. 4.° Ex eo quod Deus justos non deserit, nisi ab ipsis deseratur. Conc. Tridentinum dicit (3): "Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur." Et S. Augustinus (4): "Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum (I *Timoth.* II, 5), spiritualiter sanat aegrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper juste vivatur." Et ipse S. Doctor (5): "Non enim deseret opus suum (Deus), si ab opere suo non deseratur." Et S. Prosper (6): "Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi praebere lapsuris, gratia tamen ejus non prius eos deseruit quam ab eis desereretur."

310. 5.° *Ratione.* Nam Deus imponit justis obligationem perseverandi. No decet autem Deum imponere aliquam obligationem, et non tribuere media necessaria ad illam implendam; et medium necessarium ad perseverandum est gratia. Ergo Deus tribuit justis gratiam sufficientem ad perseverandum; ideoque justi omnia praecepta per gratiam Dei implere possunt, et distributive et collective, et physice et moraliter. Praeterea Deus non potest negare gratiam sufficientem propter peccatum originale; hoc enim in justis jam prorsus deletum est; non propter concupiscentiam, quum haec non habeat rationem peccati; nec propter peccatum mortale, quia hoc non stat cum gratia sanctificante; neque propter veniale, quia hoc peccatum amicitiam Dei non tollit, et idcirco nec media necessaria ad illam conservandam auferre debet.

(1) Vide *Retract.* l. 1, c. 10, n. 2 (M. L. 32, 599).
(2) *De corrept. et gratia,* c. 7, n. 11 (M. L. 44, 924).
(3) *Sess. 6.ª* cap. 11 (Denz.-Bannwart, n. 804).
(4) *De natura et gratia,* c. 26, n. 29 (M. L. 44, 261).
(5) *Enarrat. in Ps.* 145, n. 7 (M. L. 37, 1890).
(6) *Responsiones ad capitula gallorum,* 2.ª p., *sentent. super VII* (M. L. 51, 171).

311. **Prob. 2.ª p. 1.°** *Ex Tridentino* dicente (1): "Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum (can. 20) putare debet; nemo temeraria illa et a PP. sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia (can. 18 et 22). Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis."

2.° *Ex S. Augustino,* qui sic loquitur (2): "Magnum aliquid pelagiani se scire putant, quando dicunt: "non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri." Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quae non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim est fides, quae orando impetrat quod lex imperat." Et alibi (3): "Non igitur Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis." Item in eodem libro (4): "Eo quippe ipso quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse praecipere; hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus." Rursus idem S. Doctor (5): "Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum cujus dono eam possit implere." Denique circa illa *Joannis* (VI, 44) *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* dicit (6): "Semel accipe, et intellige: nondum traheris? Ora ut traharis."

312. Corollarium. Ex dictis sequitur in can. 22, sess. 6 Concilii Tridentini *speciale auxilium* sumendum esse pro auxilio, quod ut sufficiens omnibus justis communicatur; quia ex una parte, ut probatum n. 305, in eo canone non est sermo de auxilio efficaci, sed de sufficienti, et ex altera in thesi proxima ostensum est auxilium sufficiens, saltem dependenter a precibus, omnibus justis communicari.

313. **Obj. 1.°** Justis ratione gratiae sanctificantis debentur omnia auxilia necessaria ad perseverandum. Ergo frustra ad hunc effectum postulatur oratio.

(1) *Sess. 6.ª* cap. 11 (Denz.-Bannwart, n. 804).
(2) *De gratia et liber. arbitrio,* c. 16, n. 32 (M. L. 44, 900).
(3) *De natura et gratia,* c. 43, n. 50 (M. L. 44, 271).
(4) Cap. 69, n. 83, col. 288.
(5) *De diversis quaest. ad Simplicianum,* l. 1, q. 1, n. 14 (M. L. 40, 108).
(6) *Tract. 26 in Joan.,* n. 2 (M. L. 35, 1607).

Resp. Dist. ant.: justis ratione gratiae sanctificantis debentur omnia auxilia necessaria ad perseverandum proxime vel remote, conc.; semper proxime, neg., et neg. cons. Deus igitur omnibus justis tribuit gratiam, qua fiunt potentes non modo physice, sed etiam moraliter ad perseverandum, et quidem non solum respectu singulorum praeceptorum, verum etiam respectu collectionis omnium. Verum Deus saepe tribuit gratiam solum remote sufficientem, et vult ut per orationem consequamur gratiam proxime sufficientem, ut constat ex probationibus 2.ae partis theseos. Ipsa autem gratia sanctificans exigit, ut conservetur, et ad hoc auxilia sufficientia dentur; et subjectum gratia sanctificante ornatum hoc ipsum exigit propter amicitiam, quam cum Deo habet. Nam amicitia non potest amicum ponere in necessitate, sive physica sive morali, non modo amittendi amicitiam, sed etiam in maximum malorum, ut est peccatum mortale, incidendi. Quocirco justus, ratione gratiae sanctificantis et amicitiae cum Deo, constanter potest vitare peccatum mortale, saltem confugiendo ad orationem. Et quum ad orationem confugere necessarium est, Deus certe ad orandum movet, ut oratio sit supernaturalis; quia oratio naturalis nullam habet vim ad dona supernaturalia impetranda. Quocirca, quum Deus velit, ut per orationem gratiam obtineamus necessariam, eo ipso dat nobis gratiam, ut oratio sit, qualis debet esse, ut sit apta ad impetrandam gratiam, qua indigemus (1).

Praeterea respectu necessitatis confugiendi ad orationem, dicendum est valde conveniens esse justum ad orationem constanter confugere; quia incerta est cooperatio justorum et consecutio doni perseverantiae; ideoque ut haec certo consequantur, constans oratio valde conveniens est.

314. Obj. 2.° Justus non potest re ipsa perseverare, nisi gratiam efficacem accipiat, qua actu perseveratur. Atqui talis gratia non omnibus justis communicatur. Ergo non omnes justi perseverantiam consequi possunt.

Resp. Neg. maj. Etenim secundum doctrinam de gratia sufficienti inferius explicandam, gratia sufficiens evadit efficax, si homo illi cooperatur. Quare gratiam esse mere sufficientem, aut esse efficacem a libera hominis cooperatione dependet. Ideoque omnibus, saltem mediate, ea gratia datur cum qua re ipsa actu perseverarent, si ipsi simul cum gratia operarentur (2).

315. Obj. 3.° Petrus erat justus, quum Christus de omnibus Apostolis, excepto Juda, dixerit (*Joan.* XIII, 10): *Et vos mundi estis.* Sed non habuit gratiam sufficientem ad peccatum letale vitandum. Ergo justi gratia sufficienti ad non peccandum aliquando destituuntur. Prob. min. 1.° Christus dixit Petro (*Joan.* XIII, 36): "Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea." 2.° S. Joannes Chrysost. non semel asserit Petrum a gratia fuisse desertum, quum Christum negavit.

(1) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 10, c. 3, n. 10, et Valentiam, *in 1. 2.*, d. 8, c. 1, punct. 6 versus finem.
(2) Vide P. Lessium, loco antea citato; Molinam, In 1.am p. q. 23, d. 1, membra 10, 11, 12.

Sic dicit (1): "Hic (Petrus) vero cum proposito voluntatis, quia nullo fultus erat auxilio, lapsus est." Item (2): "Deseruit (Christus Petrum), ut suam disceret infirmitatem." Et alibi (3): "Et ut scias quod negatio non tamen erat socordiae ac negligentiae, quam ex eo quod Deus eum (Petrum) deseruerat..." 3.° Etiam alii PP. eamdem sententiam sequuntur. Petrus igitur divina gratia prorsus caruit, quum Christum negavit.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Et ad 1.am probat. dico Petrum non debebat tunc mori, et ideo etiam non debebat tunc accipere gratiam ad mortem pro Christo sustinendam. Aliunde Petro ante mortem munus Pastoris Ecclesiae universalis exercendum erat; et idcirco non oportebat eum mori eo tempore, quo Christus sanguinem suum fudit pro universo mundo.

Ad 2.um dicendum S. Petrum, quum Christum negavit, non habuisse gratiam abundantiorem ad vitandam negationem Christi, et forte nec proxime sufficientem; sed saltem habuit gratiam remote sufficientem, et poterat ad orationem confugere, et ita gratiam accipere, qua vitaret triplicem Christi negationem. S. Chrysostomus solum videtur negare Petrum habuisse gratiam abundantiorem, aut etiam proxime sufficientem: nullo modo vero ad orationem confugere non posse, et ita vitare triplicem lapsum. Et S. Augustinus ita loquitur (4): "Quis enim dubitaverit quod Judas Christum, si voluisset, non utique tradidisset: et Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset?"

Ad tertium respondetur illos Patres non negare Petrum habuisse gratiam saltem remote sufficientem.

Nota. Nonnulli Patres et theologi cum S. Joanne Chrysostomo (5) asserunt Petrum jam peccasse letaliter antequam Christum ter negaret, et ejus peccatum fuisse superbiam et praesumptionem. Verum antequam Christum negaret, jam letaliter peccasse, probari non potest, saltem modo certo. Imo S. Hilarius (6) asserit Petrum ex affectu in Christum dixisse non futurum, ut ipse scandalizaretur. Haec sunt verba S. Hilarii: "Sed Petrus pro fidei suae calore respondit, ceteris licet scandalizantibus, nunquam se scandalizaturum. In tantum enim et affectu et caritate Christi efferebatur (v. 33), ut et imbecillitatem carnis suae, et fidem verborum Domini non contueretur: quasi vero dicta ejus efficienda non essent."

316. Obj. 4.° S. Augustinus videtur probare hunc modum loquendi, scilicet (7): "Et si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis." Atqui iste modus loquendi significat obedientibus seu justis aliquando gratiam sufficientem negari. Ergo.

Resp. Neg. maj. Etenim S. Augustinus de illo loquendi modo dicit: "Hoc enim dicere, quid videtur aliud esse, quam maledicere, aut mala

(1) *In Matth., homil.* 82, n. 4 (M. G. 58, 742).
(2) *Homil. 73 in Joan.*, n. 1 (M. G. 59, 395).
(3) *Homil. 31 in Epist. ad Hebr.*, n. 3 (M. G. 63, 215).
(4) *De unitate Ecclesiae*, c. 9, n. 23 (M. L. 43, 407).
(5) *Homil. 82 in Matth.*, n. 3 (M. G. 58, 741).
(6) *In Matth.*, c. 30 (M. L. 9, 1065).
(7) *De dono perseverantiae*, c. 22, n. 61 (M. L. 42, 1030).

quodam modo prophetare?" Et paulo inferius de tali modo loquendi subjungit: "Res enim non optabilis, sed abominabilis dicitur, et durissime atque odiosissime quasi in audientium frontem compellando colliditur..." Et postea addit: "Quid enim sententiae deperit, si ita dicatur: *Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus et gloriam praedestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt?* Nonne et verius eadem res et congruentius dicitur?..." Nec secundum S. Augustinum illo durissimo loquendi modo, proprie exprimitur veritas, quum suaviore modo loquendi asserat rem *verius et congruentius* dici. Et S. Prosper de hac re dicat (1): "Vires itaque obedientiae non ideo cuique subtraxit (Deus), quia eum non praedestinavit; sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevidit."

Praeterea ipse S. Augustinus de modo praedicandi ad populum de praedestinatione dicit (2): "Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum (*Jac.* I, 17), sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a praedestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit autem a vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine (*Jer.* XVII, 5): et bonum est confidere in Dominio quam confidere in homine (*Ps.* CXVII, 8): quia beati omnes qui confidunt in eum."

317. Obj. 5.° S. Augustinus plura habet, quae componi non posse videntur cum doctrina, quae asserit singulis justis dari gratiam sufficientem ad peccata mortalia vitanda. a) Dicit (3) S. Doctor: "Posset ergo (Adamus) permanere si vellet; quia non deerat adjutorium per quod posset... Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est." b) In libris *De correptione et gratia* et *De dono perseverantiae* ad explicandum cur Deus uni justo dat gratiam, alteri non, ad inscrutabilia Dei judicia confugit; hoc autem non faceret, si omnibus justis gratia sufficiens communicaretur. c) Alibi videtur docere aliquando nec gratiam suffcientem remotam dari. Dicit (4) enim; "Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida vel pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia si et hoc dolemus, jam oramus." Ergo.

Resp. Neg. assertum, et singulas probationes declaro. a) Justis saepe negatur auxilium sufficiens proximum, conc.; remotum, neg. Illi vero qui tantum habent gratiam ad orandum, adhuc non possunt facere quod faciendum est, nisi quum per orationem accipiant gratiam proxime sufficientem.

b) Ex eo quod justis omnibus detur gratia sufficiens, explicatur quidem, cur consentiant vel non consentiant gratiae; gratia enim vere sufficiens praestat, ut justus possit sequi gratiam, eidem consentiendo, et si non consentiat, culpa ipsius erit. Verum non explicatur, cur unus a

(1) *Responsiones ad capitul. gallorum* 1.ª p. c. 12 (M. L. 51, 167).
(2) Eodem loco proxime citato, n. 62.
(3) *De correptione et gratia*, c. 11, n. 22 (M. L. 44, 935).
(4) *De diversis quaestion. ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 21 (M. L. 40, 127).

Deo rapiatur, dum est justus, et alter in peccatum labi sinatur; cur uni detur gratia praevisa efficax, et alteri non. Et ideo in his omnes ad inscrutabilia Dei judicia confugere debemus.

c) Ibi S. Augustinus potestatem orandi cum gratia non negat; sed affirmat de ipsa oratione esse tepidam, vel frigidam vel nullam; hoc vero est culpa orantis, non defectus divini auxilii.

318. Obj. 6.° S. Thomas dicit (1) de gratia sanctificante: "Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, et mereri vitam aeternam." Et alibi (2): "Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, et vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim caritas plus diligit Deum quam cupiditas millia auri et argenti." Ergo secundum S. Thomam minima gratia sanctificans sufficit ad resistendum concupiscentiae et ad omnia peccata mortalia vitanda.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Minima quidem gratia sanctificans sufficit ad expellendum omne peccatum letale, et ad exigendum gratiam actualem sufficientem ad resistendum cuilibet concupiscentiae; quia gratia sanctificans etiam minima postulat conservationem sui et constituit hominem amicum Dei, et non potest conservari et constituere amicitiam hominis cum Deo, nisi cuilibet concupiscentiae resistat. Verum ipsa sola non sufficit ad resistendum proxime tentationibus, sed requiruntur etiam gratiae actuales, quas saltem mediis precibus, exigit gratia habitualis. Nec contrarium sentit S. Thomas, ut elucet ex *1. 2.*, q. 109, aa. 9 et 10. Neque opponitur Conc. Carthaginensi XVI, quum dicit (3): "Item placuit ut quicumque dixerit, gratiam Dei, qua justificatur homo per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quae jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, A. S." Hic enim canon ab aliquibus intelligitur non solum de gratia habituali, sed etiam de gratiis actualibus, quae ad justificationem et ejusdem conservationem concurrunt; et hoc sensu nulla difficultas ex memorato canone eruitur. Si vero canon de sola gratia habituali accipiatur, etiam hoc sensu juvat ad non committenda peccata, quia gratias actuales necessarias exigit.

319. Obj. 7.° Si justi gratiam sufficientem constanter haberent, ex ignorantia peccare non possent, quia gratia actualis intellectum illuminat. Hoc autem videtur incredibile. Ergo.

Resp. Neg. maj. Nam si gratia est tantum remote sufficiens, solum illuminat circa necessitatem vel convenientiam orationis, non autem circa alia. Gratia vero proxime sufficiens etiam non tollit necessario ignorantiam: tum quia illuminatio tempore passionis et perturbationis animi, nisi sit valde intensa, parum advertitur, et facile e memoria deletur; tum quia illuminatio potest esse generalis et non circa objecta particularia.

(1) *S. p.*, q. 62, a. 6, ad 3.
(2) *S. p.*, q. 70, a. 4.
(3) Can. 3. Hoc Concilium celebratum fuit anno 418, et ejus canones a pluribus tribuuntur Conc. Milevitano II, celebrato anno 416.

320. Obj. 8.° Christus venit ut vitam gratiae abundantiorem habeamus (*Joan.* X, 10). Ergo gratia habitualis accepta per Christum debet sufficere ad omnia peccata letalia vitanda. Item gratia habitualis sanat naturam humanam, ut dicit (1) S. Thomas; ergo quum per sanationem tollatur infirmitas, quae specialem gratiam requirit, sola gratia habitualis sufficiet.

Resp. Ad primum quod attinet, transeat ant.; et disting. cons.; gratia habitualis accepta per Christum sola debet sufficere ad omnia peccata letalia vitanda, neg.; simul cum gratiis actualibus, conc. Deinde dixi *trans. ant.;* quia in textu graeco non habetur abundantius, sed abunde (2); et sic P. Maldonatus textum interpretatur (3). Et ipse P. Maldonatus asserit eos, qui acceperunt abundantius ut sonat, sumpserunt comparationem vel inter nos et PP. Veteris Testamenti, vel inter vitam praesentem et futuram, vel inter bonorum et malorum resurrectionem; non autem inter statum praesentem et statum innocentiae. Card. Toletus interpretatur (4) *vitam habeant* de gratia in vita praesenti, *et abundantius* habeant, de gratia in statu glorioso (5,.

Ad alterum, dist. ant.; gratia habitualis naturam humanam sanat complete, neg.; incomplete, conc. Nam gratia habitualis ordinat quidem hominem ad ultimum finem, sed concupiscentiam et rebellionem carnis non aufert.

THESIS II. Perseverantia in statu gratiæ usque ad finem vitæ est donum Dei, immo magnum Dei donum

Nota. Donum in thesi sumitur pro gratia, et maximum donum pro maxima gratia. Quod perseverantia sit donum Dei, est de fide contra semipelagianos, et quod sit magnum Dei donum est certa.

321. Prob. 1.° *S. Scriptura.* In *Ps.* XXXVI, 39, dicitur: "Salus autem justorum a Domino." Jam vero salus per gratiam obtinetur, et non obtinetur actu, nisi perseverando usque in finem. Item *Luc.* XXI, 36: "Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis." Perseverantia igitur orationibus est impetranda, ac proinde est donum Dei. Rursus ad *Phil.* I, 6: "Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu." Bonum opus hic sumitur pro opere salu-

(1) *1. 2.*, q. 109, a. 8.
(2) Vocabulum graecum est περισσο'ν.
(3) *Comment. in Joan.*, X, 10.
(4) *In Sacrosanctum Joan. Evang. comment.*, c. 10, v. 10.
(5) Vide S. Thomam, *1. p.*, q. 95, a. 4; Suarez, *De opere sex dierum*, l. 5, c. 11.

tari, seu conducens ad finem Evangelii; ideoque perfectio ipsius usque ad finem vitae erit quoque salutaris seu supernaturalis.

322. **2.°** *Ex Conciliis.* Conc. Arausicanum II dicit (1): "Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare." Et conc. Tridentinum (2): "Similiter de perseverantiae munere (can. 16), de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22; XXIV, 13), quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, *qui potens est eum, qui stat, statuere* (*Rom.* XIV, 4), ut perseveranter stet..." Et alibi (3): "Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse: A. S."

323. **3.°** *Ex PP.* S. Cyprianus dicit (4): "Haec sanctificatio ut in nobis permaneat oramus, et quia Dominus et judex noster sanato a se et vivificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus ut sanctificatio et vivificatio quae de Dei gratia sumitur ipsius protectione servetur." Et S. Hieronymus (5). "Sciamusque nos nihil esse, nisi quod donavit (Deus), in nobis ipse servaverit, dicente Apostolo: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX, 16). Velle et currere meum est: sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere* (*Philipp.* II, 13)... Semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto, ut accipiam: et cum accepero, rursus peto." Item S. Augustinus (6): "Videte jam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitae: cum vitae huic, quando voluerit, ipse det finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem." Denique S. Prosper ita loquitur (7): "Cum autem dubium non sit donum Dei esse perseverantiam in bono usque ad finem, quam istos, ex eo ipso quod non perseveraverunt,

(1) Can. 10 (Denz.-Bannwart, n. 183).
(2) *Sess. 6*, cap. 13 (Denz.-Bannwart, n. 806).
(3) Eadem *sess. 6.ª*, can. 22 (Denz.-Bannwart, n. 832).
(4) *De dominica oratione*, n. 12 (Hartel, pag. 275).
(5) *Epist. ad Ctesiphontem*, n. 6 (M. L. 22, 1154).
(6) *De dono persever.* c. 17, n. 41 (M. L. 45, 1018).
(7) *Responsiones ad capitula gallorum*, c. 7 (M. L. 51, 162).

non habuisse manifestum est; non est calumniandum Deo, quare istis non dederit quod aliis dedit; sed confidendum est et misericorditer eum dedisse quod dedit, et juste non dedisse quod non dedit."

324. Perseverantia usque in finem est magnum Dei donum. Ita affirmat Tridentinum dicens (1): "Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit: A. S." Et S. Augustinus sic loquitur (2): "Ad haec nos negare quidem non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus..."

Perseverantia quidem finalis est donum, quia non exigitur a natura etiam elevata per gratiam habitualem, neque de condigno mereri potest; et est donum gratiae, quia includit gratiam habitualem. Deinde est magnum donum, quia conjungitur cum morte in statu gratiae, et habet infallibilem connexionem cum gloria, seu cum beatitudine supernaturali et aeterna (3).

325. Obj. 1.° In parvulis baptizatis, qui ante usum rationis moriuntur, et in adultis, quibus paulo post justificationem accidit mors, sicut etiam in amentibus, perseverantia non videtur donum Dei speciale; nam justificatio est communis perseverantibus et non perseverantibus, et mors est naturalis. Ergo perseverantia non est semper donum Dei.

Resp. Neg. ant. et ad hujus probationem dist.; justificatio et mors saparatim consideratae non sunt donum speciale Dei, conc.; si accipiantur conjunctim, neg. Conservatio justificationis usque ad momentum mortis est donum Dei; quia gratia sanctificans non est infallibilis connexio cum gloria, nisi conjugatur cum morte; et mors per se non conducit ad gloriam, quum sit res mere naturalis; et solum conducit ratione gratiae sanctificantis. Conservatio igitur gratiae sanctificantis usque ad momentum mortis semper est donum Dei speciale; quia Deus praevidit et voluit illam conjunctionem propter salutem electorum, et noluit illam impedire, quum facile posset. Conjunctio proinde mortis cum gratia sanctificante est res praeparata a divina Providentia in bonum salvandorum.

326. Obj. 2.° Perseverantia habetur per cooperationem humanae voluntatis donis gratiae. Ergo perseverantia debetur libero arbitrio.

Resp. Dist. ant.; Perseverantia habetur per cooperationem humanae voluntatis mere naturalem, neg.; per cooperationem supernaturalem, subdist.; proxime, conc.; remote, neg. Quum perseverantia a bonis ope-

(1) *Sess. 6*, can. 16 (Denz.-Bannwart, n. 826).
(2) *De corrept. et gratia*, c. 6, n. 10 (M. L. 44, 921).
(3) Vide de hac re plura apud P. Beraza, *De gratia Christi, De perseverantia*, n. 240.

ribus post justificationem factis pendeat, non daretur, nisi liberum arbitrium bonis operibus cooperaretur. Tamen remote ipsa cooperatio cum gratia pendet ex eo, quod Deus scienter et voluntarie dederit gratiam praevisam efficacem, quum illi facile esset dare aliam gratiam, cui homo non esset cooperatus, licet posset. Cur vero Deus uni det gratiam praevisam efficacem, alteri non, sunt judicia Dei inscrutabilia. Nos solum scimus Deum a tota aeternitate elegisse praesentem ordinem Providentiae prae omni alio; cur id fecerit, prorsus nescimus. Tamen perseverantia in actu secundo non habetur per sola auxilia praevenientia, sed ut habeatur re ipsa necessarium est justum actu perseverasse. Ita docet S. Augustinus, quum dicit (1): "De illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem; quae si data est, *perseveratum est usque in finem;* si autem *non est perseveratum usque in finem, non est data;* quod jam et superius satis egimus. Non ita dicant homines, perseverantiam cuique datam usque in finem, nisi cum ipse venerit finis, et perseverasse, cui data est, repertus fuerit usque in finem. Dicimus quippe castum quem novimus castum, sive sit, sive non sit in eadem castitate mansurus... perseverantiam vero usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseverat usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere... Cum enim perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, neque alia quae poterat ante finem. Quomodo igitur potest amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod posset amitti?"

Ex verbis S. Augustini allatis manifestum est perseverantiam usque in finem non haberi, nisi quum perseveratum est usque in finem; et ideo perseverantia amitti non potest. Perseverare autem usque in finem pendet a voluntate libera justi cum gratia, quae illi non deest; ut docet Ecclesia, quum affirmat praecepta non esse justo impossibilia (2). Discrimen igitur ex parte Dei inter justum qui perseverat, et alterum qui non perseverat, consistit in hoc, quod Deus justo perseveranti largitus est gratias praevisas efficaces et illum in eis occasionibus posuit, in quibus praevidit eum non esse peccaturum; et alteri donavit gratiam vel gratias non praevisas efficaces, et posuit illum in his occasionibus, in quibus praevidit eum esse peccaturum. Profecto Deus gratias praevisas ineffícaces tribuit, minime ut essent inefficaces; sed ut homo per suam cooperationem redderet efficaces, prout poterat; et similiter non collocat Deus hominem in occasionibus, in quius praevidit illum esse peccaturum, ut peccet; sed e contra ut peccatum vitet, et ad hoc faciendum, non deest illi gratia. Ex parte vero justorum discrimen inter perseverantes et non perseverantes est, quia priores divinis auxiliis cooperantur et peccato letali constanter resistunt; posteriores vero alicui vel aliquibus auxiliis non cooperantur, et non resistunt constanter peccato letali (3). Haec dicta sunt de illis, qui cum exercitio virtutis perseverant; nam de aliis jam n. 325 dictum est.

(1) *De dono perseverant.* c. 6, n. 10 (M. L. 45, 999).
(2) Conc. Arausicanum II, can. 25; Conc. Tridentinum, *Sess. 6.ª*, cap. 11. et canones 18 et 22; et condemnatio propositionis 1 ae Jansenii.
(3) Vide Lessium, *De praedestinatione*, sect. 4, Appendix.

327. Obj. 3.° Justi habent jus ad gloriam. Atqui jus ad gloriam exigit perseverantiam finalem. Ergo justis perseverantia finalis debetur. Accedit quod justi sunt amici Dei, et amicitia non sinit amicos in perpetuam ruinam cadere.

Resp. Dist. maj.: justi habent jus absolutum ad gloriam, neg.; conditionatum, seu cum conditione si perseverent, conc. Et deinde neg. min. et cons. Nam jus ad gloriam solum exigit habere media vere sufficientia ad gloriam consequendam; non autem jam non posse ipsam gloriam amittere. Hoc postremum naturae humanae minus congruit; quia homo dum in vita praesenti versatur secundum suam conditionem, potest bene agere et obtinere gloriam, et letaliter peccare, et amittere sanctitatem et jus ad gloriam.

Ad illud de amicitia dicendum est, quum de periculo vel ruina, quam ipse amicus, si velit, potest vitare, amicitiam non postulare nisi ut amico media vere sufficientia ad periculum vel ruinam vitandam communicentur, et hoc Deus certe facit generose.

328. Scholion 1. *Doctrina S. Augustini de petitione praesertim perseverantiae.* Ita loquitur (1) S. Doctor: "Cur autem perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare: sed ipso non dante esse in hominis potestate; sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit?... An ab illo perseverantia ista forte non poscitur? Jam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum orationibus onerandus est. An vero quisque eorum est, qui non sibi poscat a Deo ut perseveret in eo; cum ipsa oratione quae Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligitur?" Et inferius (2): "Propter quod et posci a se voluit *ne inferamus in tentationem*: quia etsi non inferimur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis et non orantibus dari: sed oratione nostra nos voluit admoneri, a quo accipiamus haec beneficia. A quo enim nisi ab illo accipimus, a quo jussum est ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia: sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque ad finem."

Et in eodem libro etiam habet (3): "Atque utinam tardi corde et infirmi qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quaestione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc saeculum... Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjungem habuit infidelem, et non ei petivit a Domino mentem obedientem in Chri-

(1) *De dono perseverantiae*, c. 2, n. 3 (M. L. 45, 996).
(2) Cap. 7, n. 15, col. 1001.
(3) Cap. 23, n. 63, col. 1031.

fit, non quo fit ut vivamus... Primo itaque homini, qui, in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis non tale adjutorium perseverantiae datur; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint."

Ex verbis modo allatis S. Augustini, et ex aliis, quae habentur, eodem loco, a n. 29 ad 34, inferri videtur *adjutorium sine quo non* constitui per omnes gratias et dona, quibus Adamus in statu justitiae potuisset perseverare, si voluisset. Quare ex parte gratiae, secundum dicta, erat Adamo necessaria gratia sanctificans, virtutes per se infusae, et gratia actualis intellectus; et praeterea ad eumdem scopum adjuvabant, indirecte quidem, cetera dona, quibus Deus Adamum locupletavit. Similiter infertur ex verbis allatis S. Doctoris, et ex his, quae a n. 29 ad 34 habentur, *adjutorium quo* consistere in omnibus illis donis, quibus homo in natura lapsa infallibiliter ad perseverantiam finalem, seu mortem in statu gratiae sanctitficantis pervenit. Quocirca *adjutorium quo* complectitur gratiam sanctificantem, virtutes per se infusas et gratias actuales intellectus et voluntatis, quibus homo cooperatur, et omnem externam Dei protectionem, quibus homo ad mortem in statu gratiae infallibiliter pervenit. Non autem *adjutorium quo* requirit praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita, neque absolutam seu infrustrabilem praedefinitionem actuum salutarium; sed sufficit, ut doctrina S. Augustini locum teneat, ut Deus ex sua libera voluntate talem rerum ordinem selegerit, in quo multi infallibiliter cum gratia et sua cooperatione perseverantiam finalem consequantur. Profecto Deus posito decreto redemptionis generis humani aliquem rerum ordinem seligere debebat, et inter innumeros praesentem selegit; in quo praedestinatio ad gloriam est post praevisa merita, et cooperatio divinae gratiae est omnino libera et nullo modo ligata praedefinitionibus infrustrabilibus, quamvis Deus praeviderit, quinam effectus infallibiliter obtinendi essent.

340. Atque haec ex ipso S. Augustino confirmantur, qui ita locutus est (1): "Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adjutorium quale primo hominis dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam, operatur et velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi et possint et velint, perseverandi eis et possibilitas et voluntas divinae gratiae largitate donetur. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; et ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitae hujus (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur

(1) *De corrept. et gratia*, c. 12, n. 38, col. 939.

ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate non vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiter et inseparabiliter (1) ageretur; et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida et imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei: cum voluntas primi hominis fortis et sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii; quamvis non defuturo adjutorio Dei sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet."

(1) In aliis editionibus legitur *insuperabiliter*. Vide P. Zacharia, loco antea citato, c. 4, n. 5.

stianam fidem? Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret?... Cum aliud in ipsa oratione dominica non orent fideles, dicentes maxime illud: *Ne nos inferas in tentationem,* nisi ut in sancta obedientia perseverent?... Quandoquidem non oraret Ecclesia ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet et aversas et adversas hominum ad se convertere voluntates: nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur et velle. Nam si haec ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed a se ipsa sibi dare putat: non veras, sed perfunctorias orationes habet; quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat a Domino, si hoc a se ipso se sumere existimet, non ab illo?"

329. Scholion II. *De discrimine inter donum perseverantiae et confirmationem in gratia* (1). Confirmatio in gratia est divinum beneficium, quo justo conceditur immunitas a peccato mortali, vel a mortali et veniali. Beata Virgo Maria ita confirmata est in gratia, ut non posset peccare nec mortaliter nec venialiter, et Apostoli ita sunt confirmati, ut letaliter peccare non possent. Theologi communiter admittunt dari aliquod discrimen inter donum perseverantiae et confirmationem in gratia; verum ad hoc discrimen explicandum plures sunt sententiae. Duae sunt potiores. Altera tenet discrimen in hoc consistere, quod confirmatio in gratia secum fert abundantiorem gratiam habitualem et actualem et specialiorem protectionem Dei; et donum perseverantiae sine confirmatione in gratia importat minorem excellentiam in gratia habituali, actuali et protectione Dei. Et haec sententia tenet sive confirmationem in gratia, sive simplex donum perseverantiae, secum ferre immunitatem a peccato mortali. Atque ideo ex hac sententia deducitur et confirmationem in gratia et simplex donum perseverantiae esse absolute praedefinita a Deo in ordine intentionis ante praevisionem absolutam precum et mortis in statu gratiae, quod certe cum praedestinatione ad gloriam post praevisa merita vix componi potest.

Altera sententia docet confirmationem in gratia secum ferre absolutam immunitatem a peccato mortali, et ablationem libertatis ad graviter peccandum, et ejus conservationem ad recte agendum; simplex vero donum perseverantiae non tollere libertatem peccandi sive graviter, sive leviter, licet de facto peccatum mortale non committatur, et perseveretur in statu gratiae usque ad mortem. Praeterea secundum defensores praedestinationis ad gloriam post praevisa merita donum perseverantiae non est absolute decretum a Deo, nisi consequenter ad mortem in statu gratiae. Haec sententiam videtur probabilior; tum quia est conformior notioni confirmationis in gratia, quum tollat potestatem graviter peccandi: tum quia cum praedestinatione ad gloriam post praevisa merita optime conciliatur; nam justi communiter non habent nisi simplex donum perse-

(1) S. Thomas, *De veritate,* q. 24, a. 9; Suarez, *De gratia,* l. 10, c. 8; Sylvius, *In 1. 2.,* q. 109, a. 10, quaer. 4.°; Beraza, *De gratia Christi,* n. 250; Hermann (Joannes), *De divina gratia,* n. 262 et sq.

verantiae, quod non decernitur absolute, nisi post absolutam praevisionem mortis in statu gratiae. Illi vero qui confirmationem in gratia acceperunt vel accipiunt aut accipient, sunt admodum pauci; et idcirco, quamvis confirmati in gratia deberent esse praedestinati ante praevisa merita, maxima pars justorum vel fere omnes salvandi essent praedestinati post praevisa merita.

Praeterea haec postrema sententia melius respondet confirmationi in gratia, quam habent beati; nam hi ratione confirmationis in gratia non possunt peccare mortaliter, nec venialiter, et viatores etiam ratione confirmationis non possunt peccare saltem letaliter; et differentia inter utramque confirmationem est, quia confirmatio beatorum habetur per dona intrinseca, sc., per visionem Dei et amorem; et confirmatio viatorum partim per dona intrinseca, partim per extrinseca, seu per specialem protectionem Dei. Inter defensores hujus postremae sententiae videtur numerandus P. Valentia, qui docet (1) per gratiam efficacem alios sic moveri ad conversionem, ut *absolute non possint non sequi, ut accidit confirmatis in gratia;* aliis vero ita moveri, ut eorum cooperatio non sit certa nisi per praescientiam Dei consequentem,

Neque S. Augustinus est contrarius huic postremae sententiae; tum quia, ut elucet ex testimoniis ipsius allatis n. 328, valde commendat preces pro consecutione doni perseverantiae, et si hoc donum jam esset absolute decretum ante praevisionem precum et mortis in statu gratiae, qui non haberent illud, non possent precibus tale donum obtinere; tum quia S. Doctor videtur affirmare donum perseverantiae non haberi nisi consequenter ad mortem (2).

Articulus VI

De discrimine inter gratiam status innocentiæ et naturæ lapsæ

330. Praemitt. 1.° S. Augustinus, quem theologi communiter sequuntur, agit de discrimine inter gratiam status innocentiae et naturae lapsae in opere *De correptione et gratia* (3). Atque secundum doctrinam S. Augustini jam dixi (4) Adamum in ipsa ejus creatione accepisse gratiam sanctificantem et virtutes per se infusas; quare ad gratiam habitualem quod attinet non est discrimen, saltem ad substantiam rei quod spectat, inter naturam innocentem et lapsam. Tamen in statu naturae lapsae gratia sanctificans habet

(1) *In 1.* 2., d. 8, q. 3, punct. 4, paragraphus incipiens *Tertio. Alia complectitur...*
(2) Vide *De dono perseverantiae,* cap. 1, n. 1, et cap. 6, n. 10 (M. L. 45, 995, 999).
(3) Cap. XI et sq. (M. L. 44, 933 et sq.).
(4) *In tractatu de Deo creatore,* d. 3, c. 2, aa. 1 et 2.

munus sanandi naturam (1), quod quidem in statu naturae integrae non poterat habere.

S. Augustinus haec discrimina praesertim ponit inter gratiam naturae innocentis et naturae lapsae. 1.° Gratia Adami non fuit ex morte Christi; gratia naturae lapsae est per mortem Christi. "Ille (Adamus) in illis bonis Christi morte non eguit: istos a reatu et hereditario et proprio, illius Agni sanguis absolvit (2)."

2.° In statu innocentiae non erat vincenda concupiscentia, sicut in statu naturae lapsae. "Quoniam in eis (descendentibus ex Adamo) caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Galat.* V, 17), atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur (3)."

3.° Primus homo per gratiam et liberum arbitrium potuit perseverare si vellet; descendentibus ab illo datur ut velint perseverare et potentiorem gratiam accipiunt. "Habuit (primus homo talem gratiam), in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset... Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit et desertus est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cum vellet, et in quo permaneret si vellet: non quo fieret ut vellet. Haec prima est gratia quae data est primo Adam: sed haec potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret. Haec autem tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit (4):"

(1) Vide S. Thomam *1. 2.*, q. 109, a. 8.
(2) *De correptione et gratia*, c. 11, n. 29 (M. L. 44, 933).
(3) N. 29 ad finem.
(4) N. 31, col. 335.

4.° Adamo datum fuit adjutorium sine quo non posset perseverare, et cum quo posset perseverare si vellet; descendentibus vero non modo datur posse perseverare, sed etiam velle. "Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum: dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio... Si autem hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum: et tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum Nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus. Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus (1)."

5.° In Adamo posse perseverare erat penes liberum arbitrium, quatenus per liberum arbitrium cum illuminatione intellectus, habitus per se infusi determinabantur ad agendum; nunc autem est donum gratiae non receptum in ipsa creatione et posse et velle perseverare. "Posset enim Adam perseverare si vellet: quod ut nollet, de libero descendit arbitrio; quod tunc ita liberum erat, ut et bene velle posset et male. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quae futura erat et homini, sicut facta est angelis sanctis, merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiae, quae merces meriti futura erat (2)."

6.° Adamo datum est adjutorium sine quo perseverare non posset; nunc datur adjutorium quo homines fiunt perseverantes. "Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedes-

(1) N. 32.
(2) N. 32.

tinatis non tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint (1)."

331 Praemitt. 2.° Plures sunt sententiae, quae discrimen gratiae inter naturam in statu innocentiae et naturam lapsam explicare contendunt. Jam dictum est non dari discrimen, ad substantiam quod attinet, inter gratiam habitualem status innocentiae et status naturae lapsae. 1.° Respectu gratiae actualis, Lutherus, Calvinus et Jansenius docent gratiam in statu innocentiae fuisse talem, cui liberum arbitrium poterat consentire et dissentire; sed in statu naturae lapsae ablatam esse libertatem, et voluntatem necessario sequi motionem gratiae. Haec tamen necessitas non uno modo declaratur a memoratis haereticis.

2.° PP. Dominicani, ut testatur P. Billuart (2), communius tenent auxilium efficax in statu innocentiae esse movens et applicans, et in statu naturae lapsae esse praeterea sanans et roborans (3).

3.° PP. Augustinienses asserunt in statu innocentiae non fuisse necessariam praedeterminationem moralem et gratiam victricem, et hanc esse necessariam ad perseverandum in statu naturae lapsae (4).

4.° Card. Beatus Bellarminus cum aliis docet (5) in statu innocentiae non fuisse necessariam gratiam excitantem.

5.° Ripalda (6), Beraza (7) et plures alii tenent gratiam actualem status innocentiae non differre specifice a gratia actuali naturae lapsae.

6.° Plures sunt auctores asserentes in statu innocentiae fuisse necessariam gratiam excitantem intellectus, sed non requiri gratiam excitantem voluntatis. Ita inter alios hoc asserunt Fras-

(1) N. 34, col. 937.
(2) *Diss. 2 praeamb.*, a. 4.
(3) Vide PP. Wirceburgenses, *De gratia*, d. 5, c. 1, a. 4, n. 272; et Clericum a Belliberone, *De gratia* (apud. Theolog. Migne), *de gratiae necessitate*, l. 1, c. 1, a. 3.
(4) Berti (Jo. Laurent.), *De discipl. theolog.* l. 12, c. 8, et l. 14, c. 8; Val (Hon. del), *De gratia Chr.*, c. 1, a. 4, system. catholicor.
(5) *De gratia primi hominis*, c. 4.
(6) *De ente supernaturali*, l. 5, d. 111, ss. 6 et 7; *Contr. baianos*, dd. 7 et 24.
(7) *De gratia Christi*, nn. 152 et sq., et nn. 150 et sq.

sen (1), Tournely (2), Wirceburgenses (3), Mendive (4), aliique. P. Petavius hanc sententiam probabilem existimat (5): Eidem sententiae favet P. Suarez, quum dicit (6): "Ex parte autem voluntatis, quia necessitas magis oritur ex infirmitate naturae lapsae, quae infirmitas per justitiam sanatur aliquo modo, vel reparatur; ideo si magna justitiae perfectio, et habilitas, ac promptitudo ad pie operandum ex frequenti usu sancte vivendi comparata sit, fieri poterit ut excitans gratia intellectus sufficiat ad eliciendum statim ex habitu gratiae piam ac deliberatam voluntatem, nullo interveniente motu indeliberato ejusdem voluntatis." Unde, quum in statu innocentiae non detur infirmitas, et habeatur facilitas et promptitudo ad pie operandum, non erit secundum P. Suarez in illo statu gratia excitans voluntatis.

TESIS. Probabilius videtur in statu innocentiæ non requiri gratiam excitantem voluntatis, sed sufficere excitationem intellectus.

332. Prob. 1.ª p. 1.° Dicit (7) S. Augustinus: "Tale quippe erat adjutorium (Adami), quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet: *non quo fieret ut vellet.*" Atqui si gratia excitans in Adamo esset etiam voluntatis, talis gratia per excitationem voluntatis faceret ut haec vellet, ut est manifestum, saltem de actu indeliberato. Ergo. E contra gratia excitans in homine lapso est etiam voluntatis. Dicit enim ipse S. Doctor immediate post verba allata: "Haec est prima gratia, quae data est primo Adam: sed haec potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat." Et in statu naturae lapsae esse necessariam gratiam excitantem et intellectus et voluntatis saepe docet (8) S. Doctor.

333. 2.° Secundum S. Augustinum in statu innocentiae re-

(1) *De gratia*, d. 2, s. 2, §. III.
(2) *De gratia Christi*, q. 2, a. 1, paulo ante titulum solvuntur objectiones.
(3) *De gratia*. d. 5, c. 1, a. 5, n. 278.
(4) *De divina gratia*, diss. 1, c. 2, a. 8, th. 2 et 3.
(5) *Elenchus Theriacae*, c. 23, n. 3 ad finem.
(6) *De gratia*, l. 3, c. 8, n. 30.
(7) *De corrept. et gratia*, c. 11, n. 31 (M. L. 44, 935).
(8) Vide dicta supra, n. 16 et n. 18 b).

lictum est libero arbitrio permanere in gratia; sed in natura lapsa opus est gratia. Sic loquitur (1) S. Doctor: "Dederat adjutorium (Adamo), sine quo in ea (bona voluntate) non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio... Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiae, quae merces meriti futura erat." Jam vero si Adamus accepisset excitationem voluntatis ad perseverandum, huic excitationi, praesertim si infallibiliter cum perseverantia connecteretur, tribueretur perseverantia, non libero arbitrio secum ferente gratiam habitualem ad operandum. Certe in natura lapsa non videtur dici perseverantia opus gratiae, nisi quatenus excitatio supernaturalis voluntatis ad perseverandum infallibiliter ducat.

334. 3° Gratia excitans voluntatis est necessaria ad vincendam concupiscentiam et ceteras difficultates naturae corruptae. Atqui in statu innocentiae neque aderat concupiscentia, neque aliae difficultates naturae corruptae. Ergo in eo statu non erat necessaria gratia excitans voluntatis. Major constant ex dictis supra (2), ubi probatum est legem naturalem non posse diu servari in statu naturae lapsae propter concupiscentiam et alias difficultates, et posse servari in statu naturae integrae, in qua non est concupiscentia neque aliae difficultates naturae corruptae (3).

Dices. Argumentum, si aliquid probaret, ostenderet in natura integra nullam gratiam actualem esse necessariam; nulla enim gratia requiritur in natura integra ad vincendas tentationes et ad legem naturalem servandum, etiam per longum tempus.

Resp. Non sequi id quod contenditur, licet verum sit in natura integra nullam gratiam requiri ad vincendas tentationes et legem naturalem servandam per longum tempus. Ratio est quia ut voluntas operetur, debet illuminari ab intellectu per actum supernaturalem, ut eliciat actum supernaturalem, et per actum naturalem, ut actum naturalem ponat. Excitatio vero voluntatis non ostenditur necessaria nisi propter infirmitatem naturae lapsae.

Dices iterum. Excitatio voluntatis est etiam necessaria in natura innocente, ut haec eliciat actum supernaturalem potius quam naturalem.

Resp. Non dari talem necessitatem; nam posita illustratione supernaturali in intellectu, per hanc, si voluntas velit agere, sufficienter determinatur ad ponendum actum supernaturalem; sicut posita illumina-

(1) Loco antea citato, n. 32.
(2) Cap. 3, a. 5.
(3) Loco proxime citato, n. 219.

tione mere naturali, non potest voluntas producere nisi actum naturalem. Verum hic supponitur homo, qui gratia sanctificante et virtutibus per se infusis sit ornatus; aliter enim non posset producere actum supernaturalem, quamvis daretur illustratio supernaturalis.

335. Prob. 2.ª p. seu in statu innocentiae requiri gratiam actualem intellectus ad agendum supernaturaliter. Etenim voluntas non potest agere nisi ab intellectu illuminetur, et ad agendum supernaturaliter est necessaria illuminatio seu cognitio supernaturalis. Ergo etiam in statu innocentiae requiritur illustratio supernaturalis intellectus, ut voluntas supernaturaliter agat; voluntas enim non minus dependet ab intellectu ad operandum in statu innocentiae quam in statu naturae corruptae. Ad actum vero supernaturalem voluntatis exigitur cognitio supernaturalis intellectus; quia cognitio mere naturalis nullam proportionem neque ordinem ad supernaturalia habet, et ad actum mere naturalem inducit voluntatem. Non vero requiritur actus indeliberatus seu gratia excitans voluntatis ante actum deliberatum; quia homo in statu innocentiae gratia sanctificante et virtutibus per se infusis ornatur, et per has posita illustratione supernaturali statim actum supernaturalem elicere potest, quum ad hoc nullum impedimentum nec difficultatem habeat. Et in his adjunctis voluntas actum supernaturalem eliciet; quia sicut cognitio mere naturalis ad actum mere naturalem ducit, similiter cognitio supernaturalis postulat et ordinatur ad actum supernaturalem. Quare voluntas jam expedita ad operandum, ad actum naturalem vel supernaturalem ratione cognitionis inducitur.

336. Obj. 1.° S. Augustinus non semel indicat in statu innocentiae etiam adfuisse gratiam excitantem voluntatis. Nam dicit: a) "Istam (bonam voluntatem) quis fecerat, nisi ille qui eos (angelos) cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul eis et condens naturam, et largiens gratiam?... Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis (*Rom.* V, 5) " (1). b) "Fecit itaque Deus, sicut scriptum est, hominem rectum (*Eccle.* VII, 30): ac per hoc voluntatis bonae. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem (2) ." Item (3): "Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat rectum." c) "Quoniam si volun-

(1) *De civit. Dei*, l. 12, c. 9, n. 2 (M. L. 41, 357).
(2) Eodem loco, l. 14, c. 11, n. 1, col. 418.
(3) *De corrept. et gratia*, c. 11, n. 32 (M. L. 44, 935).

tas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, et accendabatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc tenebresceret et frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris praeponeret voluntatem..." (1). Jam vero in allatis testimoniis, quae ad statum innocentiae referuntur, fit mentio de bona voluntate.

Resp. Explico singula. a) In testimonio allato sub a) solum significatur et sanctos angelos et Adamum in ipsa eorum creatione fuisse sanctificatos propria dispositione, i. e., per operationes supernaturales intellectus et voluntatis, quae fuerunt priores natura infussione gratiae sanctificantis. Verum hoc non est contra thesim, in qua solum affirmatur Adamum, quum jam gratiam sanctificantem et virtutes per se infusas haberet, gratia excitante voluntatis non indigere.

b). Similiter quae afferuntur sub b) non significant, nisi primum hominem in ipsa creatione accepisse caritatem actualem et habitualem; non est autem ibi sermo de actibus elicitis consequenter ad infusionem gratiae sanctificantis.

c) Testimonium allatum sub c) significat quidem Deum illustrasse intellectum Adami ad ipsum cognoscendum, et accendisse voluntatem ad amandum immutabile bonum; qua ratione vero hoc faceret, ibi non dicitur; sed ex his, quae in aliis scriptis S. Doctoris leguntur, infertur accensionem voluntatis non factam esse, nisi quatenus posita illustratione intellectus, voluntas libere ad eliciendum amorem immutabilis boni inducta est.

337. Obj. 2.° Secundum S. Augustinum gratia naturae corruptae est *potentior* et *major* (2) quam gratia naturae innocentis. Ergo inter gratiam unius et alterius naturae non est discrimen, nisi secundum majus et minus. Item S. Fulgentius dicit (3): "Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est enim in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet." Ergo secundum S. Fulgentium eadem est gratia status innocentiae, et status naturae lapsae.

Resp. Gratia quidem status innocentiae secundum S. Augustinum est minus potens et minor quam gratia naturae lapsae; sed inde non sequitur unam et alteram gratiam non differre inter se nisi secundum majus et minus, secundum majorem vel minorem intensionem. Sic S. Augustinus asserit gratiam intellectus et gratiam voluntatis differre secundum minus et majus; et tamen differunt non secundum intensionem, sed natura sua. Haec sunt verba S. Augustini (4); "Quia scientia inflat, caritas aedificat (*I Cor.* VIII, 1). Et tunc scientia non inflat, quando caritas aedificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus..." Deinde S. Fulgentius, quum affirmat gratiam angeli et hominis

(1) *De civitate Dei*, l. 14, c. 13, n. 1 (M. L. 41, 420).
(2) *De correptione et gratia*, c. 11, n. 31 (M. L. 44, 935).
(3) *Ad Trasimundum*, l. 2, c. 3 (M. L. 65, 246).
(4) *De gratia Christi*, c. 26, n. 27 M. L.. 44, 374).

reparati esse unam, certe non excludit aliam gratiam esse habitualem, aliam actualem; aliam intellectus, aliam voluntatis; aliam recipi in ipsa anima, aliam in intellectu, aliam in voluntate.

338. Obj. 3.° Etiam in statu naturae lapsae homo justus potest sine gratia excitante voluntatis operari. Ergo status naturae innocentis non distinguitur a statu naturae lapsae, quatenus natura innocens sine excitatione veluntatis possit operari, et id non possit natura lapsa.

Resp. Dist. ant.: in statu naturae lapsae homo justus potest sine gratia excitante voluntatis operari per se et communiter, neg.; in aliquo casu et veluti per accidens, transeat. Deinde dist. etiam cons.: status naturae innocentis a statu naturae lapsae non distinguuntur, quatenus natura innocens potest per se et communiter operari sine excitatione voluntatis, et natura lapsa id non potest, neg.; quatenus natura lapsa neque aliquando et veluti per accidens non possit operari sine gratia excitante voluntatis, transeat. Dixi *transeat,* quia modo certo non probatur vel semel naturam lapsam sine gratia excitante voluntatis posse supernaturaliter operari. P. Suarez de hac re dicit (1) immediate post verba antea adducta: "Verumtamen quamvis hoc (operari supernaturaliter sine gratia excitante voluntatis), magis accidere possit justis quam peccatoribus, et perfectis quam imperfectis, nihilominus in omnibus rarum esse opinor..."

Corollarium. Homo in statu innocentiae poterat operari supernaturaliter cum sola gratia actuali et excitante ex parte intellectus, posita tamen gratia sanctificante et virtutibus per se infusis; immo et cum his gratiis poterat perseverare; non enim probatur aliquid ulterius requiri; quum in statu innocentiae neque concupiscentia, neque aliae dificultates essent vincendae.

339. Scholion. *De adjutorio sine quo non, et de adjutorio quo* (2). Jansenius hoc duplex adjutorium vocat *clavem* et *fundamentum* ad scripta S. Augustini contra pelagianos intelligenda. Verum immerito: non enim credibile est S. Augustinum tantum semel et hoc ad finem vitae mentionem fecisse de ea re, quae in suis scriptis esset *clavis* et *fundamentum.* Praeterea constat S. Augustinum contra pelagianos potissimum intendisse demonstrare gratiam esse prorsus gratuitam et indebitam naturae humanae. De his duobus adjutoriis ita loquitur S. Augustinus (3): "Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen quum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non

(1) *De gratia,* l. 3, c. 8, n. 30.
(2) Zacharias (Franciscus Antonius), *Opusculum de adjutorii sine quo non, et adjutorii quo, vera germanaque notione;* Wirceburgen., *De gratia,* d. 5, a. 5; Pesch (Ch.), *De gratia,* n. 103 et sq., et n. 219 et sq.; Beraza, *De gratia Christi,* n. 159 et sq.; Schiffini (Sanctus), *De gratia divina,* d. 4, s. 9, n. 276 et sq.; Lahousse, *De gratia divina,* n. 257 et sq.
(3) *De correptione et gratia,* c. 12, n. 34 (M. L. 44, 936).

DISPUTATIO II

De gratia sufficiente, efficaci et distributione gratiæ

CAPUT I

De gratia sufficiente

Articulus I

De existentia et natura gratiæ sufficientis (1)

341. Praemitt. 1.° *Gratia sufficiens* dicitur respectu virium, quas ad operandum supernaturaliter tribuit; unde illa est gratia vere sufficiens, quae omnes vires necessarias al supernaturaliter operandum tribuit. Dividitur in *sufficientem praecisive, positive* et *negative*. Gratia sufficiens sive *praecisive,* sive *positipe,* sive *negative,* in hoc conveniunt, quod continent omnes vires necessarias in actu primo ad supernaturaliter operandum in actu secundo; sed discriminantur, quia sufficiens praecisive neque includit, neque excludit actum secundum, sufficiens positive includit actum secundum; et sufficiens negative seu pure sufficiens actum secundum excludit. In praesenti agitur de gratia negative vel pure sufficiente; atque ut sit vere talis necesse est ipsam tribuere non modo omnes vires ad physice et moraliter operandum,

(1) P. Suarez, *De gratia,* l. 4; Valentia, *In 1. 2.,* d. 8, q. 3, punct. 4, §. 1; Billuart, *De gratia,* diss. 5, a. 3 et sq.; Mendive, *De divina gratia,* diss. 2, c. 4; Schiffini, *De gratia divina,* s. 1 et sq.; Beraza, *De gratia Christi,* p. 2, s. 3, c. 4; Pesch (Chr.), *De gratia,* p. 1, s. 4, a. 1; Wagner (Ant.), *Doctrina de gratia sufficiente.*

verum etiam excludere ea obstacula et difficultates, quae rem moraliter impossibliem reddant.

Haec gratia potest esse *proxime* et *remote* sufficiens: est *proxime* sufficiens, si immediate tribuat omnes vires necessarias ad expedite operandum; et *remote*, si vires omnes necessarias ad expedite aliquid faciendum communicet, quod si fiat, Deus dabit vires ad faciendum reliquum, seu quod non immediate fieri poterat. De principiis necessariis ad supernaturaliter agendum, dictum est supra (1).

342. Praemitt. 2.° Lutherus et Calvinus gratiam pure sufficientem negarunt solumque gratiam efficacem invincibilem et insuperabilem, cui liberum arbitrium resistere non possit, admiserunt. His re ipsa accedit Jansenius, etsi ab illis in modo rem explicandi differat. Dicebat enim Jansenius hominem illud semper amplecti, quod magis illum delectat. Unde si gratia magis delectat quam concupiscentia, homo *necessario* gratiae consentiet atque secundum hanc operabitur; si vero concupiscentia delectat magis, istam sequi *necesse* est. Quod si utrumque *aeque* delectat, homo nec unum nec alterum amplectetur. Attamen janseniani, ut catholici viderentur, nomine tenus gratiam quoque sufficientem agnoverunt. Duplicem igitur gratiam et duplicem potentiam distinxerunt; nimirum *gratiam magnam* et *parvam* et *potentiam absolutam* et *relativam*. Gratiam magnam appellabant illam, quae intensior erat concupiscentia opposita et cum qua homo infallibiliter operabatur; qua de causa haec gratia a jansenianis dicta est *victrix;* parvam autem nuncupabant eam, quae erat inferior seu minus intensa quam concupiscentia opposita, atque ideo cum illa opus non exercebatur. Jam potentia *absoluta* est illa quam tribuit *gratia parva,* quae vera esset agendi potentia, nisi cum intensiore concupiscentia conjungeretur; potentia vero *relativa* est, quam tribuit *gratia magna,* ac proinde cum qua necesse est hominem operari.

(1) D. 1, c. 2.

THESIS I. In statu naturæ lapsæ datur gratia vere et pure sufficiens, id est, tribuens potestatem completam et expeditam ad agendum salutariter, licet non detur operatio; atque ideo talis gratia est etiam relative sufficiens.

Thesis est de fide; quia licet in Scriptura et Conciliis sub terminis theseos non contineatur, tamen revera continetur manifeste in illis. Et 2.ª p. theseos, seu *talis gratia est etiam relative sufficiens* est corollarium primae partis.

343. **Prob. 1.ª p. 1.º** *Ex S. Sriptura V. T. Ex Prov.* I, 23 et sq., ubi legitur: "Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea. Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo..." His verbis revera homines corripiuntur, quia divinae gratiae non respondent; ergo datur gratia, cui homines possent respondere, secus non increparentur. Ergo datur gratia vere et pure sufficiens. Item ex *Is.* V, 3 et sq., dicente: "Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae et non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?" Ut dicitur v. 7 *vinea Domini domus Israel est,* et Dominus *expectavit ut faceret judicium, et ecce iniquitas;* ideoque domus Israel habuit gratiam, ut recte et expedite operari posset, et non est sic operata; ac proinde gratiam vere sufficientem et pure talem habuit. Rursus ex eodem *Is.* LXV, 2 et sq., et ex *Rom.* X, 21: "Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus qui ad iracundam provocat me ante faciem meam semper..." Ex quibus similiter arguitur, ac ex aliis duobus textibus factum est.

Idem ex *N. T.* prob. Ex *Matth.* XI, 21 et sq. ita loquente: "Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii quam vobis." Secundum textum modo

allatum Tyrii et Sidonii poenitentiam facere potuissent, et tamen non fecerunt: ergo habuerunt gratiam vere et simul pure sufficientem. Hoc ipsum eruitur ex *Matth.* XXIII, 37 et sq., ubi dicitur: "Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta." Denique id ipsum eruitur ex *Joan.* XV, 22, dicente: "Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo."

344. 2.° *Ex CC.* Conc. Arausicanum II dicit (1): "Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborae voluerint adimplere." Quum igitur non omnes baptizati divina praecepta observent, constat dari gratiam pure suffientem. Et Conc. Valentinum III (2): "Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis vel merito originali vel etiam actuali permanserunt." Item Conc. Lateranense IV (3): "Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari." Denique Conc. Tridentinum (4): "Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis... Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur."

345. 3.° *Ex propositionibus damnatis a SS. Pontificibus,* Alexander VIII hanc propositionem damnavit, scilicet (5): "Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti li-

(1) Can. 25 (Denz.-Bannwart, n. 200, edit. 13.ª).
(2) Celebrato an. 855, can. 2 (Denz.-Bannwart, n. 321).
(3) *De fide catholica* (Denz.-Bannwart, n. 430).
(4) *Sess. 6, cap. 11,* (Denz.-Bannwart, n. 804).
(5) *Sexta inter varias damnatas* (Denz.-Bannwart, n. 1296).

bera nos, Domine." Et Clemens XI inter alias damnavit has propositiones Quesnelli: 9.am: "Gratia Christi est gratia suprema sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam abnegamus (1)." Et 10.am: "Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare (2)." Item 13.am: "Quando Deus vult animam salvam facere et eam tangit interiore gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit (3)." Et quod in his propositionibus damnatur, est divinam gratiam esse talem, cui voluntas humana resistere non possit; ideoque semper esse efficacem, et nunquam dari gratiam mere sufficientem; hoc ipsum a prop. 9.a, ad 25.am damnatur.

346. 4° *Ex PP.* a) *Ex PP. Graecis.* S. Irenaeus dicit (4): "Illud autem, quod ait: "Quoties volui colligere filios tuos, et noluisti (*Matth.* XXIII, 37)?" veterem legem libertatis manifestavit: quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis (etenim angeli rationabiles): uti hi quidem qui oboedissent, juste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis. Qui autem non oboedierunt, juste non invenientur cum bono, et meritam poenam percipient; quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contempserunt. Abjicientes igitur bonum, et quasi respuentes, merito omnes justum judicium incident Dei... (5)." Et S. Joannes Chrysost. (6): "Gratia quippe in omnes effusa est; non judaeum, non graecum, non barbarum... aversatur; sed omnes similiter admittit, et cum pari vocat honore. Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis caecitatem imputent, oportet. Cum enim aditu omnibus patente, et a nemine intercluso, quidem ex voluntaria nequitia extra manent, ii suo tantum

(1) Denz.-Bannwart, n. 1359.
(2) Denz.-Bannwart, n. 1360.
(3) Denz.-Barwart, n. 1363.
(4) *Contr. haer.*, l. 4, c. 37, n. 1 (M. G. 7, 1099).
(5) Vide etiam, eodem loco, c. 39, nn. 2 et 3, col. 1110.
(6) *In Joann., homil.* 8, n. 1 (M. G. 59, 65).

vitio pereunt." Item S. Joannes Damasc. (1): "Hoc itidem nosse oportet, Deum primaria et antecedente voluntate velle omnes salvos esse, et regni sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret condidit; sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suae participes essemus. Peccantes porro punire vult, quia justus est."

b) *Ex PP. Latinis.* S. Ambrosius inquit (2): "Numquid si quis ostia domus suae claudat, solis est culpa quod non illuminet domum ejus? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiae caecitatem, causari poterit quod Sol justitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis caelestis arguere? Pulsat januam tuam Dei Verbum. Si quis... mihi aperuerit, inquit, intrabo (*Apoc.* III, 20)." Et S. Leo M. (3): "Gratiae igitur Dei, oboedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat: ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat: qui ideo dat praeceptum, ut excitet desiderium et praestet auxilium." Et idem S. Pater alibi (4): "Juste enim nobis instat praecepto qui praecurrit auxilio..."

347. c) *Ex S. Augustino.* S. Doctor dicit (5): "Ad illam enim coenam, quam Dominus dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur (*Luc.* XIV, 16-26). Itaque, nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate." Item (6): "Cum voluntatem humanam, gratia adjuvante divina, sine peccato (7) in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime et veracissime respondere, quia homines nolunt... Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat... Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum

(1) *De fide orthodoxa*, l. 2, c. 39 (M. G. 94, 970).
(2) *In Psalm., CXVIII, Sermo* 19, n. 40 (M. L. 15, 1558).
(3) *Sermo XLIII*, c. 1 (M. L. 54, 281).
(4) *Sermo LXVII, XVI de passione*, eodem loco, col. 371.
(5) *De divers. quaestionibus octoginta tribus*, q. 68, n. 5 (M. L. 40, 73).
(6) *De peccator. merit. et remiss.*, l. 2, c. 17, n. 26 (M. L. 44, 167).
(7) Intelligitur mortale.

adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi praedestinati sint propter iniquitatem superbiae; sive contra ipsam suam superbiam judicandi et erudiendi, si filii sint misericordiae."

Rursus idem S. Doctor inquit (1): "Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suae, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat; profecto ei, ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat quod dictum est, *Quid enim habes quod non accepisti?* verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: et per hoc quid habeat, et quid accipiat Dei est: accipere autem et habere utique accipientis et habentis est." Itidem ipse S. Doctor (2): "Nam si post Baptismum vixerit, atque ad aetatem capacem praecepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit." Denique (3): "Haec imperat Deus, quae fieri possunt: sed ipse dedit ut faciant eis, qui facere possunt et faciunt; et eos qui non possunt, imperando admonet a se poscere ut possint" (4).

348. 5.° *Ratione.* a) Deus dat omnibus auxilia gratiae ad salutariter operandum et ad ponendos actus salutares praeceptos; nam aliter, quum haec sine gratia fieri non possint, non esset in hominis potestate ea facere et per eorum impletionem vitam aeter-

(1) *De spirit. et litt.* c. 34, n. 60 (M. L. 44, 240).
(2) *De peccat. merit. et remiss.* l. 1, c. 39, n. 70 (M. L. 44, 150).
(3) *Operis imperfecti contra Julian.*, c. 116 (M. L. 45, 1297).
(4) Vide testimonia supra adducta, d. 1, c. 4, a. 5, nn. 308, 309, 311. Similem doctrinam habet S. Doctor in multis aliis locis, ut *De libero arbitrio*, l. 3, c. 19, n. 53 (M. L. 32, 1296); *Enarratio in Psal.* 56, n. 1 (M. L. 36, 661); *Ad Simplicium*, l. 1, q. 2, n. 7 et sq. (M. L. 40, 115); *De spiritu et litt.* c. 33, n. 58 (M. L. 44, 238); *De perfectione justitiae*, c. 3 (M. L. 44, 295); c. 10, n. 21, col. 302; *De gratia et liber. arbit.*, c. 4, n. 9 (M. L. 44, 887); c. 14, n. 28, col. 897; c. 15, n. 31 (M. L. 44, 900); *De correp. et gratia*, c. 2, n. 4 (M. L. 44, 918) etc.

nam consequi; quod minime dicendum est, quum constet Deum velle omnes homines salvos fieri, atque ideo dare omnibus auxilia necessaria ad salutem consequendam. Atqui non omnes homines, immo neque omnes justi, ponunt actus salutares praeceptos. Ergo plures homines habent gratiam pure sufficientem; quia ex una parte tribuit Deus illis, saltem mediate, veram operandi potestatem, et ex altera cum illa non operantur, prout possent.

b) Deus omnibus, saltem justis, gratiam largitur, quae confert potestatem expeditam vincendi tentationes; nam Deus non patitur aliquem tentari supra id quod potest, ut dicitur *I Cor.* X, 13, et tamen sunt plures tentationes, quae sine gratia vinci nequeunt. Atqui plures tentationibus succumbunt. Ergo plures gratiam habent pure sufficienem.

c) Deus omnibus justis gratiam vere sufficientem ad universam legem naturalem implendam tribuit. Sed haec gratia multoties est pure sufficiens; quia multi justi in peccatum labuntur et justitiam amittunt. Ergo. Prob. maj. Sine gratia vere sufficiente, seu quae expeditam tribuat potestatem recte agendi, impossibile est universam custodire legem naturalem, ut constat ex dictis supra (1). Atqui universam custodire legem naturalem homini justo impossibile non est. Ergo homini justo tribuitur gratia vere sufficiens ad integram legem naturalem servandam. Prob. min. Nam Concil. Tridentinum dicit (2): "Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, A. S." Idem evincitur ex prop. 1.ª Jansenii damnata (3).

349. Prob. 2.ª p. Haec pars est corollarium primae partis; quia si gratia sufficiens non tribueret vires etiam *relative sufficientes,* non esset vere sufficiens; cum illa enim homo recte operari non posset, sed a concupiscentia vinceretur; hoc namque convenit gratiae non relative sufficienti ad concupiscentiam superandam, nimirum a concupiscentia superari, et non posse hominem cum illa nisi elicere actum in quem concupiscentia inducit.

Praeterea si gratia absolute sufficiens sensu jansenistarum est vere sufficiens, propositiones quinque Jansenii damnatae ab Inno-

(1) D. 1, c. 3.
(2) *Sess.* 6.ª, can. 18 (Denz.-Bannwart, n. 828).
(3) Denz.-Bannwart, n. 1092.

centio X essent injuste damnatae, et facerent sensum catholicum (1). Nam prima est damnata, quia in illa asseritur *aliqua Dei praecepta esse impossibilia hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires;* jam vero si gratia absolute sufficiens est vere talis, nulla sunt praecepta imposibilia, quia gratia absolute sufficiens est vere sufficiens ad servanda praecepta, si concupiscentia premens auferatur. Similiter 2.ª, in quia asseritur *interiori gratiae nunquam resisti;* nam illi resisti potest per gratiam absolute sumptam, si lucta cum concupiscentia tollatur. De tertia diceretur *requiri quidem ad merendum et demerendum libertatem a necessitate, et non sufficere libertatem a coactione;* sed eam requiri libertatem indifferentiae seu a necessitate, quam tribuit gratia absolute sumpta, si praescindatur a majore concupiscentia. De quarta diceretur respectu secundae partis ejusdem, *voluntatem humanam gratiae resistere et obtemperare posse,* quatenus sumitur gratia absolute sufficiens sublata lucta cum majore concupiscentia. De quinta denique dici posset, *Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse,* quatenus omnibus dat gratias absolute sufficientes, seu quae dant facultatem expedite operandi supernaturaliter, sublata majore concupiscentia premente.

THESIS II. Gratia vere sufficiens debet constare gratia excitante intellectus et voluntatis, et omnibus principiis physicis necessariis ad eliciendum actum salutarem, et præterea Deus debet esse paratus ad concurrendum.

350. Nota. Non est necesse gratiam sufficientem semper tribuere immediate potestatem expeditam ad faciendum totum id quod faciendum est; nam saepe solum tribuit potestatem ad faciendum immediate aliquid, quo facto perfici potest, quod faciendum restabat. Gratia enim sufficiens multotics dat immediate vires ad orandum supernaturaliter, et posita ea oratione impetrantur vires ad faciendum reliquum, quod erat faciendum.

351. Prob. Gratia vere sufficiens, ut infertur ex argumentis allatis pro prima thesi, debet esse talis, ut communicet omnia ne-

(1) Hae propositiones allatae sunt supra, d. 1, c. 4, a. 1, n. 240.

cessaria ad salutariter operandum et ad salutem consequendam. Atqui ad hunc scopum obtinendum praeter divinum concursum requiruntur gratia excitans intellectus et voluntatis, et omnia principia necessaria ad physice actus salutares eliciendos, ut constat ex supra (1) dictis. Ergo.

Corollarium. Ex argumentis S. Scripturae, Conciliorum, Patrum et rationis theologicae allatis pro prima thesi colligitur non esse vere gratiam sufficientem, quae non tribuat immediate saltem expeditam potestatem ad orandum, et ita quidem ut per orationem impetretur potestas ad id, quod faciendum est, exsecutioni mandandum.

351. Obj. 1.° *Ex S. Scriptura V. T.* In *Psal.* CXIII, 3 (secunda enumeratione) legitur: "Deus autem noster in caelo omnia quaecumque voluit fecit." Et *Isa.* LV, 11, dicit: "Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud." Denique *Ezech.*, XXXVI, 27: "Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini." Hisce vero textibus innuitur gratiam Dei nunquam esse mere suffientem. Ergo.

Resp. Conc. testimonia S. Scripturae quae adducuntur, sed prorsus nego in illis innui non dari gratiam pure sufficientem; quia licet in textibus allatis non sit sermo de gratia pure sufficiente, est sermo de illa in multis aliis textibus, ex quibus allata sunt nonnulla in theseos probatione. Singulos textus adductos explico.

In *Psalmo* neque affirmatur, neque negatur gratia sufficiens; sed in illo innuitur Deum posse facere, quaecumque vult; ideoque divina omnipotentia indicatur.

In textu Isaiae, si in illo de voluntate Dei agitur, est sermo de voluntate Dei efficaci, quae semper impletur (2), et de gratia efficaci, quae cum effectu semper conjungitur. Si vero in textu de Christo est sermo, significatur ipsum omnia, ad quae a Patre missus erat, implevisse et prosperatum esse. Verum, ut elucet, de gratia sufficiente in aliis locis sermonem esse non excluditur. Similiter textus *Ezechielis* de gratia efficaci loquitur, sed non negat gratiam sufficientem in aliis locis affirmari.

352. Obj. 2.° *Ex N. T.* a) *Joan.* X, 27, et sq. dicitur: "Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me... et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea." b) *Rom.* IX, 15 et sq.: "Miserebor cujus misereor: et misericordiam praestabo cujus miserebor. Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis

(1) Praesertim ex d. 1.ª, c. 2, a. 2.
(2) Vide varias voluntatis divisiones in *Tractatu de Deo uno*, d. 3, c. 2, a. 7.

est Dei." Et in eodem loco v. 19: "Voluntati enim ejus quis resistit?" c) *Phil.* I, 6: "Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu." Item II, 13: "Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate." In textibus modo adductis, significari videtur in ordine gratiae omnia unice a Deo pendere, et consequenter in tali ordine non inveniri gratiam mere sufficientem.

Resp. Concedo textus adductos, sed nego quod ex illis infertur, et singulos declaro.

a) Verba S. Joannis videntur significare illos esse oves Christi, qui eum audiunt et sequuntur, et *hos*, dum perseverent, nec *peribunt*, nec quisquam a Christo separare poterit (1). Quare nihil habetur hic contra gratiam sufficientem.

b) Textus vv. 15 et 16 significant Deum nulli puro homini gratiam debere illamque pro suo arbitrio distribuere; tamen propter merita Christi omnibus et singulis hominibus communicatur gratia sufficiens ad salutem consequendam, et a libertate hominis pendet recipere gratiam aut illam rejicere, illi cooperari aut non cooperari.

Alter textus, sc. *voluntati enim ejus quis resistit?* est objectio, quam nomine alterius sibi proponit S. Paulus, eique duplici modo respondet. Primo, improbat hominem de Deo conqueri, seu contra ejus providentiam loqui, quum rationes divinae providentiae ignoremus, et sicut figulus de luto facere potest quidquid voluerit, a fortiori id Deus de suis creaturis facere potest. Quae quidem comparatio a S. Paulo non ponitur ad indicandum Deum tollere libertatem hominum, sed ad significandum supremum et absolutum Dei dominium. Secundo explicat objectionem v. 22 et sq.; et solutio haec est, Deum *sustinere in multa patientia vasa irae, apta in interitum* (2), ut poenitentiam agant et ad Deum convertantur; contra qui gratiae cooperantur, vocantur *vasa misericordiae*, et sunt talia, non tantum propter gratiam eis communicatam, sed etiam propter eorum liberam cooperationem. Unde vasa irae, quae poenitentiam agere possent, et non agunt, ostendunt dari gratiam pure sufficientem. Verba autem illa, *Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam*, nullo modo significant Deum aliquos antecedenter ad aeternam damnationem destinasse, sed velle damnare eos, qui in sua obstinatione et duritia usque ad mortem perseverant (3).

S. Joannes Chrysost. apposite ad rem praesentem inquit (4): "Sed primum quaerenti sic os obturat, dicens: *Atqui, o homo, tu quis es, qui contra respondeas Deo?* Hoc autem facit, intespestivam nimiamque ejus curiositatem reprimens et frenum adjiciens, docens quid sit Deus, quid homo, et quomodo Dei providentia incomprehensibilis sit, nostrum ratiocinium exsuperet, ac quomodo in omnibus ipsi obtemperandum sit." Et inferius (5): "Hoc est, vas irae erat Pharao; id est, homo qui per duritiam suam, iram Dei incendit: longam enim ejus patientiam exper-

(1) De hac re vide quae dixi in *Tract. de Deo uno*, d. 4, c. 2, a. 2, n. 741.
(2) Vide in eadem *Epist.* c. 2, v. 4 et sq.
(3) Cornely (Rodulphus), *Comment. in Epist. ad Rom.*, c. 9, v. 15 et sq.
(4) *Comm. in Epist. ad Rom.*, homil. 16, n. 7 et sq.
(5) N. 8.

tus, non melior affectus est, sed incorrigibilis mansit. Ideo non moc vas irae ipsum vocavit, sed praeparatum ad perditionem; id est, apparatum, per se nempe et opera sua. Neque enim Deus quidpiam praetermisit eorum, quae ad ejus emendationem facerent..." Et eodem loco (1): "At non dixit ille, benignitatem, sed *gloriam*, ostendens illud maxime gloriam Dei esse (emendationem peccatoris), ipsumque plus quam cetera omnia illud curare. Cum autem dicit, quae *praeparavit ad gloriam*, non totum Dei esse dicit: quoniam si hoc esset, nihil impediret, quominus omnes salvi essent... Oportet enim et velle et currere; confidere autem non propriis laboribus, sed Dei benignitati: id quod et alibi dicebat: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.*, XV, 10)."

c) Testimonia ex *Epist. ad Philip.* significant gratiam esse omnino necessariam ad opera supernaturalia, ideoque haec opera nec incipi nec continuari posse sine gratiae auxilio. Non est autem mens Apostoli excludere nostrum concursum ab operibus supernaturalibus, neque asserere hominem gratiam semper recipere, et nunquam illam respuere. Dicit S. Augustinus (2): "Non enim, quia dixit, *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate*, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Phil.* II, 12). Quando enim jubetur ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium."

353. Obj. 3.° Ecclesia pro infidelibus non orat ut converti possint, sed ut convertantur. Ergo signum est Ecclesiam non agnoscere gratiam sufficientem.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Quia Ecclesia postulat eam gratiam, qua de facto infideles convertantur; hoc vero non est negare aliam gratiam, quae det verum posse, quamvis cum actu non conjugatur.

354. Obj. 4.° Plura requiruntur ad agendum actu, quam ad habendum posse agere vere sufficiens. Ergo non est de ratione gratiae sufficientis, ut tribuat ea omnia, quae ad agendum actu sunt necessaria, sed tantum ea, quae dent posse agere.

Resp. Dist. ant. plura requiruntur causaliter et virtualiter ad agendum actu, quam ad habendum posse agere, neg.; plura requiruntur formaliter, conc. Et dist. cons.: ergo non est de ratione gratiae sufficientis, ut tribuat ea omnia, quae causaliter et virtualiter ad agendum actu sunt necessaria, neg.; quae sunt necessaria non ex parte causae et virtutis, sed ex parte effectus, conc. Quare ut gratia sit vere sufficiens debet tribuere omnem illam virtutem et requisita, quae habentur ex parte causae in ipso actu operandi; operatio tamen non requiritur ad posse agere, quia se tenet ex parte effectus et in ipsa causa virtualiter continetur. Quapropter actu agere praeter ea, quae in actu primo proximo continentur, non dicit nisi ipsam operationem et actum secundum, qui jam virtualiter in actu primo sive in causa continebatur.

355. Obj. 5.° Gratia pure sufficiens dicit negationem consensus. Sed

(1) N. 9.
(2) *De gratia et lib. arbitr.*, c. 9, n. 21 (M. L. 44, 894).

impossibile est agere cum negatione consensus. Ergo gratia pure sufficiens non veram agendi tribuit potestatem.

Resp. Dist. maj.: gratia pure sufficiens dicit carentiam consensus, quia non tribuat veram et expeditam potentiam eliciendi consensum, neg.; quia voluntas libere eam gratiam respuit eique non consentit, conc. Nec mirum est cum gratia pure sufficiente consensum nunquam conjungi; quia sub nomine *gratiae pure sufficientis* accipitur omnis et sola gratia cum qua voluntas posset libere operari, et tamen non operatur, sed illam respuit.

356. Obj. 6° Gratia sufficiens dicitur impertire tantum posse, gratia vero efficax etiam velle et operari: item gratia sufficiens secum ferre principia excitantia, non vero adjuvantia. Ergo gratia sufficiens non est talis, cum qua possit re ipsa poni operatio.

Resp. Dist. ant.: gratia sufficiens dicitur impertire tantum posse, non ipsum velle et operari ex defectu ipsius gratiae, neg.; ex defectu liberi arbitrii, quod non vult cum illa operari, conc. Deinde gratia sufficiens secum fert principia excitantia et proxime parata ad adjuvandum, quae si non sunt adjuvantia, seu actu non adjuvant, ex culpa est liberi arbitrii.

357. Obj. 7.° Ut voluntas cum gratia haberet quoque potentiam relativam ad recte agendum, necessarium esset, ut in quodam aequilibrio constitueretur, et in concupiscentiam magis quam in partem oppositam non inclinaretur. Atqui saepe voluntas sentit majorem inclinationem in concupiscentiam quam in virtutem. Ergo.

Resp. Neg. maj. Nam voluntas cuicumque inclinationi, quamtumvis vehementi resistere potest, dummodo conservetur usus rationis, et appareat ratio boni pro parte virtutis. Ut voluntas concupiscentiam vincat, nullo modo est necessarium gratiam superare concupiscentiam intensione; sed quaelibet gratia intellectus, quae bonum manifestet, et gratia voluntatis in bonum inclinans, licet minus quam concupiscentia in partem oppositam inclinet, sufficiunt ad recte agendum. Profecto liberum arbitrium non operatur ductum per inclinationem; sed suus modus operandi proprius est per electionem inter duo vel plura; et libere eligere potest bonum in quod minus vel nullo modo inclinatur.

358. Scholion I. *De mente S. Augustini circa gratiam sufficientem.* Dubitandum non est S. Augustinum agnovisse gratiam mere sufficientem, et simul vere sufficientem; attamen quia plures loquendi modi in illo reperiuntur, qui cum gratia vere sufficiente pugnare videntur, ideo haec quaestio speciatim tractanda est. Atque imprimis S. Doctorem gratiam sufficientem agnovisse, constat ex omnibus illis testimoniis ipsius, quae supra (1) partim adducta sunt, partm indicata. Tamen, quia res magni momenti est, hic alia adjiciam.

Dicit (2) S. Doctor: "Quod vero dixi, *Illud autem non irrationabilium avium oculos poscit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab*

(1) N. 347.
(2) *Retract. l. 1, c. 10,* n. 2 (M. L. 32, 599).

amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus praecepta convertunt, quod homines possunt, si velint (L. 1, c. 3, n. 6), non existiment novi haeretici pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est omnino, omnes homines hoc posse si velint; sed praeparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere caritatis, ut possint." Et eodem loco, inferius (1), refert ea, quae contra Adimantum dixerat (2), scilicet:" Nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in potestate nostra esse positum alio loco docet (Christus), ubi ait: *aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonun; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 33)." Atque his adjungit: "Quod non est contra gratiam Dei quam praedicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est nisi a Deo detur, de quo dictum est: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12)." In his duobus locis manifeste affirmat S. Augustinus *omnes homines, si velint, posse se convertere ad divina praecepta implenda, et in potestate hominis esse mutare voluntatem in melius;* ideoque Deum tribuere homini cuilibet gratiam ad id necessariam, saltem remotam.

Idem S. Doctor inquit (3): "Recte enim fortasse quereremur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret: cum vero ubique sit praesens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras; neque illud id quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis: ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quaeri quod inutiliter ignoretur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quaerenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat." Denique alibi (4): "Noluit ergo Esau et non cucurrit; sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret."

359. Obj. 1.° S. Augustinus affirmat gratiam non respui, conjungi cum effectu, Deum non frustra misereri. Atqui haec innuunt S. Augustinum gratiam efficacem tantum agnoscere. Ergo. Prob. maj. Dicit S. Doctor (5): "Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur." Item (6): "Cum sanata et adjuta hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat..." Et alibi (7): "Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus; ad eamdem quippe misericordiam pertinet ut velimus." Ergo.

(1) Cap. 22, 4, col. 620.
(2) *Contra Adimantum Manichae. discip.* cap. 26 (M. L. 42, 169).
(3) *De liber. arbit.*, l. 3, c. 19, n. 53 (M. L. 32, 1297).
(4) *De diver. quaest. ad Simplician.*, l. 1, q. 2, n. 10 (M. L. 40, 117).
(5) *De praedest. sanct.*, c. 8, n. 13 (M. L. 44, 971).
(6) *De natura et gratia*, c. 42 (M. L. 44, 271).
(7) *Ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 12 (M. L. 40, 118).

Resp. Ex testimoniis S. Doctoris paulo antea allatis, et ex aliis pluribus, partim adductis et partim indicatis in probatione theseos, abunde constat S. Augustinum admittere gratiam mere sufficientem. Unde testimonia S. Doctoris modo adducta ut opposita, revera non sunt talia; quum S. Augustinus non manifeste secum repugnet. Aliunde nullum ex testimoniis modo allatis negat gratiam sufficientem, nec dicit gratiam omnem actualem semper habere effectum; sed in illis est sermo de gratia, quae habuit effectum, et illam Deus largitus est, quum modo infallibili praevidisset eam habituram esse effectum.

Ex locutionibus S. Augustini allatis et ex aliis similibus non infertur Deum dare gratias efficaces cum voluntate absoluta et infrustrabili ut habeant effectum; hoc enim ex una parte non est necessarium, ut tales locutiones sufficienter explicentur; et aliunde si Deus hac ratione ageret, parum benevolum se monstraret erga homines pro quibus daret gratias sine voluntate efficaci, ut effectum haberent. Quod vero locutiones S. Augustini sufficienter explicentur sine tali voluntate infrustrabili, apparet ex hoc, quia quum Deus habeat scientiam infallibilem de eo, quod homo facturus est sub quibuscumque conditionibus, per hanc scientiam potest Deus obtinere quidquid illi placuerit sine illa voluntate infrustrabili, quae quidem, quum sit antecedens consensum voluntatis, cum libertate non videtur componi, scientia vero non dicit nisi illud, quod voluntas cum libertate factura est.

360. Obj. 2.° S. Augustinus ex negatione gratiae efficacis concludit carentiam omnis gratiae; hoc autem non posset concludi, si gratiam pure sufficientem agnosceret. Ergo. Prob. maj. a) Haec dicit (1): "Quid est, *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me;* nisi, nullus est qui audiat a Patre et discat, et non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit a Patre et didicit, venit; profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam si audivisset et didicisset, veniret." Ac proinde *omnis qui non venit, non audivit a Patre nec didicit*, ideoque neque gratiam auditionis habuit, seu sufficientem. b) Item dicit (2): "Qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur." Et alibi (3): "Qui autem novit quidem quod fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram." Hisce autem testimoniis innuitur illum qui non credit, et qui non facit quod debet facere, ideo non credere et non facere, quia ad credendum et faciendum gratiam non recepit.

Resp. Neg. maj., quae certe non probatur. Ad a) sic dist.: qui non venit ad Patrem, non habuit utrumque simul, nimirum et audire et discere, conc.; non habuit praecise audire, nego. S. Augustinus affirmat omnes qui venerunt ad Patrem, simul audivisse et didicisse; nullatenus vero affirmat omnes, qui ad Patrem non venerunt, neque audivisse seu

(1) *De praedestinat. sanct.*, c. 8, n. 13 (M. L. 44, 970). Vide etiam de *Gratia Christi*, c. 14, n. 15 (M. L. 44, 368).
(2) Eodem loco, *De praedest. sanct.*, n. 15, col. 972.
(3) *De gratia Christi*, c. 13, n. 14, col. 367.

nan habuisse gratiam sufficientem. Praeterea n. 14 affirmat digne retribui illis, qui obdurantur, ac proinde eos habuisse gratiam sufficientem, cui restiterunt. Et ibidem asserit Deum omnes homines, sive illos quibus verbum crucis est stultitia, sive illos, quibus est virtus Dei (*I Cor.* I, 18), velle salvos fieri et in agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II, 4). Huc facit propositio 17.ª Quesnelli damnata, quae ita se habet (1): "Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre."

Ad b) dicendum est, eos qui non credunt, foris tantum audire, non intus ratione effectus, conc.; ratione gratiae sufficientis ad credendum, neg. Et haec responsio confirmatur a S. Augustino, qui ad finem laudati numeri 15 dicit: "Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat: *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*" Et illa verba *illis datur ut credant, illis non datur*, hoc significant, scilicet, alios accipere a Deo donum fidei, quia gratiae cooperati sunt, alios non accipere, quia gratiae resistunt. Atque haec confirmantur ex illis, quae alibi S. Augustinus dicit (2): "Cum voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato (mortali) in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime et veracissime respondere, quia homines nolunt." Et alibi (3): "*Non poterant credere*... Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant..."

Denique ad ultimum testimonium dicendum est verba illius nullo modo excludere gratiam sufficientem, sed significare eum, qui non operatur secundum gratiam, ad summum adimplere legem ex timore et secundum litteram, non secundum spiritum.

361. Obj. 3.° Eam gratiam S. Augustinus agnoscebat, quam a pelagianis admitti volebat. Atqui a pelagianis non postulabat, nisi ut gratiam efficacem profiterentur, ut ex his ipsius verbis inferri videtur, sc. (4): "Sed nos eam gratiam volumus, iste (Pelagius) aliquando fateatur, qua futurae gloriae magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur; nec solum revelatur sapientia, verum et amatur; non solum suadetur omne quod bonum est, verum et persuadetur." Ergo. Praeterea S. Augustinus docet Adamo datum esse auxilium *sine quo non*, et in praesenti non dari tale auxilium, sed auxilium *quo* (5). Atqui auxilium *sine quo non*, est gratia sufficiens, ut eruitur ex his, quae S. Doctor illi tribuit (6), et auxilium *quo* gratia efficax. Ergo.

Resp. Nullo modo S. Augustinus contendebat ut pelagiani admitterent gratiam efficacem et rejicerent sufficientem; sed contendebat ut admitterent actus fidei, spei, caritatis esse opus gratiae, et nequaquam essent contenti cum admissione legis et doctrinae, quibus magnitudo fu-

(1) Denz.-Bannwart, n. 1367.
(2) *De peccatorum meritis et remiss.*, l. 2, c. 17, n. 26 (M. L. 44, 167).
(3) *Tractatus 53 in Joan.*, n. 6 (M. L. 35, 1777).
(4) *De gratia Christi*, c. 10, n. 11 (M. L. 44, 365).
(5) *De correptione et gratia*, c. 12, n. 34 (M. L. 44, 937).
(6) Loco citato, c. 11, nn. 31 et 32, col. 935.

turae gloriae et praemiorum manifestatur. Gratiam vero pure sufficientem implicite admitterent, si gratiam efficacem, admisissent; quia si elicere actus fidei, spei et caritatis sunt opus gratiae, et quidem efficacis, eo ipso resistere positioni talium operum esset resistere gratiae et facere illam pure sufficientem. Simili modo respondendum est iis quae ex alio loco (1) objici possent, nimirum, S. Augustinum contentum esse, si pelagiani agnoscant ipsam voluntatem (actum) et actionem esse Dei gratiam.

Ad alterum dicendum est auxilium *sine quo non*, ut supra dictum est (2), esse complexum omnium auxiliorum habitualium et actualium, quibus homo in statu innocentiae usque ad finem status probationis fideliter perseverare poterat; non autem praecise gratiam sufficientem. Auxilium vero *quo*, complectitur omnia auxilia, quibus homo infallibiliter in statu gratiae usque ad mortem perseverat. Verum in praesenti statu S. Augustinum praeter auxilium efficax admittere quoque gratiam mere sufficientem, abunde constat ex testimoniis ejusdem allatis, n. 347.

362. Obj. 4.° S. Augustinus gratiam non efficacem videtur ponere invalidam et insufficientem ad operandum. m) Nam dicit (3): "Qui ergo vult facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit et robustam." Et paulo inferius dicit de S. Petro: "putabat enim se posse, quod se velle sentiebat." n) Item (4): "Ad alios autem vocatio quidem pervenit; sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi." p) Denique S. Doctor agnoscit necessitatem peccandi, quae quidem non daretur, si gratia sufficiens ad peccatum vitandum semper praesto esset. Quod vero S. Doctor necessitatem peccandi agnoscat, ex ejus testimoniis constat. Dicit (5), v. gr.: "Quia vero peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas..."

Resp. Neg. assertum. Ad m) dicendum secundum S. Augustinum, qui habent voluntatem parvam et invalidam, debere orare, ut illam habeant sufficientem et validam. Sic loquitur (6) S. Doctor: "Ad hoc enim valet quod scriptum est, *Si volueris servabis mandata* (*Eccli.*, XV, 16); ut homo qui voluerit, et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur."

Ad n) affirmandum S. Augustinum illis locutionibus non significare defectum potestatis ad vocationem sequendam, sed malam voluntatis dispositionem. Unde dicit (7) S. Doctor: "Profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit

(1) *De gratia Christi*, c. 47, n. 52 (M. L. 44, 383).
(2) N. 339, scholion.
(3) *De gratia Christi*, c. 17, n. 33 (M. L. 44, 901).
(4) *Ad Simplician.*, l. 1, q. 2, n. 13 (M. L. 40, 118).
(5) *De perfectione justitiae*, c. 4, n. 9 (M. L. 44, 296).
(6) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 15, n. 31, col. 900.
(7) *De spiritu et litt.*, c. 34, n. 60 (M. L. 44, 240).

nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est."

Denique ad p) non loqui respectu peccatorum mortalium de necessitate, quae vitari non possit; sed de ea necessitate, quae malam hominis voluntatem consequitur. Saepe enim dicit S. Augustinus praecepta Dei non esse impossibilia. Sic, v. gr., loquitur (1): "Eo quippe ipso quo firmissime creditur, *Deum justum et bonum impossibilia non potuisse praecipere;* hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus."

363. Scholion II. De causa inefficaciae gratiae sufficientis. Causa unica inefficaciae gratiae sufficientis est humana voluntas. Haec assertio est omnino certa. Prob. 1.° In *Ezechiel.* XVIII, 23, legitur: "Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?" Et in *Os.* XIII, 9: "Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum."

2.° Ex Conc. Arausicano II (2) dicente: "Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet..."

3.° Ex S. Augustino dicente (3): "Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene el male utentes justissime judicentur."

4.° Hoc probant omnia argumenta allata a n. 343 ad n. 348; in illis aut homines reprehenduntur, quia gratiae non respondeant; aut in illis significatur gratiam vires necessarias ad recte operandum tribuere.

5.° Gratiam sufficientem effectu carere, non potest Deo tribui, quum illam largiatur, ut homines recte operentur, et omnes homines salvos fieri velit. Nec tribui ipsi gratiae potest; quum ponamus illam esse vere sufficientem, et ideo omnes vires ad operandum necessarias communicare. A sola igitur hominis voluntate pendet gratiae resistere; qui et resistendo saepe peccat; non esset autem peccatum pro homine, si gratiae resistere ab humana voluntate non penderet.

Articulus II

Nonnullæ catholicorum sententiæ circa gratiam sufficientem rejiciuntur

364. Sententia eorum, qui praedeterminationem physicam admittunt (4). Secundum defensores praemotionis sive praedeterminationis physicae gratia sufficiens communicat posse agere, seu ea, quae ex parte actus primi se tenent; sed nisi per gratiam

(1) *De natura et gratia,* c. 69, n. 83 (M. L. 44, 289).
(2) Canone 23 (Denz.-Bannwart, n. 196).
(3) *De spiritu et litt.,* c. 23, n. 58 (M. L. 44, 238).
(4) Joannes a S. Thoma, *In 1. 2.,* d. 24; Gonet, *Clypeus theolog. thomisticae, De gratia,* d. 3, a. 3; Gotti (Card.), *De divina gratia,* q. 2, dub. 4; Billuart. *De gratia,* dissert. 5, a. 3 et sq.; Del Prado, *De gratia et liber. arbit.,* p. 2.ª, cc. 1 et 2.

efficacem ad actum applicetur, non potest actum elicere. Quare, cum sola gratia sufficiente nemo adimplebit praecepta, neque actus salutares eliciet; et hoc quidem non ex culpa voluntatis humanae, sed quia aliquid gratiae sufficienti deest, ut actus re ipsa eliciatur.

Card. Gotti sic explicat gratiam sufficientem (1): "Alii vero gratiam sufficientem vocant, quae etsi se sola non sufficiat proxime ad actu credendum, diligendum, sed egeat gratia efficaci dante actu credere, diligere etc.; sufficit tamen, ut per eam homo reddatur in actu primo potens credere, diligere etc. Ita D. Thomae discipuli. Secundum quod gratia sufficiens definiri potest: *Auxilium, quod ita tribuit posse credere ut tamen homini alio, ex parte Dei, opus sit ad actu credendum etc.* Unde si hoc non adsit, potest quidem homo credere, sed nunquam actu credet." Postea adjungit duas sequentes assertiones, videlicet: "Dico primo. Gratia non dicitur sufficiens, ita ut, ex parte Dei, nihil aliud requiratur ad actu operandum... Dico secundo. Gratia sufficiens, ut distinguitur ab efficaci, est auxilium, quod dat quidem posse operari, praeter illud tamen requiritur aliud ex parte Dei ad actu operandum. Ita omnes ex schola S. Thomae, inter quos etiam Bellarminus (2), Tannerus supra citati."

ASSERO. Gratia sufficiens vere talis per se actum secundum elicere potest, neque ad hoc præmotio physica requiritur

365. Prob. 1.ª p. Quia si gratia vere sufficiens non ita tribueret expeditam agendi potestatem, ut sine ulteriore requisito non posset elici actus secundus, jam hoc ipso illa gratia non esset vere sufficiens; quia cum illa non posset poni actus secundus praeceptus; deesset enim ad hoc aliquod requisitum. Atqui gratia dicta sufficiens debet esse vere talis; nam alias homo non haberet quod est illi necessarium ad recte agendum et ad vitam aeternam

(1) Loco proxime citato.
(2) Nec Bellarminus, nec Tanner similem habent sententiam. Non Bellarminus qui dicit (*De gratia et liber. arb.*, l. 1, c. 12) de opinione physicae praedeterminationis: "Haec opinio videtur mihi aut esse omnino eadem cum errore Calvini et lutheranorum aut parum ab illo distare... haec opinio destruit gratiam sufficientem, et simul tollit e medio liberum arbitrium." Et P. Tanner (*De gratia*, disp. 6, q. 2, dub. 3) inquit: "Haec sententia de physicis praedeterminationibus videtur adimere gratiam suffcientem omnibus illis, qui carent gratia efficaci; id quod tamen adversatur fidei, ut dictum dubio praecedenti."

consequendam. Ergo gratia vere sufficiens debet tribuere talem potestatem, quae sine ulteriore requisito in actum prodire possit.

366. Prob. 2.ª p. 1.º Si praemotio physica esset requisita, Christus non prudenter increpasset judaeos, dicendo illis, ut legitur apud *Matth.* XI, 21: "Vae tibi Corazain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent." Atqui increpatio Christi non potuit non esse prudentissima. Ergo. Prob. maj. Etenim potuissent respondere: Quamobrem nos increpas et arguis exemplis tyriorum et sidonorium, in quo nulla est paritas? Nam illi praemotionem physicam habuissent, nos vero illa privamur, nec est in nostra potestate eam obtinere; sine illa autem poenitentiam agere omnino non possumus; ergo non prudenter reprehendimur. Item prob. ex *Isa.*, V, 3, 4: "Judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vinae meae, et non feci ei?" Nam si praemotio physica esset requisita ad actum secundum, potuissent judaei recte dicere: debuisses illis praemotionem physicam dare, sine qua opus aliquod bonum haberi nullomodo potest.

367. 2.º Gratia vero sufficiens debet sufficere, ut homo opera praecepta faciat et vitet prohibita; hoc enim ad salutem aeternam consequendam necessarium est. Atqui si praemotio physica est necessaria ad agendum, et ejus carentia ad non agendum, non sufficit gratia pure sufficiens ad facienda opera praecepta et vitanda prohibita: non enim veram subministrat sufficientiam agendi et non agendi, quum gratia pure sufficiens non secum ferat praemotionem physicam, quae tamen esset requisitum necessarium ad actum secundum, et illius carentia ad omissionem actus. Ergo ut gratia pure sufficiens sit vere sufficiens, opus est, ut praemotio physica non sit requisitum ad opus praeceptum exercendum, et ejus carentia ad non ponendum actum prohibitum. Quod vero gratia pure sufficiens non secum ferat praemotionem physicam est doctrina defensorum praemotionis physicae.

368. Dices 1.º cum P. Billuart (1): "Actio bona est quid distinctum a potentia bene agendi, quid nobilius et perfectius ipsa et quod praecipuum est in negotio salutis; atqui Deus est prima et immediata causa salutis

(1) *De gratia*, disset. 5, a. 4.

omnis actus salutaris; ergo sicut per gratiam sufficientem constituitur prima et immediata causa potentia bene agendi, ita per gratiam efficacem a sufficienti distinctam constitui debet prima et immediata causa actus salutaris."

Resp. Explico maj., conc. min., et neg. cons. *Actio bona* est quidem distincta a potentia agendi; verum in hac debet contineri, si sit potentia completa et expedita ad agendum. Non est *actio bona* ut distincta a potentia *quid nobilius et perfectius potentia*, neque est *praecipuum in negotio salutis* ratione majoris perfectionis, sed quatenus sit actio supernaturalis libere elicita. Quare haec omnia nullatenus probant gratiam sufficientem non exigere esse omnino completam et expeditam non modo ad *posse*, verum etiam ad ipsam *operationem*.

369. Dices. 2.° S. Thomas videtur docere gratiam sufficientem ad operandum actu indigere gratia efficaci. Dicit (1) enim: "Deinde cum dicit (Apostolus): *secundum donum gratiae Dei*, tangit auxilium sibi praestitum ad mysteriorum executionem. Hujusmodi autem auxilium duplex: fuit unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio seu actualitas. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem et gratiam per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum, sed ipsam operationem confert in quantum operatur in nobis, interius movendo, et instigando ad bonum." Ergo.

Resp. Admitto testimonium D. Thomae, sed omnino nego in illo aliquid affirmari circa insufficientiam gratiae sufficientis sine adjutorio gratiae efficacis. Ex duplici auxilio, de quo meminit S. Thomas, unum est ipsa facultas, *quam dat Deus infundendo virtutem et gratiam per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum*, non ad posse operari. Alterum auxilium est *ipsa operatio;* operatio vero secundum adversarios non est ipsum auxilium efficax. Praeterea secundum S. Thomam hoc auxilium non applicat efficaciter ad operationem, ut facit praedeterminatio physica, sed *interius movet et instigat ad bonum.*

Adversarii afferunt quoque alia testimonia D. Thomae ad hoc ipsum probandum; attamen illa non videntur probare nisi necessitatem gratiae et divini concursus.

370. Sententia Augustiniensium (2). Berti ita declarat gratiam sufficientem: "Est ergo gratia sufficiens sensu thomistico et nostro, illa quae dat posse, non velle; aut si dat velle, istud adeo est invalidum atque imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentiis non vincat, nisi superveniente flagrantissima et potentissima caritate. Hujusmodi sunt inspirationes, et pia animi desideria, quae perversam animam movent, atque excitant aliquatulum, sed illam ad conversionem non trahunt... Ex quibus liquet gratiam sufficientem aliquem semper effectum

(1) *Comment. in Epist. ad Ephes.*, c. 3, lect. 2.
(2) Berti (Laurentius), *De theologicis disciplinis*, l. 14, c. 8 et l. 18, c. 8; Val (Honor. del), *De gratia Christi*, cap. 1, a. 4, n. 99 et sq.

producere, nempe pium animi motum, et bonam voluntatem, sed invalidam, et cui liberum arbitrium resistit." Haec gratia sufficiens nunquam facere potest, opus ad quod datur, nisi conjungatur cum gratia efficaci, quae est quidem intrinsece efficax, non propter influxum physicum, sed propter moralem, seu attractionem ratione suavitatis et delectationis. Haec sententia secundum Del Val est augustiniensium rigidiorum. Secundum eumdem auctorem augustinienses mitiores admittunt gratiam sufficientem, quae per orationem infallibiliter gratiam efficacem consequitur; et secundum aliquos etiam de se habet vim producendi actus faciliores.

Haec secunda sententia nititur testimoniis S. Augustini jam supra adductis, nimirum dicit (1) S. Doctor: "Non igitur Deus imposibilia jubet: sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis." Et inferius (2): "Eo quippe ipso quod firmissime creditur *Deum justum et bonum impossibilia non potuisse praecipere;* hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus."

Sententia quidem augustiniensium rigidiorum admitti nequit; quia supra n. 343 et sq. ostensum est gratiam sufficientem debere tribuere veram et expeditam potestatem ad operandum; hoc autem non facit gratia sufficiens augustiniensium, quum actum elicere nequeat, nisi ipsi gratia efficax addatur. Et praeterea argumenta posita contra praedeterminationem physicam, simili modo probant contra praedeterminationem quamdam moralem, quam ponunt augustinienses; et sicut voluntas non potest agere contra praedeterminationem physicam, similiter non potest contra moralem. Unde Berti dicit (3): "Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix, quae a nullo duro corde respuitur."

De gratia vero sufficiente Augustiniensium mitiorum idem est sentiendum ac de gratia sufficiente propugnata a S. Alphonso M. de Ligorio, de qua statim.

371. De gratia sufficiente secundum S. Alphonsum M. de Ligorio. Hic Sanctus Doctor ita loquitur (4): "Nostra igitur

(1) *De natura et gratia,* c. 43, n. 50 (M. L. 44, 271).
(2) Eodem loco, c. 69, n. 83, col. 288.
(3) Loco antea citato, l. 14, c. 8.
(4) *Opera dogmatica ad sermonem latinum versa,* tom. 1, tract. 5, disp. 4, §. 7, nn. 141 et 167.

sententia haec est: ad bonum operandum et servanda praecepta satis non est gratia sufficiens, quae tantummodo confert auxilium ad facilia praestanda, sed requiritur gratia ab intrinseco efficax, quae humanam voluntatem ad bonum operandum determinet..." Et paululo inferius addit: "Dicimus nihilominus, gratiam sufficientem cuilibet conferre actum orandi si velit (qui quidem actus in numero rerum facilium reponitur); et quemlibet orando obtinere gratiam efficacem." Et eodem loco, n. 157, asserit: "Finem disputationi faciamus, denuo exponendo nostram sententiam, quam, ut vidimus, tan multi theologi propugnant. Admittitur ergo ex una parte gratia ab intrinseco efficax, quacum infallibiliter (quamquam libere) operamur bonum... Ex altera parte nostra sententia admittit gratiam vere sufficientem, omnibus communem, qua si homo uti voluerit, orando, certo obtinebit gratiam efficacem; sin autem ea uti noluerit, juste haec gratia efficax ei denegabitur. Nec proderit ei hac uti excusatione, se vires non habuisse ad tentationes superandas; si enim uti voluisset orandi gratia, quae omnibus communis est, orando impetrasset illas vires, et ad salutem pervenisset."

Et Herrmann (1) gratiam sufficientem sic definit (2): "Auxilium, quod tribuit homini potestatem undequaque completam et expeditam, ut opera faciliora patrare, et in primis orare possit, si velit." Et post tres lineas haec ex S. Ligorio adjicit: "Asseveramus omnibus concessam esse gratiam, qua, nulla accedente (nova gratia praeveniente), actu orare possint, et orando reliqua omnia sibi acquirere auxilia ad implendam legem et salutem consequendam."

Ex dictis consequitur gratiam sufficientem secundum S. Alphonsum consistere in hoc, quod communicet vires plenas et expeditas ad faciendas res faciliores et ad orandum; et per orationem obtinere gratiam efficacem ab intrinseco ad observanda praecepta et ad salutem consequendam. Hanc sententiam sequitur Tournely (3), et pro eadem plures citantur a S. Alphonso (4) et Herrmann (5).

(1) Sacerdos e Congregatione Sanctissimi Redemptoris.
(2) *De divina gratia*, s. 4, c. 6, a. 2, §. 1.
(3) *De gratia Christi*, q. 7, a. 4, conclus. 5.
(4) Loco antea citato.
(5) Loco antea citato, n. 675 et sq.

372. Praeterea in systemate S. Alphonsi Deus gratias sufficientes distribuit ignorans eventum illarum, id est, consensum aut dissensum voluntatis; nam pro priori ad consensum aut dissensum absolutum Deus posset cognoscere consensum vel dissensum conditionatum secundum diversas opiniones, aut per scientiam mediam, aut per decreta praedeterminantia, aut juxta systema Augustiniensium. Verum S. Alphonsus nec admittit scientiam mediam, nec decreta praedeterminantia, nec systema Augustiniensium, ut fatetur Herrmann (1), et hoc ipsum eruitur ex his, quae dicit (2) S. Ligorius. Quocirca in systemate S. Alphonsi Deus non cognoscit consensum vel dissensum praestitum gratiae sufficienti nisi per scientiam visionis et consequenter ad eorum effectionem absolutam.

Atque hoc fatetur Herrmann, quum dicit (3): "Jam vero in nostro systemate Alphonsiano, nullatenus opus est ut admittamus in Deo ante quodcumque decretum illam, quam adstruunt molinistae, conditionatorum notitiam. Non dicimus Deum, priusquam ferat decretum de danda gratia sufficienti, explorare quid voluntas sit actura, si haec vel illa gratia ei concedatur; nec affirmamus, Deum, in distributione gratiarum sufficientium dirigi scientia illa praevia, quae media dicitur. Sed asserimus Deum, ob seriam suam, sed antecedentem voluntatem salvandi omnes homines, decrevisse, ante omnem praevisionem consensus vel dissensus ex parte creatae voluntatis, dare cuique homini, mensura tamen inaequali, sed semper sufficiente, satis gratiarum ut salvari possit, dummodo velit; et videre simul, scientia visionis consequente decretum, consensum vel dissensum hominis, efficaciam vel inefficaciam gratiae sufficientis in actu secundo."

"Affirmamus utique Deum effectum gratiae sufficientis praevidere, quia homo ei consentit; sed haec notio, quippe quae decretum de danda gratia consequatur, a medistarum scientia media undequaque discrepat. Nullatenus igitur scientia media indigemus ad praevisionem effectus gratiae sufficientis. Recte igitur et absque ulla contradictione S. Alphonsus scientiam mediam rejicit."

(1) Loco antea citato, n. 737 et sq.
(2) *Opera dogmatica*, tom. 1, tract. 5, disp. 4. a §. 1 ad §. 6.
(3) Loco citato, n. 737.

Systema de gratia sufficiente modo expositum rejiciendum esse videtur (1).

373. Prob. 1.° In systemate exposito gratia sufficiens ponitur specialiter ad gratiam per se et ab intrinseco efficaci obtinendam. Atqui gratia ab intrinseco efficaci rejicienda videtur. Ergo.

2.° Non decet Deum operari modo caeco, seu cum ignorantia eventus; hoc autem habetur in distributione gratiae sufficientis secundum systema hic impugnatum; ideoque tale systema rejiciendum est. Similiter non decet Deum aliqua ignorare: quare non admittendum est systema modo propositum, quia secundum illud Deus ignorat futura contingentia conditionata.

374. 3.° Nullum est testimonium sive S. Scripturae, sive Traditionis, quod aperte dicat gratiam sufficientem non dari a Deo nisi ad res faciliores et ad orandum; nam licet Conc. Tridentinum asserat (2) nos debere facere quae possumus, et petere quae non possumus, et S. Augustinus similia doceat (3); non tamen videntur asserere Deum non tribuere gratiam ad difficiliora nisi media oratione, et multo minus videntur affirmare ad difficiliora non dari nisi gratiam efficacem ex se et ab intrinseco, non autem gratiam sufficientem. Profecto testimonia allata n. 343 et sq. generatim indicant a Deo dari gratiam sufficientem, sed non innuunt modum, quo datur. Immo non desunt testimonia, quae indicant dari gratiam sufficientem ad difficiliora, et non significant eam gratiam obtinendam esse per orationem.

375. Sic in *Isa.* V, 4, legitur: "Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?" Jam vero si Deus vinae suae tantum largitus esset gratiam ad res faciliores et ad orandum, non videtur potuisse dicere *Quid debui ultra facere vineae meae, et non feci?* Etiam verba illa (*Rom.* X, 21), scl.: "Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem", aliquid amplius significare videntur, quam mera communicatio gratiae ad res faciliores et ad orandum. Item textus ille *Matth.* XXIII, 37, sc.: "Jerusalem, Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti?" Agit de communicatione beneficiorum ex parte Dei,

(1) Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 3, c. 1, a. 3, n. 483.
(2) *Sess. 6*, cap. 11.
(3) *De natura et gratia*, cap. 43, n. 50 (M. L. 44, 271) et alibi.

et de eorum recusatione ex parte hominis, et nihil de precibus humanis innuit. Concilium Lateranense IV dicit (1): "Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari." Ubi nihil de necessitate orationis indicatur, seu non asseritur poenitentiam per orationem esse obtinendam, sed asseritur poenitentia reparationem peccati semper obtineri posse. Denique S. Augustinus allatus supra (2) loquitur de invitatis ad coenam, quorum aliqui ad coenam venerunt, alii noluerunt; verum sive qui venerunt, sive qui noluerunt, fuerunt invitati, seu vocati, non ipsi per preces vocationem procurarunt. Atque alia testimonia ex allatis a n. 343 ad n. 347 pro eadem sententia afferri possent.

Haec autem dicta sunt ad rejiciendam illam normam, quae tanquam omnino constantem et generalem a suis defensoribus ponitur, nimirum non dari gratiam efficacem nisi media sufficiente, et gratiam sufficientem tribuere vires tantum ad orandum et ad res faciles; nullo vero modo intenditur negare gravem obligationem orandi et orationem esse ordinarium medium ad divina beneficia consequenda.

Articulus III

Utrum gratia sufficiens sit Dei beneficium (3)

376. Praemitt. Dicitur *beneficium* illud, quod ex se prodest illi cui tribuitur, vel aliis verbis, quod ex se est bonum accipienti. Dicitur *ex se;* quia, v. gr., pecunia ex se est bona in ordine materiali, sed potest esse mala accipienti ex malo ejusdem usu. Beneficium potest esse *materiale* et *formale.* Est *materiale,* si quod datur, ex se bonum est; est *formale,* si quod ex se bonum est, ex benevolentia detur. Quaeritur igitur in praesenti, utrum gratia sufficiens sit Dei beneficium. Hoc speciatim negavit Jansenius, qui, ut est apud P. Beraza, dixit: "Illud a recentioribus prolatum gratiae sufficientis genus, quo adjuvante nullum umquam opus fac-

(1) Cap. 1, *De fide catholica* (Denz.-Bannwart, n. 430).
(2) N. 347.
(3) Vide Wirceburgenses, *De gratia,* d. 5, c. 3, a. 2, n. 343 et sq.; Beraza, *De gratia Christi,* n. 469 et sq.; Schiffini, *De gratia divina,* n. 226; Lahousse, *De gratia divina,* n. 196 et sq.

tum est, aut fiet umquam, si est verum distinctumque a gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiae, solum peccatis faciendis majorique damnationi accersendae serviens ideoque lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum."

THESIS. Gratia sufficiens est Dei beneficium materiale et formale

Thesis est certa quoad utramque partem, etiamsi de gratia pure sufficienti accipiatur, immo prima pars videtur definita (1) ab Alexandro VIII.

377. Prob. 1.ª p. 1.° Ex propositione 6.ª ab Alexandro VIII damnata, quae ita se habet: "Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficiente libera nos Domine." Ergo quum hoc in genere de gratia sufficiente damnetur, dicendum gratiam sufficientem semper esse Dei beneficium, etiam quum ex defectu consensus redditur pure sufficiens.

378. 2.° Donare alicui, quod est illi indebitum ob excellentiam doni, est facere illi beneficium saltem materiale. Atqui gratia sufficiens semper est donum homini indebitum ob excellentiam doni. Ergo. Prob. min. a) Ex *II ad Cor.* VI, 1. ubi legitur: "Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;" quibus verbis manifeste supponitur gratiam Dei sive donum Dei posse existere vacuum ex culpa hominis; ergo gratia etiam quum effectu caret, est donum Dei indebitum, ac proinde beneficium saltem materialiter; ergo semper est. b) In *Act. Apost.* VII, 51: "Vos semper Spiritui Sancto resistitis;" ubi resistere gratiae dicitur resistere Spiritui Sancto, i. e., donis ipsius; atque ideo gratia habet etiam in hoc casu veram rationem doni indebiti. Ergo semper habet.

379. 3.° Est verum Dei beneficium accipere illud, quo possumus Deo placere et vitam aeternam consequi. Atqui gratia sufficiens semper veram tribuit potestatem faciendi illud, quod Deo placeat et consequendi vitam aeternam; nam aliter non esset vere sufficiens. Ergo.

(1) In damnatione prop. 6.ae modo afferendae (Denz.-Bannwart, n. 1296).

380. Prob. 2.ª p. Conferre beneficium formaliter est aliquid ex benevolentia donare. Atqui Deus gratiam sufficientem ex benevolentia largitur. Ergo Deus gratiam sufficientem, quum confert, beneficium facit formaliter. Prob. min. Deus singulis hominibus gratiam sufficientem confert ex voluntate illos salvandi: eo enim quod Deus vult omnes homines salvos fieri, ideo singulis gratiam sufficientem largitur. Atqui gratiam sufficientem conferre ex voluntate salvandi, est id facere ex voluntate benevola sive ex benevolentia, ut est manifestum. Ergo.

381. Obj. 1.° Non est beneficium illud, cujus carentia est quid melius. Atqui melior est carentia auxilii sufficientis, quam ipsum auxilium. Ergo. Prob. min. Tum quia cum auxilio sufficiente homo peccat, qui aliter non peccaret; tum quia Christus dixit de Juda, melius futurum fuisse illi non esse, quam cum peccato esse. Ergo.

Resp. Conc. maj., et dist. min.: melior est carentia auxilii sufficientis, quam ipsum auxilium secundum se, neg.; quam ipsum auxilium prout cum dissensu conjunctum, subdist.: ratione ipsius auxilii, neg.; ratione dissensus libere positi, conc. Ad probat. min. 1.ªm etiam dist.: cum auxilio sufficiente homo peccat ex defectu ipsius auxilii, neg.; ex defectu voluntatis libero, conc. Ad 2.ªm prob. min. dicendum Christum non dixisse ipsam existentiam secundum se esse pejorem ipsius carentia, sed hoc dixit de complexu ex gravi peccato et existentia. Praeterea auxilium sufficiens non modo peccare non facit, sed veram tribuit vitandi peccatum potestatem, ad eumque scopum a Deo inditur.

382. Obj. 2.° Non est beneficium illud quod accipienti non est utile. Atqui gratia sufficiens non est utilis accipienti; nam S. Augustinus ait (1): "Tunc utile est velle, cum possumus, et tunc utile est posse, cum volumus: nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus." Ergo.

Resp. Dist. maj.: non est beneficium quod accipienti non est utile ex defectu rei donatae, conc.; ex defectu libero ipsius accipientis, neg. Et simili modo contradist. min. Deinde ad auctoritatem S. Aug. etiam dist.: non est utile posse cum nolumus, quatenus ex illa potestate nullus colligitur fructus, conc.; quatenus ipsum posse non sit utile et verum beneficium, neg.

383. Obj. 3.° Gratia sufficiens magis obest quam prodest. Ergo non est beneficium. Prob. ant. a) Quia gratia haec se habet instar legis, quum nihil faciat, et solum ostendat quid faciendum sit. Sed lex magis nocet quam prodest: dicit (2) enim S. Augustinus: "Usque adeo aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit, nisi adjuvet gratia." b) Quia largitio gratiae pure suffi-

(1) *De gratia et libero arbitr.*, c. 15, n. 31 (M. L. 44, 900).
(2) *De gratia Christi*, c. 8, n. 9 (M. L. 44, 364).

cientis nihil aliud est nisi peccati permissio. c) Quia Deus gratiam hujusmodi confert vel solum ad excusationem impotentiae tollendam, vel in peccati praecedentis poenam. Ergo.

Resp. Neg. ant. Ad a) neg. paritatem; quia gratia sufficiens veram et expeditam tribuit agendi potestatem, quod lex non facit. Haec vero dicitur a S. Aug. plurimum obesse, non formaliter et per se, sed quia esse potest occasio peccandi. Ad b) neg. assertum; nam ipsa gratia sufficiens secundum se est medium, quo posset homo, si vellet, peccatum vitare. Ad c) neg. etiam assert.; nam Deus gratiam sufficientem tribuit, ut homo cum illa operetur et vitam consequatur aeternam. Quod si Deus aliquando non confert auxilium majus ob praecedentia peccata, ipsa collatio auxilii minoris est verum beneficium et ex benevolentia procedit, solumque peccati poena est, quod non majus auxilium conferatur.

384. Obj. 4.° Pro gratia sufficiente nec oratur, nec debet orare quis aut potest. Ergo non est beneficium. Prob. ant. quoad 1.am p., quia nemo postulat a Deo nudum posse, sed ipsam bonam voluntatem et actionem. Prob. ant. quoad 2.am p. Quia non est postulandum, quod jam in nostra habemus potestate. Atqui auxilium sufficiens semper ac est necessarium, jam homini a Deo tribuitur. Ergo. Prob. quoad 3.am p. Quia petens gratiam pure sufficientem, postulat complexum gratiae cum dissensu, quod est quid malum.

Resp. Dist. ant.: pro gratia sufficiente secundum se considerata nec oratur etc., neg.; secundum id quod potest habere denominative a libero hominis dissensu, conc. Ad prob. 1.ae p. dist.: nemo postulat nudum posse, i. e., posse vincere aliquam tentationem aut posse operari salutariter, neg.; i. e., posse tantum, ita ut non habeatur positio actus secundi, conc. Jam vero gratia sufficiens per se tribuit tale posse, quod cum operatione conjungi potest; quod si non conjugatur, ex culpa id ipsius hominis est. Nihilominus fideles frequentius postulant posse et operari, quia utrumque simul aliquid majus est, quam posse praescindendo ab actu secundo; quilibet autem potius postulat majus beneficium quam minus. Ad 2.am p. conc. maj. et dist. min.: auxilium sufficiens semper ac est necessarium, jam homini a Deo tribuitur independenter a precibus, neg.; saepe dependenter a precibus, conc. Ad 3.am p. dist.: petens gratiam pure sufficientem, praecise secundum id quod est auxilium gratiae, postulat complexum gratiae cum dissensu, neg.; si postulet quatenus pure sufficientem seu importantem dissensum, conc.

385. Obj. contr. 2.am p. 1.° Moveri ab inefficacia auxilii ad illud conferendum, vel ex industria seligere auxilia inefficacia et veluti insidiari humanae libertati, non est beneficium formale. Atqui hac ratione confertur gratia pure sufficiens. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Quia Deus non confert auxilia sufficientia eo modo, quo in difficultate innuitur; sed dat gratiam cum voluntate operationem ex ea salutarem obtinendi. Verum tamen est Dum praevidere gratiam pure sufficientem futuram esse inefficacem; verum haec praevisio non daretur, si homo gratiae cooperaretur, ut posset.

386. Obj. 2.° Pater praevidens filium esse pecuniis abusurum in

animi et corporis perniciem, non est beneficus si eas largiatur; item neque si quis alterum invitat ad coenam praevidens illum hac occasione captum et punitum iri est formaliter beneficus. Ergo similiter Deus conferens gratiam cum ipsius abusus praevisione non est beneficus formaliter.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Quia pater tenetur illud filii damnum vitare, quamvis solum per accidens ex pecuniarum traditione sequatur; similiter invitans tenetur ex caritate avertere damnum invitati; sed Deus non tenetur non permittere peccata. Praeterea collatio auxilii sufficientis est quid necessarium, ut homo salutem consequi possit; quod si homo occasione ipsius magis peccat, id malitiae ipsius tribuendum est.

387. **Obj. 3.°** Qui sub disjunctione tenetur aut concedere bonum aliquod, aut non permittere majus malum non est formaliter beneficus, si concedat bonum, et permittit majus malum. Atqui Deus sub disjunctione tenetur aut ad dandum auxilium sufficiens, aut ad non permittendum peccatum, quod est maximum malum. Ergo Deus largiendo auxilium sufficiens et permittendo peccatum non est formaliter beneficus.

Resp. Imprimis negari potest maj.; nam in praesenti providentia tenetur Deus aut creare hominem aut non permittere peccatum, quod est maximum malum; attamen creare hominem et simul peccatum permittere est juxta omnes formale beneficium. Deinde dist. maj.: qui sub disjunctione tenetur aut concedere bonum aliquod, aut non permittere majus malum, non est formaliter beneficus si concedat bonum aliquod cum quo possit libere vitari aliud majus malum, neg.; aliter, transeat. Jam vero Deus largiendo gratiam sufficientem, veram et expeditam tribuit potestatem vitandi peccatum. Praeterea neganda etiam est minor, quia quamvis Deus non impertiret auxilium sufficiens, posset permittere peccatum; etenim sine illo auxilio adhuc haberet homo potentiam saltem physicam ad peccatum vitandum, licet de facto peccaret; verum hoc de potentia Dei absoluta; nam re ipsa Deus omnibus dat gratiam sufficientem ad peccata lethalia vitanda. Postremo negandum quoque est suppositum minoris, nimirum collationem auxilii sufficientis esse veluti conditionem ad permittendum peccatum; nam illa collatio auxilii sufficientis non est conditio ad permissionem peccati, sed virtus ad peccatum vitandum.

388. **Obj. 4.°** Si Deus auxilia sufficientia ex voluntate homines salvandi tribueret, auxilia non impertiret praevisa inefficacia. Atqui impertit hujusmodi auxilia. Ergo, Prob. maj. Qui serio vult aliquem finem, non adhibet media, quibus praevidet eum finem non esse consequendum. Ergo si Deus sincere vellet hominum salutem, ad hanc consequendam non media tribueret praevisa inefficacia.

Resp. Neg. maj. et conc. min. Ad prob. maj. dist. ant.: qui serio vult aliquem finem, non adhibet media, quibus praevidet eum finem non esse consequendum ex defectu mediorum, conc.; ex defectu illius, qui mediis utitur, subdist.: si habeat alia media praevisa efficacia et velit illimitate consecutionem illius finis, conc.; aliter, neg. Jam vero Deus, etsi habeat media efficacia ad salutem hominum consequendam, non vult illa adhibere; quia vult homines salutem consequi per talia media, et non illimitate per quaelibet. Homines tamen si media habeant sufficientia et ef-

ficacia ad aliquem finem consequendum, multoties debent adhibere media omnino efficacia et relinquere quae sunt mere sufficientia; quia homines saepe officio adiguntur aliquem finem consequendi, atque in hoc casu tenentur ad adhibenda aptiora media.

389. Obj. 5.° Deus serio volens hominem cooperari gratiae praevisae inefficaci, vellet aliquid contra suam praescientiam. Atqui Deus non potest aliquid velle contra suam praescientiam. Ergo neque potest conferre auxilium praevisum inefficax ex benevolentia, sive ex voluntate ut sit efficax.

Resp. Dist maj.: Deus serio volens hominem cooperari gratiae praevisae inefficaci, vellet aliquid contra suam praescientiam, i. e., vellet objectum illius praescientiae impediri cooperando gratiae, conc.; vellet illam praescientiam non esse in sensu composito non cooperationis, neg. Igitur Deus habet praescientiam illius non cooperationis, quia homo non cooperatur, velletque suam praescientiam de illa re non esse, sed existere oppositam, i. e. praescientiam de cooperatione.

CAPUT II

De gratia efficaci (1)

Articulus I

Refuntantur systemata hæreticorum

390. Praemitt. 1.° Haeresiarchae hic speciatim refutandi sunt Lutherus, Calvinus et Jansenius. De his haeresiarchis vide quae dicta sunt supra (2). Lutherus et Calvinus, quum uterque post peccatum originale libertatem hominis absolute negent, eo ipso negare debent et re ipsa negant, hominem gratiae posse resistere. Supra (3) adducta sunt verba Calvini dicentis: "Ac voluntatem movet (Deus), non qualiter multis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: sed illam effecaciter afficiendo." Verum sub gratia non affirmant hominem agere violenter, sed sponte et necessario.

Assertiones quidem Jansenii speciatim continentur in quinque propositionibus ejusdem, quas Innocentius X condemnavit (4), et ex quibus infertur Jansenium negasse pro statu naturae lapsae libertatem indifferentiae. Pro praesenti scopo ex opinionibus Jansenii oportet scire eum in homine lapso libertatem indifferentiae negasse, et consequenter hominem lapsum non posse gratiae resistere, et sub gratia victrici necessario operari. Affirmat Jansenius hominem constanter operari secundum majorem seu intensiorem delectationem; ideoque si delectatio gratiae est intensior, necessario sequitur gratiam; et si delectatio terrena est intensior, necessario secundum delectationem terrenam operatur. Secundum Jansenium illa est operatio libera, quae est plene voluntaria et deli-

(1) Quid sit gratia efficax dictum est supra, d. 1, c. 1, a. 3, n. 45, ad finem.
(2) D. 1, c. 4, a. 1, nn. 238, 240.
(3) Loco proxime citato.
(4) Hae propositiones allatae supra, n. 240.

berata, quamvis necessario eliciatur. Item secundum Jansenium homo gratiae resistere non potest; quia si gratia est victrix, seu intensior concupiscentia, necessario trahit ad se voluntatem; et si gratia est minus intensa prae concupiscentia opposita, necessario infert aliquos affectus debiles et inefficaces (1).

391. Praemitt. 2.° Quum haeretici libertatem hominis negent, oportet breviter explicari rationem libertatis. *Libertas* in genere dici posset, immunitas a vinculis et impedimentis; et ita qui non est ligatus, neque impeditus, dicitur liber. Verum haec libertas potius est *negativa* quam *positiva*. *Libertas positiva* in genere definiri potest, potestas expedita ad operandum seu ad eliciendum actum secundum. Haec libertas in *libertatem a coactione* et *a necessitate* dividitur. *Libertas a coactione* habetur, si potentia ita ex propria virtute agat, ut sit immunis ab omni vi eidem extrinseca. Cum hac libertate operantur animantia irrationalia, quum ex se ipsis agunt, et non coguntur vel impediuntur a vi extrinseca. *Libertas a necessitate* est illa, qua tribuitur potestas agendi unum prae altero ex electione subjecti operantis. Haec libertas agentibus rationalibus tantum convenit, et vocatur quoque *libertas indifferentiae,* non quia majorem propensionem in unam partem quam in aliam excludat, sed quia non cogit ad unum prae alio eligendum.

Libertas indifferentiae importat potestatem operandi et non operandi, faciendi unum et alterum ex propria electione; non ita tamen ut simul dari possit positio et negatio actus, volitio et nolitio eodem tempore circa idem objectum. Haec libertas indifferentiae definiri solet: *potentia, quae positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere et non agere, agere unum et alterum.* Unde, sicut dictum est gratiam sufficientem, ut sit vere talis, debere continere omnia necessaria ad operationem elicendam; similiter libertas indifferentiae, ut sit vere talis, debet in se continere omnia necessaria ad operandum ex propria electione, et non requirere novum aliquod elemendum, ut esset praedeterminatio actus. Quare in actu primo potentia libera, ut sit vere talis, requirit non modo omnia principia creata necessaria ad operandum, verum etiam

(1) De Jansenio vide plura apud Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 3, cap. 2, *quaest. dogm.*, a. 2, n. 505 et sq.

Deum esse paratum ad concurrendum, quum nulla actio creaturae dari possit sine concursu Dei (1). Dari in homine etiam in praesenti statu liberum arbitrium, seu libertatem indifferentiae, est de fide, et definititum fuit a Conc. Tridentino dicente (2): "Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam: A. S."

392. Praemitt. 3° Quum haeretici memorati libertatem negent, certe illam negant respectu gratiae efficacis; et sic revera affirmant hominem motionem gratiae necessario sequi. Dicitur gratia efficax illa, cum qua homo re ipsa operatur. Et est doctrina fidei hominem sub gratia efficaci libere operari; nam Conc. Tridentinum definit (3): "Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti et vocanti, quod ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: A. S." Hanc rem esse de fide etiam constat; quia ex una parte de fide est libertatem indifferentiae requiri ad meritum; damnata enim est ut haeretica propositio 3.ª Jansenii (4), nimirum: "Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione." Ex altera vero parte de fide etiam est hominem sub gratia efficaci mereri, quum Tridentinum ita definiat (5): "Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiant, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; A. S."

(1) Vide quae dixi *De Deo Creatore*, d. 1, c. 2, aa. 2 et 5.
(2) *Sess. 6*, can. 5 (Denz.-Bannwart, n. 815).
(3) *Sess. 6*, can. 4 (Denz.-Bannwart n. 814).
(4) Supra adducta, n. 240.
(5) *Sess. 6*, can. 32 (Denz.-Bannwart, n. 842).

THESIS. Homo sub gratia efficaci libere operatur, et rejiciendæ sunt sententiæ Lutheri, Calvini et Jansenii (1)

Utraque pars theseos est de fide: 1.ª p. ex testimoniis jam allatis; et 2.ª p., quia re ipsa in testimoniis allatis sententiae haereticorum damnantur.

393 Prob. 1.° *Ex S. Scrip.* In *Deut.* XXX, 19 et sq. legitur, ita Moysen locutum fuisse: "Testes invoco hodie caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum, atque oboedias voci ejus, et illi adhaereas..." Item in *Eccles.* XV, 18, dicitur: "Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi." Et XXXI, 8-11: "Beatus dives, qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi et non est transgressus: facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum." In his omnibus textibus manifeste asseritur libertas hominis, et quidem in statu naturae lapsae, quum testimonia allata ad homines in hoc statu constitutos referantur; et agitur de libertate sub gratia, quum sermo sit de bonis operibus in ordine ad vitam aeternam.

Hoc ipsum indicatur, quum Paulus dicit *Timotheo* (*I epist.* IV, 7): "Exerce autem te ipsum ad pietatem." Et ad Philemonem dicitur, 14: "Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium." Et in *Apoc.* III, 20: "Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum..." Praeterea in S. Scriptura continentur mandata, consilia, comminationes, exhortationes, etc.; quae quidem omnia libertatem supponunt. Sic apud *Matth.* XIX, 17, legitur: "Si autem vis ad vitam ingre-

(1) Idem dicendum est de sententiis Baii et Quesnelli, de quibus supra actum est, nn. 239 et 241.

di, serva mandata (1)" Et ad *Rom.* II, 5 et sq.: "Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio."

394. 2.° *Ex Conciliis et SS. PP.* Jam antea adductum est Conc. Tridentinum. Et Conc. Valentinum III, dicit (2): "Item de gratia, per quam salvantur credentes, et sine qua rationalis creatura numquam beate vixit, et de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato et sanato, idipsum constantissimi et fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt..." Item Conc. Vaticanum (3): "Quare fides ipsa in se, etiamsi *per caritatem* non *operetur,* donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo oboedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando."

Innocentius X 2.am Jansenii propositionem damnavit (4), in qua asseritur *interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resisti,* ac proinde homo interiori gratiae resistere potest, et hoc ipso cum libertate sub gratia efficaci operari ostenditur. Idem eruitur ex prop. Quesnelli 10.ª damnata a Clemente XI, quae ita se habet (5): "Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare."

395. 3.° *Ex S. Augustino.* Calvinus in testimonio antea allato jam fatetur Patres esse ipsis contrarios; verum ipsi et alii haeretici contendunt S. Augustinum pro ipsis stare; at omnino immerito. Imprimis enim S. Augustinus scripsit *de gratia*

(1) Beatus Robertus Bellarminus probat ex Scriptura a capite 18 inclusive ad 23 etiam inclusive hominem esse liberum in actionibus moralibus in opere *De gratia et liber. arbitrio,* l. 5; et deinde a cap. 24 ad 26 eamdem rem probat ex PP., et a cap. 27 ad 28 ex S. Augustino. Adducit viginti quinque Patres graecos et tot latinos, S. Augustino non numerato. Et antea a cap. 14 ad 17 probavit libertatem ex ratione peccati, ex poenis et praemiis, ex eo quod homines alii sunt boni, alii mali, et denique ex laudibus, exhortationibus, objurgationibus, vituperationibus, etc.

(2) Celebrato an. 855, Valence in Gallia (Denz.-Bannwart, n. 32 et sq.). Hic adducitur can. 6.

(3) *Sess. 3.ª*, cap. 3 (Denz.-Bannwart, n. 1791).

(4) Adducta est n. 240 ex hoc scripto.

(5) Denz.-Bannwart, n. 1360.

et libero arbitrio, in quo libro ostendit et gratiam et liberum arbitrium esse edmittenda. Inter alia haec dicit (1): "Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri et fieri jubet Deus? quomodo jubet, si non est liberum arbitrium?" Et inferius (2): "Proinde, carissimi, sicut superioribus testimoniis sanctarum Scripturarum probavimus, ad bene vivendum et recte agendum esse in homine liberum voluntatis arbitrium; sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quae sint divina testimonia videamus." Et alibi (3): "Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur." Item (4): "Si igitur non est Dei gratia, quomodo (Deus) salvat mundum? et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?" Rursus (5): "Quantum ergo potuimus egimus cum istis et vestris et nostris fratribus, ut in fide sana catholica perseverent: quae neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat."

Atque ipse S. Doctor ita loquitur (6): "Quod liberum arbitrium si non dedisset Deus, Judicium puniendi nullum justum esse posset, nec meritum recte faciendi, nec praeceptum divinum, ut ageretur poenitentia de peccatis; nec ipsa indulgentia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum nostrum Jesum Christum donavit. Quia qui non voluntate peccat, non peccat. Hoc arbitror omnibus apertum esse atque perspicuum. Quapropter non nos movere debet, si aliqua in iis quae Deus fecit molesta patimur pro meritis nostris. Sicut enim ille bonus est, ut constitueret omnia; sic justus est, ut peccatis non parcat. Quae peccata, ut dixi, nisi libera voluntas esset nobis, peccata non essent." Item S. Augustinus, in testimonio ejusdem supra adducto, (7), affirmat voluntatis esse consentire vel dissentire gratiae; non esset autem ita, si volun-

(1) Cap. 2, n. 4 (M. L. 44, 883).
(2) Cap. 4, n. 7, col. 886.
(3) *Epist. 157,* n. 10 (M. L. 33, 677).
(4) *Epist. 214,* n. 2 (M. L. 33, 969).
(5) *Epist. 215,* n. 4, col. 973.
(6) *Contra Fortunatum Manichaeum,* disp. 2, n. 20 (M. L. 42, 121).
(7) N. 347.

tas libertate careret; sed haec deberet agere secundum suam determinationem necessariam. Denique haec dicit (1): "Homini Deus dedit liberum arbitrium, sine quo nec male nec bene vivitur."

396. 3.° *Ratione.* a) Gratia perficit naturam, quum illam ad majorem perfectionem attollat, non illam destruat. Sed gratia efficax, quae est vere gratia, si liberum arbitrium tolleret non illam perficeret, sed pejoris conditionis faceret. Ergo. b) Si homo sub gratia non est liber, sequitur praecepta, minas, adhortationes, consilia, etc. esse inutilia; quia si homo necessario agat, non est in sua potestate adimplere praecepta, sequi consilia, vitare effectus minarum, etc.. c) Nullum esset ponendum studium in virtutibus exercendis; quia non esset in manu hominis uno vel altero modo agere.

397. **Prob.** 2.ª **p.** Sententia Lutheri, Calvini et Jansenii sub gratia efficaci libertatem indifferentiae dari negant; sed probatum est sub gratia efficaci dari libertatem indifferentiae, immo hoc esse de fide. Ergo sententia Lutheri, Calvini et Jansenii rejiciendae sunt. Praeterea memorati haeretici ita gratiam efficacem defendunt, ut gratiam vere sufficientem tollant. Atqui gratia vere suficiens admittenda est, ut supra probatum est (2). Ergo.

Praeterea sententia Jansenii refutatur etiam, quia affirmat hominem in statu naturae lapsae non moveri nisi delectatione; verum supra (3) ostensum est hoc esse falsum, et praeter delectationem formalem, dari alios affectus formales, praesertim timorem, qui hominem ad operandum movent, et quidem etiam efficaciter. Item juxta Jansenium homo majorem delectationem necessario sequitur; sed hoc est falsum; quia vera eligendi potestate gaudet, et potest eligere rem, quae minus delectet, et rejicere majorem delectationem. Et S. Augustinus dicit (4): "Et non faciebam, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat..." Accedit, quod Jansenius non admittit honestatem naturalem, sed juxta illum omnis actus moralis aut est illicita delectatio, aut supernaturalis.

398. **Obj.** 1.° Plura in S. Scriptura innuere videntur gratiam efficacem cum libertate indifferentiae non stare. Nam a) Dicitur Deus in or-

(1) *De Spiritu et littera,* c. 5, n. 7 (M. L. 44, 204).
(2) Disp. 2.ª cap. 1, a. 1.
(3) Disp. 1, c. 1, a. 2, n. 26 et sq.
(4) *Confess.* l. 8, c. 8 (M. L. 32, 758).

dine supernaturali omnia facere, et ideo homini nihil relinquitur. Sic legitur (I *Cor.* XII, 6): "Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus." Et ad *Philipp.* II, 13: "Deus est enim, qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate." b) Voluntati Dei nemo resistere potest; nam apud *Isaiam* (XLVI, 10) habetur: "Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet." Item ad *Rom.* IX, 19: "Voluntati enim ejus quis resistit?" Ergo, quum Deus suam voluntatem per gratiam efficacem obtineat, gratiae efficaci non potest resisti. c) Operatio Dei in ordine gratiae comparatur creationi (*Psal.* L, 12), quae a solo Deo fit; largitioni vitae (*Coloss.* II, 13); suscitationi mortui (*Ephes.* II, 4); regenerationi (*Tit.* III, 5); operationi figuli circa lutum (*Jerem.* XVIII, 6; *Rom.* IX, 21); operatio Dei cor lapideum in carneum convertit (*Ezech.* XXXVI, 26); haec autem omnia significant a solo Deo operationes gratiae pendere. d) Homo per solum Jesum Christum a servitute peccati liberatur (*Joan.* VIII, 34; *Galat.* IV, 31, V, 1). Ergo gratia efficax necessitatem operandi re ipsa inducit.

Resp. Nego in S. Scriptura plura indicare gratiam efficacem cum libertate indifferentiae non stare; et singula, quae opponuntur, declarantur (1).

a) In textibus allatis nullatenus asseritur Deus omnia facere sine concursu creaturae; est quidem verum Deum omnia operari, quum omnia quae a creaturis fiunt, etiam a Deo fiant, et praesertim in ordine supernaturali, in quo creatura est a Deo elevanda, ut in illo ordine agere possit. Profecto in actibus deliberatis supernaturalibus creatura cum gratia semper etiam operatur, et quidem libere, immo etiam in actibus indeliberatis agit, qui quum sint vitales, debent etiam procedere a principio vivente creato, quamvis sine usu libertatis procedant.

b) Si agitur de divina voluntate non respiciente actiones hominum liberas, nullum est incommodum in eo, quod tali voluntati resisti non possit. Si vero voluntas divina actiones liberas hominis respicit, si conditionata tantum sit, non est incommodum, tali voluntati hominem resistere posse. Voluntati vero Dei absolutae et efficaci homo in suis actionibus liberis semper resistere potest, at de facto nunquam resistet; quia, quum Deus velit absolute et efficaciter suam voluntatem impleri, largitur illas gratias, quibus praevidit hominem libere esse consensurum, si illi tribuerentur; et tales gratiae Deo nunquam desunt, quum innumeris modis homines vocari possint, et Deus videat pluribus ex hisce modis voluntatem humanam libere esse consensuram.

c) Operatio Dei in ordine gratiae comparatur creationi; quia producit vitam formalem in ordine supernaturali, quae non supponit nec nititur in altera et a solo Deo fit; et hac ipsa de causa talis actio in ordine gratiae nuncupatur largitio vitae, suscitatio mortui, regeneratio spiritualis. Deinde actio Dei comparatur actioni figuli circa lutum, non quia libertatem tollat, sed propter supremum et absolutum Dei dominium circa res omnes. Item illi tribuitur convertere cor lapideum in carneum;

(1) Vide dicta d. 1, c. 2, a. 3.

quia, per largitionem gratiarum convenientium facere potest, ut cor durum et gratiae non respondens, fiat blandum et gratiae Dei prompte respondens.

d) Item homo a servitute peccati per infusionem gratiae sanctificantis formaliter liberatur, et haec quidem infusio a solo Deo propter merita Christi fit; et ideo, quum non sit operatio, libertati humanae non nocet.

399. Obj. 2.° Ecclesia in suis precibus postulat gratiam, *quae inspirando Sancti Spiritus fervorem reddat nos efficaces, rebelles compellat voluntates, frangat voluntatis pravitatem, quod rigidum est, flectat, et sola efficaciter nos Deo conjungat.* Atqui haec indicare videntur gratiam, quae libertatem adimat. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Quidquid enim in illis precibus postulatur, potest Deus concedere humana libertate servata, nimirum si ea auxilia largiatur, quibus praevidit hominem libere esse consensurum.

400. Obj. 3.° S. Augustinus dicit (1): "Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter (2) ageretur." Et alibi (3): "Et tamen tantum praestat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14)." Haec vero significant hominem sub gratia agi, non agere; ideoque necessario, non libere agere.

Resp. Concedo testimonia S. Augustini, sed prorsus nego ex illis inferri id, quod contenditur. Atque imprimis sensus prioris textus non potest esse gratiam ita movere voluntatem, ut haec in partem oppositam nec inclinari nec separari possit; nam aliter voluntas sub gratia efficaci nec esset libera, nec consentire et dissentire posset, ut non semel docet S. Augustinus. Ideoque voluntas indeclinabiliter et inseparabiliter sequitur gratiam, quia ex propia electione sub motione gratiae praevenientis ita facere statuit. Aliunde Deus ita futurum esse per scientiam mediam praevidit.

Deinde posterior textus indicat hominem per gratiam praevenientem necessario moveri, et ita agi; sed libere potest sequi aut non sequi motionem gratiae praevenientis. Et hoc innuit S. Augustinus verbis, quae post objectionem positam, sequuntur, videlicet: "Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui male agere non potest; et hoc cum fecerit, ab illo se ut faceret, adjutam esse non dubitet, cui dicitur in *Psalmo*: *Deus meus*, misericordia ejus praeveniet me (*Ps.* LVIII, 11) (4)."

401. Obj. 4.° S. Augustinus plura habet, quae innuere videntur hominem sub gratia efficaci necessario agere. Ita dicit (5): "Interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates."

(1) *De correptione et gratia*, c. 12, n. 38 (M. L. 44, 940).
(2) Alibi legitur *insuperabiliter*.
(3) *De gestis Pelagii*, c. 3, n. 5 (M. L. 44, 921).
(4) Vide dicta supra c. 2, a. 3, nn. 116 et 119.
(5) *De gratia Christi*, c. 24, n. 25 (M. L. 44, 373).

Item (1): "Quia si voluisset (Deus), quis eorum (infantium) qui nondum habent voluntatis suae arbitrium, voluntati ejus omnipotentissimae restitisset?" Denique (2): "Sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem." Ergo.

Resp. Profecto major scientia et major potestas requiritur ad obtinendum consensum hominis sine laesione libertatis quam per inclinationem necessariam et efficacem voluntatis in unam partem; quare locutiones *mirabilis et ineffabilis potestas*, *voluntas omnipotentissima*, *omnipotentissima potestas* per se non indicant destructionem libertatis, sed cum conservatione ejusdem cohaerere possunt. Et revera testimonia allata secundum doctrinam S. Augustini non possunt significare gratiam propter divinam omnipotentiam necessario actum salutarem inducere; sed debent significare propter suam omnipotentiam Deum sic movere voluntatem, ut haec cum gratia libere se determinet, et motionem gratiae fideliter sequatur. Hoc sequitur ex doctrina S. Augustini allata in probatione theseos.

402. Obj. 5.° Rursus S. Augustinus sic loquitur (3): "Quomodo ergo *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16), nisi quia ipsa *voluntas*, sicut scriptum est, *a Domino praeparatur* (*Prov.* VIII, 35, secundum LXX)? Alioquin si propterea dictum, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis et misericordia Dei; ut sic dictum accipiamus, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis: ac per hoc si recte dictum est, *non volentis hominis, sed miserentis est Dei*, quia voluntas hominis sola non implet; cur non et e contrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus dicere christianus audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat; restat ut propterea recte dictum intelligatur, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam." In his autem verbis S. Doctor omnia Deo esse danda affirmat, quocirca non est locus libertati sub gratia. Immo S. Augustinus videtur infitiatus esse libertatem, quum dicit (4): "Nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec se ipsum poterit resuscitare cum occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium; a quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est (II *Petr.* II, 19)." Ergo si negat liberum arbitrium, a fortiori illud sub gratia negat.

Resp. S. Doctor in priore textu nullo modo negat libertatem sub gratia; et hoc sufficienter indicat in loco citato ante verba objecta, quum

(1) *Contra Julianum*, l. 4, c. 8, n. 42 (M. L. 44, 759).
(2) *De correp. et gratia*, c. 14, n. 45 (M. L. 44, 943).
(3) *Enchir.* c. 32 (M. L. 40, 248).
(4) *Enchir.* c. 30 (M. L. 40, 246).

dicit: "Cum procul dubio, si homo ejus aetatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernae vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit (*Philipp.* III, 14)." Id quod S. Augustinus vult probare in textu allato est liberum arbitrium per se nihil posse in negotio salutis; et opera debere esse ex gratia ut ad salutem conducant, licet eadem opera etiam ex libero arbitrio sint (1). Atque hunc esse scopum S. Doctoris in textu objecto infertur ex iis, quae dicuntur, loco proxime citato, initio n. 32, videlicet: "Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur praemium, bene operandi ipsa libertas; audiat eumdem gratiae praeconem dicentem, *Deus est enim qui operatur et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13)."

Ad alterum textum omnino negandum secundum S. Augustinum amisisse hominem per peccatum Adae liberum arbitrium; constat enim contrarium ex testimoniis S. Augustini allatis in probatione theseos. Atque ad rem eamdem confirmandam nunc alterum testimonium adjungo, sc. (2): "Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam." Profecto homo per peccatum Adae factus est servus peccati; tum quia a peccato liberari non potest nisi per gratiam Christi; tum quia sine gratia omnia peccata vitare non potest.

403. Pro sententia Jansenii obj. Dicit (3) S. Augustinus: "Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius." Et alibi (4): "Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est." Ergo secundum S. Augustinum necessario sequimur, quod amplius nos delectat (5).

Resp. Conc. ant. et dist. cons.: Opus est nos agere secundum id quod magis nos delectat delectatione deliberata et objectiva et consequente usum libertatis, conc.; secundum id quod magis nos delectat delectatione liberum consensum praeveniente, seu illum antecedente, neg. Etenim non est mens S. Augustini hominem semper agere secundum illud, quod majore suavitate et voluptate illum stimulat et inducit ad operanrum; verum contendit S. Doctor hominem agere secundum illud, quod ipse libere diligit atque amplectitur, in illudque nos tendere ardentius, quod per liberam voluntatem diligimus vehementius. Hanc esse mentem S. Augustini constant; quia S. Doctor apertissime docet libertatem indifferentiae; haec vero omnino periret, si homo necessario deberet sequi id, quod eum magis delectat.

(1) Vide dicta c. 2, a. 3, n. 119.
(2) *Contra duas Epistol. pelagianorum*, l. 1, c. 2, n. 5 (M. L. 44, 552).
(3) *De peccator. merit. et remiss.*, l. 2, c. 17, n. 26 (M. L. 44, 167).
(4) *Epist. ad Galat. exposit.*, n. 43 (M. L. 35, 2140).
(5) Vide etiam *De diversis quaestion. ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 21.

Praeterea dicit (1) S. Augustinus: "Manifestum est certe secundum id nos vivere quod sectati fuerimus; sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso existant duo, praeceptum justitiae, et consuetudo carnalis, et utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus: si tantumdem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur; sed aut timore, aut inviti trahemur ad alterutram partem; aut si utrumque aequaliter timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis et timoris alternante quassati." Certe his verbis S. Augustinus significat nos sectari id, quod ex libera dilectione amplectimur; non id quod necessario ad se trahit. Id ipsum eruitur ex aliis verbis S. Doctoris, sc. (2): "Quid est quod dixi? Ut inter omnia quae delectant, plus te delectet ipsa justitia; non ut alia non delectent, sed plus ipsa delectet." Et inferius (3): "Ergo prae voluptatibus, hoc est delectationibus etiam licitis, amanda est." Hic Sanctus Pater hortatur, ut justitia prae omnibus diligatur; haec autem exhortatio esset inutilis, si homo necessario deberet amare id, quod ipsum plus delectet.

Nec verba *nolunt homines facere quod justum est, quia non delectat*, possunt significare hominem non operari nisi ex delectatione; nam ipse S. Doctor admittit hominem ex aliis affectibus operari. Sic dicit (4): "Cum enim timetur poena quam minatur (Dominus), discitur amari praemium quod pollicetur: et sic per timorem poenae bona vita retinetur." Item dicit (5): "Non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quaeras... Aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor vel dolor... Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum." Denique etiam docet (6): "Si autem jam christiani sunt, et recte vivere negligunt; verberentur terroribus, et praemiorum laudibus erigantur."

404. Inst. Dicit (7) S. Augustinus: "Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiae suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod praecipit, quam delectat quod impedit." Hic autem indicatur delectationem indeliberatam esse illam, quae nos cogit ad illam sequendam.

Resp. Conc. ant. et nego quod ex illo infertur. Imprimis in testimonio allato nullatenus asseritur, saltem expresse, delectationem indeliberatam nos cogere ad amplectendum ipsius objectum. Verum sensus obvius secundum contextum est, ut ille, qui *concupiscentiam malam non vicerit*, confungiat ad divinam misericordiam, ut talem gratiae suavitatem consequatur, qua motus amplectatur quod Deus praecipit (plus delectet, quod Deus praecipit), et relinquat concupiscentiam (quae minus delectet). Qua-

(1) Eodem loco proxime citato, n. 54, col. 2142.
(2) *Sermo 159*, n. 2 et sq. (M. L. 38, 868).
(3) N. 4.
(4) *Sermo 348*, c. 1 (M. L. 39, 1527).
(5) *De corrept. et gratia*, c. 5, n. 7 (M. L. 44, 919).
(6) *De natura et gratia*, c. 68, n. 82 (M. L. 44, 288).
(7) *De spiritu et litter.* c. 29, n. 51 (M. L. 44, 233).

re re ipsa *plus delectare, quam delectet* referuntur ad delectationem deliberatam, seu ad acceptationem praecepti Dei et recusationem objecti oppositi.

Articulus II

Efficacia gratiæ non consistit in præmotione physica

405. Praemitt. 1.° Plures auctores asserunt gratiam esse efficacem propter praemotionem, seu praedeterminationem physicam, quam secum fert, quatenus est efficax. Quid sit praemotio seu praedeterminatio physica explicavi in *Tractatu de Deo Creatore* (1), ubi ex Goudin ita illam definivi (2): "Praemotio physica est influxus causae primae receptus, non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitem inspirat, quo eas movet et applicat, non solum objective, ac moraliter, alliciendo et suadendo, sed etiam physice et active, interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo; et ideo dicitur motio physica. Sed quia motio, et applicatio virtutis activae ad agendum est prius natura, quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, et omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur praevia, seu praemotio, quam rite comparaveris illi impulsui, quo voluntas movet potentias sibi subditas..."

Goudin raliter distinguit (3) concursum simultaneum a concursu praevio (4); dicit enim: "Motio moralis solum invitat ad agendum: physica vero intrinsece et active applicat ad agendum: concursus autem simultaneus creaturae agenti cooperatur. Prima movet solum objective per modum finis alliciendo. Secunda movet effective, per modum agentis applicando. Concursus vero simultanus nullatenus movet causam, sed se habet solum per modum concausae, cooperando et adjuvando."

(1) Disp. 1, c. 2, a. 3.ª
(2) *Metaphys.*, d. 2, q. 3, a. 2.
(3) Eodem loco citato paulo inferius.
(4) Nonnulli videntur reprobare praedeterminationem vel praemotionem physicam vocari concursum praevium; sed immerito, quia praemotio physica est verus concursus in operationem humanam, et illam aliquo modo praecedit, et sic est concursus praevius.

Idem Goudin affirmat (1): "Divina motio agentibus contingentibus et liberis, agendi contingentiam et libertatem non aufert, licet in sensu composito repugnet, ut Deus moveat ad agendum, et tamen agens non agat."

Alvarez (Didacus) praemotionem physicam tribus conclusionibus ita declarat (2): 1.ª concl. est: "Id, quod a Deo fit in causis secundis, quo actualiter agant, est aliquid habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis." 2.ª: "Hoc ens incompletum praevium actioni causae secundae producitur in illa effective a solo Deo, et nullo modo dependet efficienter ex influxu ipsius causae secundae." 3.ª: "Quoties causae secundae, sive ordinis naturalis sint, sive supernaturalis, habent ratione formae sibi inhaerentis, sufficientem virtutem activam per modum actus primi, proportionatam cum effectu; tunc auxilium Dei, seu motio praevia, qua Deus movet et applicat easdem potentias activas ad operandum, non est qualitas, sed proprio vocabulo dicitur *motio virtuosa*, qua primum agens universalissum efficit, ut causae secundae actualiter operentur, unaquaeque juxta modum sibi propium."

Idem Auctor realiter distinguit concursum praevium a simultaneo his verbis (3): "Ad octavum respondetur, influxum Dei simultaneum, quo Deus cum libero arbitrio se determinante concurrit simul ad eliciendum actum liberum, nihil esse aliud, nisi actum liberum, quatenus procedit a Deo. Ceterum auxilium, quo Deus applicat et praemovet liberum arbitrium et efficit ut se determinet, non est realiter ipse actus liber, sed aliquid praevium ad illum."

Denique ipse P. Alvarez docet (4) liberum arbitrium in sensu composito praemotionis physicae sive gratiae efficacis non posse dissentire, his verbis, sc.: "Si fiat compositio auxilii efficacis cum actuali dissensu, impossible est in sensu composito, quod motus a Deo auxilio efficaci ad consentiendum, dissentiat auxilio gratiae vel illud abjiciat."

Joannes a S. Thoma praemotionem physicam ita describit (5):

(1) *Metaphys.*, disp. 2, a. 6.
(2) *De auxiliis divinae gratiae*, l. 3, disp. 19.
(3) Loco citato, ad octavum.
(4) Lib. 9, disp. 92.
(5) *Philosophia naturalis*, q. 25, a. 2.

"Praevius iste concursus realiter movens causam secundam non est qualitas aliqua per modum virtutis in actu primo, nec aliquis actus seu effectus ab ipsa causa secunda procedens, quo se moveat ad alium actum; sed est quaedam motio Dei, non dans activitatem, sed activitatis applicationem ad effectum, et si est qualitas, est per modum motionis et transeuntis." Et secundum eumdem Auctorem non possumus resistere praemotioni physicae in sensu composito ipsius, sive in sensu composito auxilii efficacis. Ita enim loquitur (1): "Verificatur ergo quod non possumus resistere auxilio potentia consequenti, et in sensu composito, et conjungendo actum cum actu; possumus autem resistere in sensu diviso, et potentia antecedenti, scilicet quantum est ex parte modi, quo per tale auxilium operamur."

Et idem Joannes a S. Thoma concursum praevium a simultaneo realiter distinguit; dicit (2) enim: "Tertia sententia simpliciter fatetur dari praemotionem distinctam a concursu simultaneo, quae physice et realiter ponit et imprimit aliquid in ipsa causa inferiori, estque complementum, et applicatio ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum ultimae determinationis, et applicationis actus primi ad secundum. Ita communiter schola D. Thomae et ejus discipuli, tam recentiores, quam antiqui..."

Salmanticenses ita loquuntur de *concursu praevio* (3): "Nomine igitur *concursus praevii* intelligitur novum auxilium diversum tam ab habitibus, et auxiliis constituentibus hominem in actu primo, quam a concursu Dei simultaneo, mediatque quodammodo inter illa. Quod satis ab effectu, pro quo inducitur, suadetur: nec est vis operativa, nec actualis operatio, sed est motio vim operativam operationi conjungens: applicat quippe vires activas ad exercitium."

Apud eosdem Salmanticenses haec habentur (4): "An concursus praevius possit per divinam potentiam separari a simultaneo, sive (et in idem redit) an fieri divinitus possit, quod Deus praedeterminet creaturam ad agendum, et quod non succedat ope-

(1) Loco citato, a. 3.
(2) Loco citato, a. 2.
(3) *De gratia*, q. 111, d. 5, dub. 6, §. 1.
(4) *De gratia*. disp. 7, dub. 6.

ratio? Respondetur negative cum communi thomistarum sententia..."

Billuart ita loquitur (1) de praemotione physica: "Tandem thomistae communiter reponunt efficaciam gratiae in praemotione seu praedeterminatione physica. Per praemotionem seu praedeterminationem physicam nihil aliud intelligunt quam applicationem activam potentiae ad actum secundum modum ejus, scilicet, ut agat libere, si sit potentia libera, necessario, si sit necessaria. Porro, supposito quod detur talis praemotio, nemo negare potest quin sit modus expeditissimus explicandi efficaciam gratiae; cum enim repugnet esse applicationem activam sine passiva, sequitur esse infallibilem connexionem inter gratiam applicantem voluntatem ad actum et voluntatem agentem."

Billuart distinguit concursum simultaneum a praevio his verbis (2): "Non enim per concursum simultaneum Deus movet causam secundam ad agendum, nec facit ut faciat, sed facit tantum cum illa; alioquin, ut jam dictum est, non foret simultaneus, sed praevius: ad subordinationem autem in agendo, non sufficit quod producat actionem cum causa secunda, nec quod faciat cum illa, sed requiritur quod illam moveat et determinet ad agendum et faciat ut faciat."

Denique Del Prado haec de physica praemotione dicit (3): "Characteres essentiales physicae praemotionis. Nunc ergo, etsi non omnis praemotio physica sit gratia efficax, omnis tamen gratia efficax formaliter constituitur per praemotionem physicam. Notae vero seu essentiales praemotionis physicae characteres, quibus intrinsecam divinae gratiae efficaciam probare intendimus, ad sequentia reduci possunt:

1.° Physica praemotio est Dei motio immediata immediatione suppositi in ipsam potentiam liberi arbitrii.

2.° Est Dei motio immediata immediatione virtutis in ipsum actum liberi arbitrii.

3.° Est Dei motio determinans ad unum potentiam liberi arbitrii.

4.° Est Dei motio faciens nos velle hoc vel illud.

(1) *De gratia*, dissert. 5, a. 7, §. 3.
(2) Eodem loco, paulo inferius.
(3) *De gratia et liber. arbitr.*, p. 2.ª, c. 4, §. 1 ad finem.

5.° Est Dei motio, ad quam necessario necessitate infallibilitatis sequitur effectus in potentia liberi arbitrii, qui est eligere vel consentire."

Del Prado identificat concursum praevium et simultaneum; ita enim loquitur (1): "Motio Dei, qua Deus dat creaturae virtutem operandi, et motio, qua conservat virtutem operativam in esse suo, potest dici una motio; et pariter motio Dei, qua Deus applicat virtem propriam creaturae ad agendum, et motio, in cujus virtute omnis alia virtus creaturae agit, potest etiam dici una motio."

406. Praemitt. 2.° Ex testimoniis allatis infertur praemotionem physicam esse motionem seu qualitatem transeuntem, qua potentiae creatae ita ad operandum applicantur, ut modo infallibili et inevitabili sequatur operatio in sensu composito physicae praemotionis. Quocirca dari praemotionem physicam ad aliquam operationem. et non sequi operationem omnino repugnat. Haec praemotio physica juxta communiorem sententiam defensorum ipsius a concursu simultaneo realiter distinguitur; sed nonnulli cum concursu simultaneo eam identificant, et asserunt concursum prius natura esse a Deo quam a creatura, et quatenus est a Deo, prius natura esse concursum praevium (2). Hanc sententiam amplectitur Norbertus del Prado (3). Quum propugnatores praemotionis physicae eam fundent in natura Dei et in natura creaturae, secundum illos praemotio physica est necessaria sive in ordine naturali, sive in supernaturali; nam Deus est auctor sive ordinis naturalis, sive supernaturalis, et uterque ordo, seu creaturae operantes per principia sive unius sive alterius ordinis similiter in omnibus a Deo dependent eique omnino subjiciuntur.

(1) Loco citato, cap. 7, concluss. 4.ª.

(2) P. Alvarez (Didacus) adducit duas sententias circa praemotionem physicam (*De auxiliis divinae gratiae*, l. 3, disp. 19) praeter illam, quam ipse sequitur et de qua supra facta est mentio. De aliis duabus sententiis sic loquitur: "Prima sententia est quorumdam thomistarum asserentium, praemotionem primae causae in secundis causis receptam, qua ad operandum moventur et applicantur esse qualitatem, non quidem per modum permanentis, sed per modum dispositionis transeuntis cum operatione causae secundae." Et de altera dicit: "Affirmat auxilium, seu motionem actualem, qua Deus movet et applicat causas secundas ad operandum, esse aliquid receptum in ipsis causis secundis, prius natura, quam operentur: et si inquiratur, quid sit, respondent, esse realiter ipsam operationem causae secundae, quatenus procedit a Deo eam applicante et promovente efficaciter ad operandum. Ex quo inferunt, quod praemotio efficax, seu praedeterminatio, qua Deus praedeterminat voluntatem ad actionem liberam, non sit distincta realiter a determinatione actuali, qua voluntas se ipsam determinat per suam operationem, sed eadem. Cum enim voluntas formaliter se determinet eliciendo actum liberum, idem actus, secundum quod procedit a Deo praemovente, dicitur praedeterminatio Dei; quatenus vero procedit a voluntate simul tempore, sed posterius natura cooperante, dicitur determinatio voluntatis."

(3) Loco antea citato.

407. Praemitt. 3° In *Tractatu de Deo Creatore* generatim probavi (1) praemotionem physicam prorsus esse rejiciendam; ideoque in ordine sive naturali, sive supernaturali. In praesenti nova afferam argumenta ad ostendendum gratiam efficacem non consistere in praemotione physica. Ita docent communiter auctores Societatis Jesu cum aliis.

THESIS. Gratia efficax non consistit in præmotione physica (2).

408. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* a) Ex*Matth.* XI, 20 et sq., ubi legitur: "Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam. Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent." Ex his autem sic arguitur: Christus manifeste affirmat tyrios et sidonios acturos esse poenitentiam, si illis tribuerentur media, quae data sunt habitatoribus Corozain et Bethsaidae. Atqui hoc indicat gratiam efficacem non consistere in praemotione physica. Ergo. Major sunt ipsa verba Christi, et licet Christus de gratia non loquatur, haec subauditur; quia sine gratia agi non potest poenitentia salutaris. Minor vero probatur: quia tyrii et sidonii poenitentiam egissent cum iis mediis, quae habitatoribus Corozain et Bethsaidae communicata fuerunt; hoc

(1) Disp. 1.ª, a. 3 et a. 5, praesertim n. 198.

(2) De sententia propugnante praemotionem physicam ut gratiam efficacem, sic loquitur Beatus Bellarminus (*De gratia et lib. arbitr.*, l. 1, c. 12): "Est igitur alia sententia in alio extremo aliorum, qui docent gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quae determinat voluntatem ad volendum et eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum; et quia non potest fieri, ut Deus physice determinet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur et velit id, ad quod determinatur, ideo fieri non potest ut gratia ista non habeat effectum infallibilem. Haec opinio videtur mihi aut esse omnino eadem cum errore Calvini et Lutheranorum, aut parum ab illo distare. Et quemadmodum opinio superior destruebat gratiam efficacem et simul praedestinationem; ita haec opinio destruit gratiam sufficientem, et simul tollit e medio liberum arbitrium; nam ista determinatio voluntatis, quam gratia efficere dicitur, est necessaria ad hoc ut voluntas moveatur."

De eadem sententia haec dicit P. Suarez (*De vera intelligentia auxilii efficacis*, cap. XLVI, et ultimum, ad finem): "Ex omnibus praecedentibus concluditur, doctrinam hanc de praedeterminatione physica, qualem explicavimus, non solum non videri nobis necessariam ad veram et efficacem Dei gratiam defendendam, verum potius ad eum finem esse supervacaneam, et aliunde sufficientem gratiam evertere, libertatis usum de medio tollere, ac proinde haereticis hujus temporis favere; ideoque dignam esse ut per Ecclesiae censuram damnetur, vel potius jam damnata declaretur. Nam, licet non sub ea voce, sub aliis aequivalentibus jam damnata est, ut quod gratia necessitatem inducat; necessitas enim et praedeterminatio ad unum idem sunt, tanquam definitio et definitum, ut dixi; item, quod gratia tollat libertatem; nam proinde est quod tollat indifferentiam, vel quod gratia praeveniens ita moveat, ut ei non possit resisti; nam hoc ipsum faceret illa gratia efficax tali modo."

enim indicat Christus *de virtutibus*, et hoc ipsum supponit de gratia; quia aliter tyrii et sidonii non potuissent poenitentiam agere cum mediis, quae habitatoribus Corozain et Bethsaidae communicata sunt. Atqui inter media communicata habitatoribus Corozain et Bethsaidae praemotio physica non continebatur; quia si communicata esset, poenitentiam egissent; quum repugnet dari praemotionem ad aliquem actum, et hunc actum non haberi. Ergo tyrii et sidonii egissent poenitentiam cum gratia efficaci; et haec gratia efficax non esset praemotio physica.

Hic inutiliter videtur ab adversariis opponi alios prae aliis respondisse gratiae, et hac de causa alios prae aliis gratiam efficacem esse accepturos; haec enim oppositio non videtur dari posse in systemate praemotionis physicae; quia in hoc systemate si datur praemotio, dabitur actus praemotus, et si praemotio non detur, nulla operatio nec bona, nec mala dari potest.

b) II *Cor.* VI, 1, dicitur: "Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis." Haec exhortatio Apostoli non est inutilis; atqui esset prorsus inutilis, si gratia efficax consisteret in praemotione physica; quia posita praemotione physica, infallibiliter habebitur cooperatio; et non posita, nulla operatio creaturae haberi potest. Unde Apostolus in systemate praemotionis physicae debuisset dicere: *Adjuvantes autem rogamus Deum, ut gratiam efficacem vobis largiatur.*

c) *Apoc. III*, 20, legitur: "Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum." Si praemotio physica esset gratia efficax, videtur Christus debere dicere: *Ecce sto ad ostium, et pulso, dabo gratiam efficacem, ut audiar et aperiatur mihi janua*, et hoc modo infallibiliter audietur Christus, et aperietur ipsi janua, sed sine praemotione physica homo nihil potest facere, neque naturale neque supernaturale.

409. 2.° *Ex Conciliis.* Ex Conc. Tridentino dicente (1): "Declarat praeterea (Sancta Synodus), ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant,

(1) *Sess.* 6, cap. 5 (Denz.-Bannwart, n. 797, ed. 13.ª).

per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit." Et idem Concilium etiam dicit (1): "Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere. A. S."

Imprimis Tridentinum in testimoniis allatis loquitur de gratia efficaci; loquitur enim de illa gratia, cui voluntas *assentitur, cooperatur,* quam recipit; haec autem est sola gratia efficax, seu quae effectum habet. Deinde Concilium affirmat in sensu composito talis gratiae voluntatem posse *illi dissentire, illam abjicere;* hic namque est sensus obvius, praeterquam quod in sensu diviso, seu quum non datur gratia, voluntas illi dissentire aut illa abjicere non potest. Nec prodest quidquam dicere in sensu diviso dari potentiam *dissentiendi et abjiciendi;* quia talis potentia esset inutilis. Non enim potest dissentire gratiae vel illam abjicere, quum haec non detur; et praeterea talis potentia in actum reduci non potest; non certe in sensu composito, ut fatentur defensores praemotionis physicae; verum nec in sensu diviso; quia potentiae creatae sine praemotione agere nequeunt.

Accedit quod Tridentinum damnavit Calvinum, qui asserebat, (2) sub motione Dei hominem necessario agere; ac proinde secundum Tridentinum hominem sub motione Dei, et ideo in sensu composito, libere agere. Nec prodest dicere Concilium non damnasse hominem sub praemotione physica agere libere; verum est enim hoc, scilicet Concilium expresse non damnasse hominem sub praemotione physica agere libere; tamen affirmat sub motione gratiae hominem posse *dissentire* et abjicere gratiam; ideoque virtualiter improbat gratiam physice praedeterminantem, quae non

(1) Eodem loco, can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 814).
(2) Vide supra, n. 238.

sinit dissentire gratiae vel eam abjicere, sed tantum illi consentire (1).

Nec refert quod Concilium non adhibeat vocabulum *resistere;* tum quia dissentire gratiae vel eam abjicere, revera est ipsi resistere et suum effectum impedire, tum quia Concilium Vaticanum pro hac ipsa re vocabulum *resistere* adhibet. Sic enim loquitur (2): "Quare *fides*... donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo oboedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando."

Id ipsum suadetur ex Conc. Senonensi (3), ex quo longum paragraphum transcribo, ut ex illo difficultates adversariorum facile solvi possint. Ita se habet (4): "Cum igitur reliquerit Deus hominem in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem et aquam, bonum et malum, ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum suam: nec abs re beatus ille dicatur qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit: quod sub eo sit appetitus ejus, et dominetur illius; ac denique percurrenti Sacram Scripturam passim obviam fit, quod liberum in utramvis partem hominis arbitrium asseveret: satis esse visum est sacro provinciali concilio libertatis hujusmodi vires et metas exponere. Neque enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam; quod illi falso toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere. Sed juxta Sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiae praevenientis auxilio suffulta, et interiori quodam et occulto secretioris inspirationis afflata contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, et ad veram illam gratiam se praeparet, quae tandem accepta sit ad vitam aeternam. Neque tamen tanta gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, in quo Deus non stet ad ostium, et pulset; cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum. et coenabit cum illo. Nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. "Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos

(1) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 5, c. 33 et sq.
(2) *Constitutio de fide catholica*, cap. 3.
(3) Mansi, *Collect. Concil. ampliss.*, tom. 32, col. 1150. Hoc Concilium celebratum fuit anno 1528, praeside primate Galliarum et Germaniae.
(4) Mansi, loco citato, col. 1176.

suos sub alas, et noluerunt?" Frustra certe Stephanus judaeos durae cervicis et incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resisterent. Frustra Paulus thessalonicenses admoneret Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.. "Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus; non vi, non unco raptamur (1)."

410. 3.° *Ex PP.* Non esse admittendam praemotionem secundum doctrinam Patrum probavi in *Tract. de Deo Creatore* (2), ideoque neque ut gratia efficax est admittenda. P. Beraza ex quinque capitibus ostendit (3) praemotionem physicam non esse gratiam efficacem secundum Patres. Testimoniis allatis in Tractatu memorato addam pauca aliqua. S. Joannes Chysost. inquit (4): "Deus, utpote clemens et beneficus, dilecte, nihil non agit et operatur, ut nos virtute splendidi simus; quod nos velit acceptos probatosque esse; idque non vi aut necessitate, sed suasione et beneficiis suis volentes omnes allicit et ad se trahit. Quamobrem venientem illum alii receperunt, alii secus. Nullum enim vult invitum vel necessitate coactum servum habere; sed omnes libenter et ex voluntatis proposito venire... Nostrae salutis causa tantum omnia facit, hocque nostro arbitrio et voluntati permittit: ideoque nolentibus nullam vim aut necessitatem infert." Et S. Cyrillus Alex. (5): "Suos vero discipulos ita servasse ait, tantamque eorum curam habuisse, ut nemo praeter unum perierit, quem et perditionis filium nuncupavit, tanquam ex sua voluntate seu potius improbitate et impietate perditioni mancipatum. Non enim existimabimus unquam divino et inexpugnabili judicio illum inter discipulos proditorem implicitum fuisse diaboli retibus; alioquin enim culpa vacaret, si superno decreto cessisset: Dei enim judicio quis resistet?" Nunc vero damnatus et execrabilis, meliusque ei esset si natus non fuisset. Quam ob causam? Quippe sua istud voluntate, non ex ulla necessitate, misere passus deprehenditur."

(1) Vide P. Suarez, *De gratia, Proleg.* VI, cap. 5, et l. 5, c. 39.
(2) Disp. 1. cap. 2, a. 3, n. 149 et sq.
(3) *De gratia Christi*, n. 546.
(4) *Homil. 10 in Joan.*, n. 1 (M. G. 59, 75).
(5) *In Joann. Evangel.*, l. 11 (M. G. 74, 522).

Denique S. Hieronymus inquit (1): "Aliud quippe Dei opus est, aliud hominum. Dei opus est, vocare: hominum vel credere, vel non credere. Et sicubi de Scripturis liberum hominis affirmatur arbitrium, ut ibi: *Si volueritis et audieritis me* (*Exod.* XIX, 5)... Sive ergo in bonam, sive in malam partem, nec Deus, nec diabolus in causa est, quia persuasio nostra non est ex eo qui vocabit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti."

411. 4.° *Ex S. Augustino.* Testimonia hujus Sancti Doctoris allata n. 395, re ipsa contra praemotionem physicam sunt. Addam hic tamen alia.

1.° Homo secundum S. Augustinum potest eligere inter unum et alterum, consentire et dissentire gratiae, venire et non venire, si vocetur. Atqui omnia haec praemotioni physicae repugnant; quia posita praemotione physica inevitabiliter debet homo elicere actum singularem et determinatum, ad quem praemovetur, ut constat ex doctrina defensorum praemotionis physicae, et seclusa praemotione, nihil agere potest. Prob. maj. Sic loquitur S. Doctor (2): "Nemo enim nisi Deus facere arborem potest: sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quae bona sunt, et esse arbor bona; aut eligere quae mala sunt, et esse arbor mala." Item dicit (3): "Verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est." Et paulo post addit: "Profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis." Denique inquit (4): "Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate."

2.° Secundum doctrinam S. Augustini eadem gratia in uno est efficax, in alio non. Hoc autem in systemate praemotionis physi-

(1) *Commentar. in Epist. ad Galat.*, cap. V, v. 8 (M. L. 26, 402).
(2) *De actis cum Felice manichaeo*, l. 2, c. 4 (M. L. 42, 538).
(3) *De spiritu et litt.*, c. 34, n. 60 (M. L., 44, 240).
(4) *De 83 quaest.*, q. 68, n. 5 (M. L. 40, 73).

cae non stat; quia omnes physice praemoti motionem gratiae sequuntur. Ita loquitur (1) S. Augustinus: "Si enim aliqui duo aequaliter affecti animo et corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret; quid putamus esse causae, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?... Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria voluntate, ubi eadem fuerit in utroque corporis et animi affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo, ambobus pariter institit occulta tentatio..."

3.° Secundum S. Augustinum Deus homines ad ipsum trahit suadendo, alliciendo. Sic dicit (2): "Verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem..." Item (3): "Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat?" Denique alibi (4): "Porro si poetae dicere licuit *trahit sua quemque voluptas;* non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitidine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est?"

4.° Secundum S. Augustinum, ut inferius probabitur, gratia est efficax, non quia importet praemotionem physicam; sed quia congruit illi, cui communicatur.

412. 5.° Praemotio physica, ut supra ostensum est (5), non sinit dari gratiam vere sufficientem, quae non sit efficax. Atqui secundum doctrinam catholicam, quae docet Deum velle serio, vere, et sincere salutem omnium hominum, admittenda est gratia vere sufficiens et carens effectu. Ergo.

413. 6.° *Ratione.* Praemotio physica libertatem tollere videtur; nam de ratione libertatis est, ut omnes videntur admittere,

(1) *De civitate Dei*, l. 12, c. 6 (M. L. 41, 354).
(2) *De spiritu et litt.*, c. 34, n. 60 (M. L., 44, 240).
(3) *De peccatorum meritis et remiss.*, c. 19, n. 33 (M. L. 44, 170).
(4) *Tractatus 26 in Joan.*, n. 4 (M. L., 35, 1608).
(5) Disp. 2, cap. 1, a. 2.

posse eligere inter duo extrema, inter agere et non agere, agere unum et agere alterum. Atqui praemotio physica omnem potestatem eligendi aufert. Ergo aufert libertatem. Prob. min. Si datur praemotio physica, homo non potest eligere inter unum et alterum antequam physice praemoveatur; quia creaturae nisi physice ad agendum praemoveantur, nihil agere possunt. Nec potest eligere cum praemotione physica, quia haec inevitabiliter et omnino independenter a voluntate humana determinat ad unum singulare, et non potest inter duo eligere, sed amplecti prorsus debet id, quod est praedeterminatum. Immo praedeterminatio physica videtur Deum auctorem peccati constituere; quia nullus actus elici potest sine praemotione ad illum, ideoque si actus peccati elicitur, datur praemotio ad illum; et quum talis actus respectu hominis sit peccatum formale, Deus ad actum peccati, et ad peccatum praedeterminat; talis actus enim elicitus cum plena cognitione respectu creaturae semper est peccatum formale. Similiter quilibet homo elicere non potest, nisi eos actus virtutis et vitii, ad quos a Deo praedeterminatur.

Nec dicas Deum non solum praemovere ad substantiam actus, sed ad modum ipsius, seu ad hoc, quod actus sit liber. Nam si Deus vult ut sit actus et sit liber, debet ponere ea, quae ad libertatem actus sunt necessaria; per praemotionem vero non ponuntur necessaria ad actum liberum, sed necessaria ad actum eliciendum sine libertate; quia nihil adeo oppositum libertati, sicut determinatio ad unum. Unde sicut repugnat, quod Deus illuminet per tenebras, vel det visum per caecitatem, aut quietem per motum, similiter videtur repugnare Deum largiri homini actum liberum per praedeterminationem ad unum; nam sicut tenebrae nequeunt illuminare, quia sunt carentia lucis; et caecitas visum tribuere non potest, quia est carentia visus; et motus quietem dare non potest, quia est carentia quietis; etiam praemovere ad unum singulare et determinatum non potest libertatem actui tribuere; quia libertas requirit carentiam determinationis ad unum, et est potestas eligendi saltem inter duo extrema. In *Tractatu de Deo Creatore* (1) ostendi S. Thomam ad libertatem requirere, ut voluntas se ipsam determinet, concurrente tamen Deo.

(1) Disp. 1, c. 2, a. 5, n.198.

Nec juvat dicere, dum judicium indifferens servetur, servatur libertas; nam intellectus non est potentia libera, ideoque ratione sui non habet actum liberum. Verum nec indifferentia judicii pro duobus vel pluribus extremis tribuit libertatem voluntati; quia haec, stante judicio indifferenti, ad unum determinari potest, et re ipsa determinatur secundum propugnatores praedeterminationis physicae; et praedeterminare ad unum, tollit indifferentiam et impedit liberam electionem.

Difficultates ex S. Scriptura solutae n. 398, et ex ibi dictis aliae difficultates similes solvi possunt.

Praecipuae objectiones ex S. Augustino expositae sunt nn. 87, 120, 359, 360, 361, 362, 400, 401, 402, 403, 404.

414. Obj. 1.° *Aliqui PP. physicae praedeterminationi favent.* Sic Tertullianus dicit (1): "Haec erit vis divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem..." Et S. Basilius (2): "Sed auxilium potius, quod per imperium suae potentiae operatur in nobis." Item S. Ambrosius (3): "Non enim in potestate nostra est cor nostrum..." Rursus S. Prosper (4): "Quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis oboedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi oboediendique generaverit." Denique S. Fulgentius (5): "Ista gratia, quam Deus vasis misericordiae gratis donat, ab illuminatione cordis incipit; et hominis voluntatem non bonam invenit ipsa, sed facit; atque ut eligatur, ipsa prius eligit; neque suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur. Ergo et susceptio et desiderium gratiae opus ipsius est gratiae."

Resp. *Neg. assertum, et singulos PP. explico.* Tertulliani verba solum significant hominem cum gratia posse converti et mutari; agit enim Tertullianus contra valentinianos, qui negabant hominem converti posse. Verba S. Basilii hunc sensum facere videntur, scilicet Deum per imperium suae potentiae auxilium gratiae in nobis operari sive producere; relativum enim *quod* in accusativo invenitur. S. Ambrosius loquitur de cogitationibus et affectionibus, quae usum liberi arbitrii praeveniunt. Postremo S. Prosper et S. Fulgentius tantum affirmant opera salutaria debere esse ex gratia; et possunt esse ex gratia sine determinatione ad unum.

Objectiones quae ex verbis S. Thomae fieri possent, solvi in *Tractatu de Deo Creatore* (6).

415. Obj. 2.° Praemotio physica se tenet ex parte operationis seu

(1) *De anima*, c. 21 (M. L. 2, 727).
(2) *De Spiritu Sancto*, c. 8, n. 18 (M. G. 32, 99).
(3) *De fuga saeculi*, c. 1, n. 1 (M. L. 14, 597).
(4) *Epist. ad Rufinum*, n. 6 (M. L. 51, 81).
(5) *De veritate praedestinat.*, l. 1, c. 15, n. 33 (M. L. 65, 620).
(6) Disp. 1, c. 2, a. 4, a. n. 166, et a. 5, n. 199.

actus secundi. Atqui hoc ipso non tollit libertatem; quia jam venit, quum dantur omnia requisita necessaria ad libere operandum. Ergo

Resp. Transeat maj., et neg. min. et ipsius probationem. Imprimis dixi *transeat maj.*: quia non est res aperta praemotionem physicam se tenere ex parte actus secundi; nam actus primus completus requirit omnia necessaria, ut operatio elici possit; et hoc certe non habetur sine praemotione physica; si res creatae operationem elicere nequeunt, nisi praemoveantur a Deo. Deinde negavi min.; quia sive praemotio physica pertineat ad actum primum, sive ad actum secundum, impedit liberam electionem voluntatis, quia haec cogitur ad sequendum, quod Deus elegit omnino independenter a nostra voluntate. Unde praemotio physica non venit, quum jam dantur omnia necessaria ad operandum; nam ipsa praemotio physica secundum ejus defensores est omnino necessaria, ut creaturae operentur.

Aliae difficultates, quae solent fieri, videlicet: praedeterminatio physica non tollit libertatem, tum quia cum illa datur potentia ad dissentiendum, tum quia Deus non modo praedeterminat ad actum, sed etiam ad modum ejus; haec, inquam, difficultates jam solutae sunt inter ipsa argumenta ad theseos probationem. Illa potentia dissentiendi est prorsus inutilis; quia nec potest dissentire posita praemotione, neque sine illa. Item modus actus non datur per physicam praedeterminationem, quia haec determinat ad unum, quod est contrarium rationi libertatis.

416. Obj. 3.° Deus est primum agens, primum movens, primum liberum, primum determinans et dominus absolutus omnium rerum. Atqui haec omnia non convenirent Deo, si praemotio physica excludatur. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Nam Deus est primum agens, quia habet virtutem infinitam ad omnia possibilia se extendens, et omnia ab illo esse accipere debent, et ab illo prorsus dependere et alia his similia, quae certe soli primo agenti conveniunt. Similiter est primum moens; quia movet per virtutem increatam et omnino independentem et omnis motus ab eo dependet. Est primum liberum; quia, habet libertatem a se ipso, et omnis alia libertas ab eo communicata est, et ab eo dependet. Item est primum determinans, quia jam ab aeterno se determinavit respectu omnium creaturarum et omnium operationum prout ipse voluit voluntate approbativa vel permissiva. Denique Deus est absolute Dominus omnium rerum; quia omnia, quae in rebus sunt a Deo dependent tanquam ab eorum auctore, conservatore et adjutore in omni operatione, ita ut sine illo agere nequeant. Praeterea quaelibet operatio quatenus est a Deo, semper est prior prioritate dignitatis, independentiae et universalitatis; *dignitatis* quidem, quia dignitas Dei est simpliciter infinita; *independentiae*, quum Deus nec dependeat, nec possit dependere; *universalitatis*, quia nulla est res, in cujus operationibus Deus non operetur.

Haec omnia certe admitto libenter; sed in illis praemotio physica non continetur nec formalitater, nec arguitive.

417. Obj. 4.° Per concursum simultaneum si creatura pendet a Deo, etiam Deus a creatura, praesertim si ponatur creaturam determinare actionem, ut sit, vel non sit. Ergo per solum concursum simultaneum non servatur supremum Dei dominium.

Resp. Neg. ant. et cons. Antecedens quidem, quia per concursum simultaneum creatura revera a Deo pendet in suis operationibus, et operari nequit, nisi Deus cum illa in ejus operationibus agere velit. Contra Deus a creatura nullatenus pendet; quia operatur cum creatura, quia ipse libere vult cum illa operari, et sine creatura potest eumdem effectum producere, qui cum illa etiam operante posset efficere. Deinde nego etiam cons.; etenim per concursum simultaneum re ipsa omnes actiones creaturarum a Deo pendent, neque elici possunt sine concursu. Nec refert, quod creatura libera suam actionem determinet, et non Deus; hoc enim non facit, quia creatura aliquid efficiat, quod Deus non efficiat; sed quia in concursu Dei et creaturae, Deus ex sua bonitate ita se attemperat, ut a creatura dependeat dari vel non dari actionem, dari unam vel alteram. Quare, posita Dei praeparatione ad concurrendum vel non concurrendum, ad concurrendum sive in unam, sive in alteram operationem, voluntas humana cum concursu Dei manet omnino expedita ad agendum vel non agendum, ad agendum sive hoc, sive illud (1).

418. Obj. 5.° Difficultates non possunt esse fundatae contra systema in quo principia sunt certa, et conclusiones omnino connexae et logice cum principiis concatenatae. Atqui tale est systema praemotionis physicae. Ergo praemotio physica admittenda est. Prob. min. Nam principia sunt independentia divina in cognoscendo et operando, causalitas voluntatis divinae, quam nihil potest praeterfugere, et absoluta necessitas seu lex metaphysica, ut omnis transitus de potentia ad actum fiat sub immediata et actuali motionis divinae efficacia. Deinde conclusiones, in quibus continetur praemotio physica, sunt rigorose connexae cum principiis (2). Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Ad probationem minoris dicendum, principia, quae ibi ponuntur pro praemotione physica, admitti etiam ab illis catholicis, qui praemotionem physicam impugnant, et omnia respectu absolutae dependentiae creaturarum a Deo recte explicant per solum concursum simultaneum et per scientiam, qua Deus futura conditionata cognoscit. Negatur certe praemotionem physicam inferri ex aliquo argumento, quod sit certum et omnino ab omnibus admittendum. Unde non est admittendum mysterium, quod videtur reperiri in hoc, quod libertas non tollatur per praemotionem physicam; sed rejicienda est praemotio physica, pro qua nullum argumentum certum adducitur, et videtur manifeste contraria libertati. Profecto non sunt admittenda mysteria, quae a Deo esse revelata non ostendantur; praemotio autem physica esse a Deo revelata nullatenus probatur. Ruiz de Montoya ex S. Scriptura, SS. PP. et S. Thoma praemotionem physicam fuse refutat (3).

419. Obj. 6.° "Tenendum omnino est Deum esse causam non solum entis, sed et omnium differentiarum entis. Atqui libertas nostra in actu est quaedam differentia entis. Ergo voluntas Dei est causa libertatis

(1) Vide quae dixi de hac re in *Tract. De Deo Creatore*, d. 1, c. 2, a. 5, nn. 193 et 194.
(2) Hugon (Eduardus) *De gratia*, q. 4, a. 3, n. 11.
(3) *De scientia Dei*, d. 38 et sq.

nostrae etiam in actu secundo. Quia itaque Deus vult actus nostros esse liberos, non desinunt esse liberi, sed e contra sunt liberi, quia vult Deus esse liberos. Sed in Deo velle facere. Ergo facit Deus ut actus nostri sint liberi (1)."

Resp. Conc. omnia usque ad illam propositionem, quae sic se habet: *sed e contra sunt liberi, quia vult Deus esse liberos.* Hanc propositionem sic distinguo: actus creaturae rationalis sunt liberi, si praecise Deus velit esse liberos, quamvis nihil ad extra operetur, neg.; si Deus ad extra ita disponat res, ut actus eliciantur libere, conc. Et alteram proposionem, scilicet: *in Deo velle est facere*, sic declaro: *in Deo velle est facere*, quia voluntas Dei ita est omnipotens, ut possit facere omnia, quae non repugnant, conc.; quia sola voluntas Dei possit supplere omnia media, et non debeat adhibere media apta secundum naturam effectuum, neg. Voluntas quidem Dei est potens ad quascumque res obtinendas; verum non potest quascumque res obtinere per quaecumque media, et ita non potest illuminare per tenebras, nec quietem efficere formaliter per motum. Unde non videtur Deus posse facere actus liberos per praemotionem physicam; quum de ratione libertatis sit non haberi determinationem ad unum, et praemotio physica voluntatem ad unum determinet.

Profecto S. Thomas, ubi affirmat (2) effectus esse liberos propter efficaciam divinae voluntatis, non hoc sensu affirmat, ut sufficiat Deum velle actus esse liberos, ut sint liberi. Verum hoc sensu affirmat, quatenus si Deus effcaciter vult actus esse liberos, ita res disponet, ut actus libere eliciantur, et non ex determinatione ad unum. Hanc esse mentem S. Thomae elucet ex ipsius verbis, quae ita se habent (3): "Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter; ut sit ordo in rebus, ad complementum universi. Et ideo, quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causae proximae sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos praeparavit." Hisce verbis S. Doctor manifeste affirmat effectus necessarios dependere a causis necessariis, et effectus contingentes a causis contingentibus, ita tamen ut sive causae necessariae, sive contingentes sint, debeant agere dependenter a motione Dei. Si vero effectus ssse necessarios aut contingentes dependeret a *modo praemotionis* physicae, non affirmaret S. Thomas hoc dependere ab eo, quod causae operentur necessario, vel libere.

Accedit quod S. Thomas pluries affirmat Deum movere singulas causas, prout earum naturae convenit; non convenit autem naturae causae liberae ad unum praedeterminari. Ita dicit S. Doctor (4): "Unde patet quod non est contra arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis mo-

(1) Hugon (Eduardus), loco antea citato.
(2) *1. p.*, q. 19, a. 8.
(3) In loco proxime citato.
(4) *Compendium theologiae*, c. 129.

vet; sicut non est contra naturam quod Deus in rebus naturalibus operatur; sed tam inclinatio naturalis quam voluntaria a Deo est, utraque proveniens secundum conditionem rei cujus est: sic enim Deus res movit secundum quod competit earum naturae (1)."

420. Obj. 7.° "Praemotio, gratia efficax, praedeterminatio physica, non sunt nisi id, quo causa prima causas secundas applicat. Porro applicatio causae primae, vim et actionem causae secundae, non eliminat, sed potius causat. Ergo praemotio, gratia efficax, praedeterminatio physica, nedum actionem nostrae voluntatis evacuent aut impediant, immo potius causant (2)."

Resp. Nego maj., et min. et cons. Applicatio causae primae per praemotionem physicam videtur tollere libertatem; quia voluntas inevitabiliter inducitur in unum actum singularem et omnino determinatum, et non potest eligere inter duo vel plura in sensu composito praemotionis; et in sensu diviso seu sine praemotione voluntas nihil potest agere. Si vero applicatio fieret per concursum, et ita quidem ut voluntas se ipsam ad agendum determinaret, hoc modo non tolleretur libertas. Quod vero Deus dici potest per concursum simultaneum applicare causam creatam ad agendum, elucet ex hoc, quia ex una parte dum Deus concurrit, creatura non potest non operari, et ex altera Deus a concursu cessare potest in singulis momentis, et ideo non recte diceretur creaturam applicare Deum ad operandum. Negavi autem majorem; quia praemotio physica non est simplex applicatio ad agendum, sed est applicatio ad necessario agendum, et sine ulla indifferentia vel electione ex parte causae secundae.

P. Hugon addit (3): "Ad solutionem praecipuarum difficultatum in speciali, adhibendae sunt distinctiones: de re, de dicto, necessitas consequentiae et necessitas consequentis, sensus compositus et sensus divisus, potentia antecedens et potentia consequens." Verum omnes istae distinctiones non impediunt verum esse posita praemotione physica necessario dari actum, ad quem datur praemotio; et ablata praemotione voluntas nihil agere posse: unde re ipsa praemotio tollit facultatem eligendi, et consequenter libertatem.

421. Scholion De sententia F. Norberti del Prado circa conciliationem gratiae efficacis cum libero arbitrio. Hic auctor ad hanc rem declarandam has conclusiones statuit (4).

1.ª "Gratia ex se efficax, qua Deus physice movet potentiam liberi arbitrii ad opera salutaria, non modo non laedit nec minuit liberum arbitrium creatum, verum etiam ipsum auget atque perficit."

2.ª "Deus cognoscit motus seu actus liberi arbitrii creati, cognoscendo se ipsum ut primam efficientem causam respectu omnium motuum liberae voluntatis creatae."

3.ª "Voluntas Dei est adeo efficax et perfecta in causando motus

(1) Similiter loquitur *1. p.*, q. 22, a. 4; q. 83, a. 1, ad 3; *1. 2.*, q. 51, a. 4, ad 2; *De malo*, q. 6, ad 3; In cap. III ex *II Cor.*, *lec. 1.ª*, ad finem.
(2) Hugon (Eduardus) loco antea citato.
(3) In loco citato.
(4) F. N. del Prado, O. P., *De gratia et liber. arbitr.*, p. 2.ª, cc. 8 et 9.

voluntatis, ut non solum conferat libero arbitrio creato ut agat, verum etiam ut libere et bene agat."

4.ª "Omnes actus liberi arbitrii creati sunt praedefiniti seu praedeterminati in prima causa efficiente, quae est voluntas Dei; atque hujusmodi divina praedeterminatio seu praedefinitio actuum liberorum creaturae rationalis est ratio divinae praescientiae ipsorum."

5.ª "Ultima resolutio hujus magnae controversiae ac veluti clavis fundamentalis pro solutione omnium argumentorum in contrarium.

De his autem conclusionibus ita tenendum videtur. Prima conclusio, qua effirmatur gratia ex se efficax non laedere nec minuere liberum arbitrium, immo illud augere et perficere, secundum doctrinam P. Prado, debet accipi de gratia ex se efficaci, quae determinat voluntatem ad unum; determinare vero voluntatem ad unum videtur esse ablatio libertatis. Auctor ad probandum quod asserit, affert testimonia S. Augustini, S. Thomae, Conc. Tridentini, et plures rationes. Verum nec S. Augustinus, nec S. Tomas, nec Conc. Tridentinum affirmant voluntatem manere liberam per determinationem ad unum, et neque affirmant actum voluntatis esse liberum, quamvis inevitabiliter a voluntate sit eliciendus, et voluntatem aliud facere non posse, nisi sequi determinationem ad eliciendum unum actum singularem et omnino determinatum. Nec ratio ostendit determinationem ad unum inevitabiliter, stare cum vera libertate.

2.ª Conclusio affirmat Deum cognoscere actus liberi arbitrii in se ipso, quatenus prima causa efficiens actuum liberorum. Attamen ut Deus cognosceret actus liberos in se ipso ut prima causa, necesse foret Deum ut primam causam connecti metaphysice cum singulis et determinatis actibus liberis. Hoc autem est impossibile; quia si actus singuli et determinati futuri connexionem metaphysicam et infrustrabilem haberent cum prima eorum causa, eo ipso tales actus essent necessario futuri, et ideo non contingentes seu liberi, sed necessarii; quia illa connexio infrustrabilis nullo modo impediri posset, et sic nec existentia illorum actuum. Si vero de actibus liberis mere possibilibus ageretur, tunc non cognosceretur tales actus esse futuros, sed tantum esse possibiles. Et si divina cognitio eorum futuram existentiam jam supponeret, divina cognitio non in Deo ut prima causa niteretur, sed in actuum liberorum futura existentia, quod adversarii recusant.

3.ª Conclusio asserit voluntatem Dei esse adeo efficacem, ut non modo faciat, ut actus fiant; verum etiam ut fiant libere et recte. Haec conclusio, si praescindatur de modo, quo Deus obtineat actus esse liberos et rectos, est omnino vera; nam voluntas Dei porpter divinam omnipotentiam potest obtinere quoscumque effectus, dummodo in illis repugnantia non includatur. At si sensus est, Deus per praemotionem physicam posse obtinere actus liberos et moraliter bonos, omnino neganda est conclusio; nam determinatio ad unum tollit libertatem, et ideo facit actum Deo liberum, sed respectu creaturae necessarium et bonum tantum materialiter.

4.ª Conclusio. Doctrina hujus conclusionis videtur omnino subvertere libertatem; nam actus praedeterminati ante eorum futuram existentiam et absolutam et conditionatam sunt actus, qui necessario existere

debent, quum divina praedeterminatio frustrari non possit; et idcirco non erunt actus liberi.

5.ª Et ultima conclusio, hoc est: Ultima resolutio hujus magnae controversiae ac veluti clavis fundamentalis pro solutione omnium argumentorum in contra. Haec clavis consistit in aliquibus testimoniis (1) D. Thomae et in corollariis, quae ab Auctore adjunguntur. Testimonia D. Thomae asserunt omnia dependere a divina voluntate, et divinam voluntatem profundere totum ens et omnes ejus differentias, et amorem Dei infundere et creare bonitatem in rebus. Haec autem omnia ab omnibus catholicis admittuntur; sed non probant praemotionem physicam, et voluntatem humanam ita determinari, ut non maneat proxime expedita, nisi ad faciendum id, quod est praedeterminatum, nisi praedeterminatio mutetur. Et id probatur ex ipsis proprietatibus, quae adversarii praedeterminationi physicae tribuunt.

Corollarium, *quae ab Auctore adjunguntur, sunt haec.* 1um. Sicut a voluntate divina causatur imago Dei in creatura rationali quoad *esse*, ita ex efficacia divinae voluntatis imago Dei imprimitur in voluntate creata quoad *operari* et *operandi modum.*

2um Voluntas divina est causa profundens totum actum liberum et omnes ejus positivas differentias; et in causando se extendit et ad actum qui fit, et ad modum fiendi. Unde quidquid est in actu de ratione entis, de ratione actus, de ratione liberi, de ratione boni: totum hoc a primo agente, sc. Deo procedit mediante voluntate.

3um Ex voluntate divina originatur et fit immediate immediatione virtutis quod liberum arbitrium creatum: a) operetur; b) operetur non necessario, sed contingenter et libere; c) operetur bene; d) operetur etiam ut oportet ad salutem.

4um Liberum arbitrium creatum est facultas, qua homo per rationem et voluntatem movet se ipsum ad volendum hoc vel illud; sed per hoc, quod a Deo movetur, habet hoc ipsum quo se actualiter, moveat; Deus movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit.

5um Liberum arbitrium est facultas eligendi media, servato ordine in finem. Quapropter permagna liberi arbitrii perfectio est gratia ex se et per se efficax, sub qua liberum arbitrium, licet vertibilitas ejus ad malum in via non totaliter auferatur, semper tamen servat ordinem finis in electione mediorum.

6um Quanto major erit illuminatio, qua Spiritus Sanctus tangit cor hominis, et fortior inclinatio, qua manus Domini vertit illud in bonum, tanto erit nobilior actus liberae voluntatis ac firmius in recte operando liberum de ratione judicium, in quo est radix prima libertatis.

7um Cum ergo voluntas tanto sit liberior, quanto est sanior et ad bene agendum potentior; et tanto sit potentior et sanior, quanto Deo subjectior: idcirco per gratuitam ipsam motionem, quae gratia ab intrinseco efficaci dicitur, libera voluntas crescit sic mota in libere operando et

(1) *1.|p.*, q. 19, a. 8; *De veritate*, q. 23, a. 5; *VI metaphys.*, lect. 3.ª ad finem; *De divin. nominibus*, c. 5; lect. 3.ª; L. 1, *Per. her.*, lect. 14; *1. p.*, q. 20, a. 20, a. 2.

attingit usque ad summum suae propriae libertatis. In Deo enim vivimus, movemur et sumus; et quanto magis a Deo per suam gratiam movemur, tanto magis amor Dei est infundens et creans bonitatem in nobis atque veram libertatem, quae est libertas filiorum Dei.

Omnia haec corollaria quatenus affirmant nihil dari positivum quod a Deo non dependeat, continent doctrinam ab omnibus catholicis admissam; sed haec corrollaria non ostendunt Deum ita praemovere liberum arbitrium, ut hoc non possit agere sine praemotione, et posita praemotione non possit agere, nisi illud ad quod praemotum est. Unde circa corollarium quartum et sequentia aliquid mihi animadvertendum est.

Corollarium 4um asserit liberum arbitrium esse facultatem, qua homo per rationem et voluntatem movet se ipsum ad volendum hoc vel illud. Hoc est impossibile voluntati secundum systema praemotionis physicae; etenim secundum hoc systema voluntas non praemota nihil agere potest, et praemota non agere potest nisi illud, ad quod est praemota. Facultas vero agendi contrarium simul cum praemotione physica est talis, quae in actum exire non potest, ideoque prorsus vana. Deus secundum hoc systema ita movet, ut voluntas debeat sequi divinam motionem, et talis motio si voluntarietatem non aufert, saltem auferre libertatem videtur.

Circa 5um non video qua ratione voluntas possit eligere inter unum et alterum, si admittatur praemotio physica prout supra n. 405 exposita est. Nam secundum doctrinam defensorum praemotionis physicae voluntas sine praemotione nequit agere, et cum praemotione non potest agere nisi illud ad quod sit praemota. Quare gratia ex se et per se efficax per praemotionem physicam non videtur permagna perfectio liberi arbitrii, sed ejus destructio.

Circa 6um non apparet, qua ratione actus sit nobilior, et dispositio ad recte operandum firmior in systemate praemotionis physicae, quum potentiae humanae illud tantum possint agere, ad quod a Deo praemoveantur.

Respectu *septimi corollarii* dicendum non videri voluntatem posse esse liberiorem et potentiorem admissa praemotione physica; quum in hoc systemate re ipsa solum possint dari actus praedeterminati, quos voluntas inevitabiliter debet elicere sine ulla electione.

422. P. Prado in 2.ª parte, ad finem capitis noni ponit has assertiones:

1.ª Jesus Christus, Salvator noster, sicut est gratuitae praedestinationis exemplar, sic et verae concordiae liberi arbitrii cum praedeterminatione est testimonium.

2.ª Christus Dominus noster patiens et moriens pro nobis ex obedientia Patris et ut adimpleret verum mandatum Patris, liberrima quidem voluntate passus et mortuus est.

3.ª Suprema itaque ratio conciliandi liberum hominis arbitrium cum Dei gratia, quaerenda est, ibi ubi reperitur, nempe in ipsa efficacia gratiae, in ipsamet motione Dei, cujus voluntas est profundens totum ens et omnes differentias entis.

1.ª Assertio. Jesus Christus est quidem exemplar praedestinationis gratuitae ad gratiam et etiam ad gloriam; verum adulti per merita accipiunt gloriam; et secundum multos Patres et theologos adulti non prae-

destinantur ad gloriam, nisi consequenter ad praevisionem meritorum (1); ideoque non est certum Christum esse exemplar adaequatum praedestinationis ad gloriam respectu adultorum. Testimonium vero Jesu Christi concilians liberum arbitrium cum praedeterminatione non videtur existere, et quamvis Christus non posset peccare, poterat tamen eligere inter unum ut aliud bonum. Unde S. Thomas dicit (2): "Voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad beatos."

Ad secundam assertionem quod attinet, dicendum est rem esse omnino certam Christum pro salute generis humani libere passum et mortuum esse; verum Christum ad hoc faciendum habuisse praeceptum strictum multi negant (3). Deinde si Christus est passus et mortuus inductus per physicam praedeterminationem, non videtur libere passus et mortuus esse.

Tertia assertio omnino neganda est; quia Deus per gratiam modo inevitabili inducens in unum actum singularem et prorsus determinatum, non videtur facere actum liberum respectu hominis, sed prorsus necessarium.

423. Postremo P. Prado affirmat (4). *solum Deum esse suum esse; in omnibus autem aliis differre essentiam rei et esse ejus.* Et haec assertio a P. Prado vocatur *veritas fundamentalis philosophiae christianae.* At hoc, ut minimum, dubium est. Est res omnino certa, et quae evidenter demonstratur, Deum esse unicum ens a se, ideoque esse suum esse, et omnia alia entia esse ab alio, seu ab illo unico ente quod est a semetipso. Unde omnia entia praeter unicum ens a se, sunt potentialia, quia possunt accipere et non accipere existentiam ab unico ente a se; et hoc ipso sunt limitata; quia non possunt accipere totam perfectionem entis, sed aliquam ejusdem participationem. Quod vero ens ab alio habeat essentiam distinctam realiter ab existentia, vel non habeat, videtur parvi momenti, dummodo statuatur omne ens ab alio, in omnibus prorsus dependere ad unico ente a se.

Praepositus Generalis, S. J., Adm. R. P. Wlodimirus Ledóchowski aperte indicavit (5) distinctionem realem inter essentiam et existentiam esse rem dubiam, et epistolam Adm. R. P. Ledóchowski approbavit suis litteris Benedictus XV (6). Immo Benedictus XV jam antea prabaverat in Societate Jesu libere defendi posse sive distinctionem realem inter essentiam et existentiam, sive identitatem (7).

(1) Vide quae dixi de hac re in *Tractatu de Deo uno*, d. 4, c. 2, a. 2.
(2) 3. *p.*, q. 18, a. 4, ad 3.
(3) Vide quae dixi *De Verbi Divini incarnatione*, d. 13, a. 3 et sq.
(4) Cap. 10 et ultimum 2.ae partis.
(5) In *Epist. de doctrina S. Thomae magis magisque in Societate fovenda*, 8 Decemb. 1916.
(6) Hae litterae habentur ante Epistolam Adm. R. P. Ledóchowski.
(7) Praepositus Generalis, S. J., Wl. Ledóchowski sequentes preces ad Sum. Pont. Benedictum XV direxerat, sc.:
"Beatissime Pater!
Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter peto, ut Sanctitas Vestra ad dubia omnia tollenda responsum datum a p. m. R. Generali Martin in quaestione

ARTICULUS III

Gratia ab intrinseco efficax rejicienda videtur

424. Praemitt. *Gratia efficax ab intrinseco* dicitur illa, quae natura sua est physice vel moraliter connexa cum consensu. Unde posita hac gratia voluntas necessitate physica vel morali consensum praebere cogitur. Praeter defensores praemotionis physicae inter catholicos defendunt gratiam intrinsece efficacem Augustinienses plures et S. Alphonsus Maria de Ligorio. Augustinienses (saltem plures) reponunt gratiam efficacem in delectatione victrici, seu tali, quae concupiscentiam vincat et necessitate morali consensum inducat (1). S. Alphonsus Maria de Ligorio, sicut jam supra dictum est (2), pro actibus facilioribus non requirit gratiam intrinsece efficacem, sed illam requirit pro actibus difficilibus (3). Verum quocumque modo proponatur gratia ex se et intrinsece efficax videtur rejicienda cum sententia communi PP. Societatis; talis enim gratia cum libertate pugnare videtur.

THESIS. Gratia ita intrinsece efficax, ut necessario physice vel saltem moraliter consensum trahat, rejicienda videtur

425. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Thesim probant omnia testimonia allata supra, nn. 393 et 408; nam omnia illa significant hominem posse resistere gratiae, sive sufficienti, sive efficaci, et non

de reali inter essentiam et existentiam distinctione approbare benigne dignetur. — Responsum (P. Generalis Martin) vero fuit sequens:

Sententia realis distinctionis inter essentiam et existentiam, prouti sententia contraria, est in Societate libera et unicuique licet eam sequi et docere sub hac tamen duplici conditione: 1 ne eam quasi fundamentum faciat totius philosophiae christianae, atque necessariam asserat ad probandam existentiam Dei ejusque attributa, infinitudinem etc. et ad dogmata rite explicanda et illustranda; 2 ne ulla nota inuratur probatis et eximiis Societatis Doctoribus, quorum laus est in Ecclesia.

Et Deus,

Romae, die 9 martii 1915.

Wl. Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Jesu.

Praedictum responsum R. P. Martin novimus exaratum fuisse juxta mentem Leonis XIII fel. rec., ideoque illud approbamus et nostrum omnino facimus.

Ex aedibus Vaticanis, die 9 martii 1915.

Benedictus PP. XV.

(1) Berti, *De disciplin. Theolog.*, l. 14, c. 8.
(2) *De gratia sufficiente*, a. 2, n. 371.
(3) Vide Herrmann (Joan.), *De divina gratia, de gratia actuali*, s. 4, c. 6.

operari secundum impulsum gratiae; hoc vero non staret, si gratia ex natura sua necessario physice vel moraliter consensum induceret. Speciatim affero textum *Eccli.* XV, 17 et sq. dicentem: "Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi." Jam vero si gratia esset ita intrinsece efficax, ut ei resistere physice vel moraliter esset impossibile, non esset verum hominem *posse porrigere manum ad id quod voluerit,* nec seligere quod *ei placuerit;* sed necessario sequi cogeretur incitationem gratiae. Item *II Cor.* VI, 1, legitur: "Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis." Gratia autem efficax ab intrinseco *in vacuum* recipi non posset; ideoque exhortatio ad cooperationem esset inutilis.

426. **2.°** *Ex Conciliis.* Testimonia Concilii Tridentini et Senonensis allata n. 409 re ipsa ostendunt hominem posse dissentire gratiae efficaci in sensu composito ipsius, ac proinde impulsum gratiae efficacis posse repudiari. Et ad hoc iterum probandum breviter, repeto can. 4 Tridentini ita se habentem (1): "Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: A. S." In hoc canone manifestum est sermonem esse de gratia efficaci; quum de illa gratia sit sermo, cui homo cooperatur. Deinde ibi asseritur voluntatem gratiae, de qua agitur seu efficaci, posse dissentire; et quidem in sensu composito gratiae; nam quum gratia non datur, non potest quis ipsi dissentire vel resistere. Denique verba *si velit* non continent conditionem impossibilem; aliter enim etiam esset impossibile dissentire gratiae, et ideo gratia tolleret libertatem. Quare ex Tridentino infertur gratiam non esse efficacem ab intrinseco; nam secus voluntas gratiae efficaci dissentire non posset.

427. **3.°** *Ex PP.* Thesim probant S. Joannes Chrysost., S. Cyrillus Alex. et S. Hieronymus, allati n. 410; nam indicant hominem posse recipere et recusare gratiam pro sua libertate; non esset autem hoc possibile, si gratia esset intrinsece efficax. Id ipsum pro-

(1) *Sess.* 6.ª (Denz.-Bannwart, n. 814).

batur ex testimonio S. Augustini, adducto n. 411; dicit enim S. Doctor penes voluntatem esse eligere et non eligere, consentire et non consentire, venire et non venire; item affirmat eamdem gratiam in uno posse esse efficacem, et in altero, non; denique asserit gratiam trahere suadendo et alliciendo; haec autem gratiam ab intrinseco efficacem excludunt.

428. 4.° *Ex S. Thoma.* Testimonia hujus Sancti Doctoris, quae attuli in *Tract. de Deo Creatore* (1), probant etiam contra gratiam efficacem ab intrinseco. Afferam tamen nonnulla alia testimonia in ejusdem rei confirmationem. Dicit (2) S. Doctor: "Et ideo inclinatio gratiae non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti, et peccare."

Item dicit (3) circa illa verba *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: "Nam aliquis homo trahit aliquem persuadendo ratione; et hoc modo Pater trahit homines ad Filium, demonstrando eum esse Filium suum; et hoc dupliciter: vel per internam revelationem: *Matth.* XVI, 17: *Beatus est Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi* (scilicet Christum esse Filium Dei vivi), *sed Pater meus*: vel per miraculorum operationem, quam habet a Patre."

Iterum inquit (4): "Modus autem attrahendi est congruus, quia trahit revelando et docendo; et hoc est quod dicit: *Scriptum est in prophetis: erunt omnes docibiles Dei* etc." Rursus (5): "*Omnis qui audivit a Patre,* docente et manifestante, *et didicit,* praebendo assensum, *venit ad me;* venit inquam, tripliciter: per cognitionem veritatis, per amoris affectum, et per operis imitationem." Denique ipse S. Thomas docet (6): "Et etiam haec vocatio est efficax in praedestinatis, quia hujusmodi vocationi assentiunt...".

429. 5.° *Ratione.* Nam posita tali gratia, voluntas non potest nisi sequi motionem et inclinationem ipsius; aliter non esset efficax ab intrinseco. Quare talis gratia libertatem tollere videtur, quia voluntas illi resistere non potest.

(1) D. 1, c. 2, a. 4, nn. 163 et 165, et a. 5, n. 198.
(2) *1. p.*, q. 62, a. 3, ad 2.
(3) *In Joan.* VI, 44, lec. 5.ª.
(4) Eodem loco proxime citato, inferius, circa illa verba *Omnis, qui audivit a Patre...*
(5) Eodem loco, versus finem lectionis.
(6) *Rom* VIII, 30, lec. 6.ª

430. Obj. 1.° In *Ezech.* XXXVI, 27 legitur: "Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini." Haec vero gratiam ab intrinseco efficacem indicant. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Nam Deus potest ab hominibus obtinere quidquid illi placuerit sine adhibitione gratiae intrinsece efficacis; Deus enim optime cognoscit quidquid facerent homines in omnibus et in singulis circumstantiis in quibus reperiri possent, ideoque potest collocare quemlibet in iis adjunctis, in quibus ille facturus est, quod Deo placeat.

431. Obj. 2.° In S. Scriptura asseritur (*Sap.* VIII, 21): "Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det..." Et *I Par.* XXIX, 11: "Tua est Domine... victoria..." Item *Prov.* XXI, 1: "Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinavit illud." Atque plura alia ex Scripturis ad id ipsum probandum afferri possent. Quocirca dicendum videtur gratiam esse intrinsece efficacem.

Resp. Admitto testimonia S. Scripturae, sed nego quod ex illis deducitur. Requiritur quidem gratia, ut homo sit continens; verum ad hoc sufficit gratia, quae tribuat homini, per illuminationem intellectus et augmentum firmitatis in voluntate, posse superare omnia contraria virtuti continentiae. Deinde victoria tribuenda est Deo, non propter gratiam intrinsece efficacem, sed quia Deo facile est ita disponere res, ut victoria obtineatur. Et revera victoria semper Deo tribuenda est; quia omnia illa, quae ad impetrationem victoriae pertinent, sunt sub potenti manu Dei, et nisi ipse concurreret, victoria obtineri non posset. Deinde cor regis est in manu Domini, et potest illud inclinare prout voluerit; at inde non sequitur gratiam esse intrinsece efficacem, sed Deum habere infinitos modos illuminandi intellectum et movendi voluntatem, et ex his modis Deus perfecte scit plures ex illis esse aptos ad consequendum id, quod ipse vult cum perfecta libertate ex parte hominis. Similiter explicanda sunt alia Scripturae testimonia, quae afferri possent; nullum autem S. Scripturae testimonium afferri potest, quod explicari nequeat, nisi per gratiam efficacem ab intrinseco (1).

Aliae difficultates jam solutae sunt in articulis proxime praecedentibus.

432. SCHOLION. *De gratia efficaci secundum scotistas.* Gratia efficax secundum scotistas consistit in decreto efficaci condeterminante. Vocatur hoc decretum *condeterminans,* quia simul cum voluntate humana operationem liberam hominis determinat. Tale decretum secundum scotistas libertatem non tollit; quia, saltem physice, non influit in voluntatem humanam, et haec suum actum libere elicit. Aliunde voluntas Dei eminenter et virtualiter omnem actum voluntatis creatae continet, et sic potest elicere

(1) Vide dicta supra, n. 398.

ipsum actum voluntatis creatae. Tamen decretum Dei condeterminans metaphysice cum actu voluntatis creatae connectitur; et in tali decreto Deus actum liberum hominis certo cognoscit. Hoc decretum est gratia efficax in actu primo, et non habet prioritatem *in quo*, seu causalitatis, sed tantum *a quo*, seu continentiae et durationis. Gratia efficax in actu secundo habetur per ipsum concursum Dei. Haec est communior sententia inter scotistas (1).

Nonnulli scotistae admittunt decretum Dei condeterminans habere prioritatem non modo *a quo*, verum etiam *in quo;* alii scientiam mediam amplectuntur. Frassen dicit (2): "Existimo namque concordiam gratiae efficacis cum humana libertate tam obstrusae ac reconditae esse indagationis, ut mysterii nobis in hac miseriarum valle degentibus prorsus impervii nomen ac rationem sibi juste vindicet. Quoniam autem scrutator Majestatis opprimitur a gloria, ne incidamus in Scyllam cupientes vitare Charibdim, religionis partem duximus ab ejusmodi inquisitione supersedere."

THESIS Gratia efficax non consistit in decreto divino efficaci et condeterminante ad mentem scotistarum

433. Prob. 1.° Decretum in quo scotistae gratiam efficacem in actu primo reponunt, antecedit liberam hominis determinationem, essentialiter cum illa connectitur atque a libertate humana impediri nullo modo potest. Atqui antecedens essentialiter cum humana operatione connexum atque ab hac non impedibile tollit libertatem indifferentiae. Ergo. Prob. maj. Imprimis decretum est antecedens; quia volitio movens ad procurandam existentiam alicujus rei est vere antecedens respectu illius rei. Atqui illud decretum efficaciter Deum movet ad procurandam existentiam humanae operationis ab eo intentae. Ergo. Deinde est essentialiter connexum cum operatione humana ab eo intenta; quia repugnat decretum Dei efficaciter intendens aliquid, quemadmodum illud de quo agimus, frustrari seu non obtinere intentum. Postremo ab humana libertate impediri non potest; quia Deus illud decretum independenter ab omni humana determinatione assumit.

(1) Vide Mastrium, *In 1 libr. sent.*, d. 3, q. 3, a. 8.
(2) *De gratia*, d. 2, s. 4, §. 3.

434. 2.° Quamvis permittatur decretum illud scotisticum esse tantum concomitans seu condeterminans, nihilominus tollit libertatem. Ergo gratia efficax nullatenus in decreto illo reponi potest. Prob. ant. Homo non est liber respectu illius operationis, quam nullo modo omittere potest. Atqui homo nullo modo omittere potest operationem ad quam adest condeterminatio. Ergo. Prob. min. Imprimis illam operationem omittere non potest in sensu composito decreti condeterminantis; quia cum hoc decretum sit efficax, absonum est illud non sortiri effectum. Deinde neque omitti potest in sensu diviso, i. e., faciendo, ne tale decretum efficax detur; quia decretum illud fertur a Deo independenter ab omni hominis operatione; nam Deus juxta adversarios ad ferendum decretum illud dirigitur per scientiam simplicis intelligentiae, quae nullo modo a libertate humana impediri potest; cum simplicis intelligentiae scientia sit absolute necessaria. Ergo.

435. 3.° Decretum scotisticum etiamsi antecedens non sit, sed tantum concomitans, est essentialiter requisitum ad actum nec a voluntate pendet illud habere. Atqui hoc ipso tollit libertatem. Ergo. Prob. min. Quia sine illo requisito voluntas non potest se ipsam determinare; posito autem illo requisito non potest non se determinare. Ergo ut voluntas esset libera, oporteret ut penes ipsam existeret illud requisitum habere aut eo carere. Praeterea non concipitur qua ratione duo agentia eamdem semper determinent actionem, et nihilominus utrumque sit respectu illius actionis immediate liberum; nam de ratione libertatis est, ut unum agens liberum ab alio discordare possit. Postremo si Deus condeterminat actiones humanas, condeterminaret quoque ad peccandum; hoc autem sanctitati Dei repugnat.

436. Obj. Ideo rejicitur decretum condeterminans, quia libertatem creaturae tollit. Atqui non ita est. Ergo. Prob. min. Quia cum voluntas divina sit infinita, continet eminenter et virtualiter omnes volitiones creaturarum, atque ideo ab aeterno potest illud ipsum velle, ad quod libere creatura se determinaret, si existeret, sicut divina scientia videt ab aeterno omnes actiones liberas creaturarum, ac si jam existerent ab aeterno. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Ad probat. min. dist.: Deus ab aeterno potest velle illud ipsum, ad quod creatura se libere determinaret, per decretum efficax non impediens libertatem creaturae, neg.; impediens creaturae liberum exercitium sui actus, conc. Decretum condeterminans prout ab scotistis explicatur, conciliari cum operatione humana

libera non posse videtur; quia homo non potest eligere, sed debet ponere eam ipsam operationem, quam Deus ab aeterno condeterminavit. Paritas de scientia non tenet; quia est perfectio divini intellectus jam actu ab aeterno omnia cognoscere et omni modo quo sunt cognoscibilia; sed non est perfectio divinae voluntatis omnia actu velle et omni modo quo sunt appetibilia; duntaxat pertinet ad perfectionem divinae voluntatis posse omnia velle et omni modo, quo sint appetibilia. Verum actus liberi non sunt appetibiles per decretum condeterminans, quia eo ipso liberi esse desinerent.

Articulus IV

De natura gratiæ efficacis

437. Praemitt. 1.° Nulla est controversia de gratia efficaci in actu secundo; omnes enim consentiunt gratiam esse efficacem in actu secundo per consensum salutarem. Tota ergo controversia de gratia efficaci in actu primo habetur. Jam in articulis praecedentibus refutavimus gratiam efficacem in actu primo per ipsam intrinsecam gratiae perfectionem. Quocirca aliunde gratia efficax in actu primo quaerenda est. S. Augustinus ita loquitur (1): "Verum est ergo, *Multi vocati, pauci electi,* illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei;* quia etiamsi multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit: *Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis*: quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat."

Et inferius dicit (2): "Cum ergo alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eadem res saepe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, aliumque non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem

(1) *De diversis quaestion. ad Simplicianum,* l. 1, q. 2, n. 13 (M. L., 40, 118).
(2) N. 14, col. 119.

mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?"

Et idem S. Doctor inquit (1): "Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel ipsa conspiciant."

Quare secundum S. Augustinum gratia efficax est congrua, seu convenit et accommodatur subjecto, cui tribuitur; non vero ponitur a S. Doctore in quadam praedeterminatione.

438. Praemitt. 2.° Gratia ut in actu primo sit efficax, debet habere jam in actu primo infallibilem connexionem cum actu secundo; aliter enim posset effectu carere, et non esset efficax. Unde congruitas, quam S. Augustinus tribuit gratiae, debet esse talis, ut cum eventu connectatur modo infallibili. Haec autem connexio non potest esse intrinseca, ut jam probatum est; sed debet esse extrinseca, et re ipsa habetur per certam futuritionem (2) consensus. Futuritionem conditionatam per scientiam mediam Deus cognoscit modo infallibili. Per hanc enim scientiam Deus cognoscit quidquid humana voluntas factura sit in quibuscumque conditionibus, in quibus poni possit, et hoc independenter ab omni decreto Dei absolute jam posito (3). Quapropter, posita gratia in actu primo, Deus jam certo cognoscit ejus eventum; quia per scientiam mediam scit quidquid humana voluntas faceret, in quibuscumque adjunctis poneretur. Quocirca, quum juxta S. Augustinum gratia congrua sit efficax, debet conjungi cum scientia media de consensu, et haec scientia eventum infallibiliter indicabit. Quamobrem gratia, quae cum scientia media de consensu conjungatur, erit congrua seu efficax, licet aliis convenientiis careat; ideoque praecipuam congruitatem habebit, et illam quidem, quae etiamsi esset sola, gratiam vere congruam constitueret.

439. Praemitt. 3.° Gratia congrua praeter connexionem infallibilem cum eventu, potest quoque habere alias congruentias, quae tamen ad faciendam gratiam vere congruam non sufficiunt.

(1) *De dono persever.*, c. 14, n. 35 (M. L., 45, 1014).
(2) *De futuritione*, vide *Tractatum de Deo uno*, pars 1.ª, d. 3, c. 1, a. 5, n. 359.
(3) Vide quae de hac scientia dixi in *Tractatu de Deo uno*, d. 3, c. 1, a. 8, ubi probatum est futura libera conditionata antecedenter ad omne decretum Dei absolutum non posse cognosci, nisi per scientiam mediam.

1.° Gratia dicitur etiam congrua per ordinem ad eventum; nam gratia efficax ad consensum ordinem dicit. Sed hic ordo gratiam simpliciter congruam seu efficacem non facit; quia gratia ex se cum consensu infallibiliter non connectitur. 2.° Gratia congrua potest continere etiam ordinem ad locum, tempus, et accomodationem et convenientiam cum subjecti indole, ingenio, affectionibus aliisque adjunctis et conditionibus; licet haec omnia non faciunt gratiam absolute congruam seu efficacem. Et S. Augustinus dicit (1): "Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?"

440. Praemitt. 4.° In gratia efficaci seu congrua tria consideranda sunt. 1.° Gratia efficax continet virtutem ad actum salutarem producendum et habet infallibilem connexionem cum illo. 2.° Est instrumentum divinae Providentiae infallibile ad obtinendos actus salutares cum libertate creaturae. 3.° Est speciale Dei beneficium prae gratia sufficienti.

1.° *Gratia efficax continere debet virtutem sufficientem* ad salutarem actum producendum simul cum voluntate; nam aliter neque esset gratia sufficiens. *Simul cum voluntate;* nam voluntas simul cum gratia in salutares actus physice influere debet, ut supra probatum est (2). Item gratia efficax connexionem infallibilem cum consensu continere debet; hoc enim requiritur, ut certo et infallibiliter sit efficax. Haec autem connexio cognoscitur per scientiam mediam.

2.° *Gratia efficax est divinae Providentiae instrumentum infallibile.* Etenim Deus, posita scientia media, per gratiam efficacem quoscumque actus salutares voluerit, obtinere potest; quia scientia media illi manifestat qualia auxilia consensum consequentur, qualia non consequentur. Quare suis decretis potest Deus distribuere auxilia supernaturalia eo modo, quo illi placeat, ut eos actus salutares adipiscatur, quos voluerit. Decretum quidem Dei efficax intendens actum salutarem aut auxilium efficax vocatur praedefinitio (3). Haec dicitur *formalis,* si decretum Dei

(1) *Enchiridion,* c. 98, n. 25 (M. L., 40, 277).
(2) D. 1, c. 2, a. 3.
(3) *De praedefinitionibus,* vide quae *De Deo uno,* d. 4, c. 2, a. 3, dixi. P. Lessius in diversis locis agit *de praedefinitionibus,* ut *De divinis perfectionibus,* l. 11, *de providentia Dei,* cap. 5; *De gratia efficaci,* cap. 4, n. 16 et sq.; *De praedestinatione,* s. 2, n. 17 et sq.; s. 5, n. 107, 111, 119, etc.

efficaciter intendat ipsum actum salutarem, et *virtualis*, si directe et immediate intendat auxilium efficax. Praedefinitio virtualis potest esse duplex: altera ita absolute efficax, ut velit consensum quibuscumque mediis consequi; altera vero, quae vult quidem efficaciter obtinere consensum, sed per unum auxilium praevisum efficax, et, si per impossibille tale auxilium effectu careret, non aliud adhiberetur.

Praedefinitiones absolute efficaces ante consensum voluntatis in statu absoluto, non videntur admittendae; pugnare enim cum libertate videntur. Nam in statu conditionato libertas non exercetur; sed exerceretur, si homo in iis adjunctis collocaretur, in quibus praevisum est eum libere esse positurum determinatum actum. Ad hoc vero requiritur, ut collocetur cum iisdem circumstantiis, cum quibus visus est homo libere operaturus esse; at si ante positionem actus jam detur decretum absolute infrustrabile de positione ipsius, non videtur omitti posse actum, et ideo libertatem auferri. Si autem Deus vult consequi actum salutarem per auxilium praevisum efficax, et decernit efficaciter tribuere tale auxilium, ut actus obtineatur; ita libertas non tollitur; quia antequam actus eliciatur, non ponitur obstaculum, quo ejus omissio fiat impossibilis; sed manent eadem adjuncta status conditionati. Nam in hac hypothesi Deus certe decernit efficaciter, ut auxilium praevisum ponatur in statu existentiae; sed non decernit ut absolute omnino et per quaecumque media consensus eliciatur; sic omissio manet possibilis eodem modo, ac in statu conditionato.

3.° *Gratia efficax est speciale Dei beneficium.* Ita docent theologi communiter; quum per decretum gratiae efficacis morali modo actum salutarem et meritorium Deus largiatur.

441. Praemitt. 5.° Secundum P. Suarez (1) et communem Patrum Societatis sententiam gratia efficax nihil habet intrinsecum, quod habere non possit gratia mere sufficiens. Item secundum sententiam communem inter Patres Societatis gratia non est efficax ab intrinseco, sed per scientiam mediam cognoscitur certo et infallibiliter gratiam futuram esse efficacem, seu cum consensu conjungendam esse. Quare gratia, sive sufficiens, sive efficax, vocari poterit indifferens; quia ex suis intrinsecis non

(1) *De gratia*, l. 5, cc. 21 et 24.

repugnat ut repudietur; et consequenter potest conjungi cum consensu et cum dissensu. Minime vero vocari potest indifferens, quia se habeat indifferenter ad consensum et ad dissensum; sed gratia de se invitat et trahit ad consensum; verum non tali modo, ut non possit repudiari. Gratia, sive sufficiens, sive efficax, non recte nuncupatur *versatilis;* quia potest quidem rejici, sed non in unam et alteram partem verti, et non inclinat nisi in opus bonum et salutare, et tantum cum bono et salutari conjungi potest.

THESIS I. Gratia efficax non addit sufficienti novum auxilium prævium, aut novam aliquam entitatem vel proprietatem, quæ intrinsece ad auxilium gratiæ in actu primo spectet; immo gratia mere sufficiens potest intrinsece esse perfectior gratia efficaci.

Sensus theseos est gratiam efficacem in actu primo non distingui a sufficienti, quod illa habeat aliquam intrinsecam perfectionem, qua ista careat.

442. Prob. Quia illud auxilium quod gratia efficax sufficienti superadderet, vel esset gratia excitans vel aliud auxilium praevium. Atqui neutrum dici potest. Ergo. Prob min. Imprimis gratia efficax non dicit additionem novi auxilii excitantis. Nam novum auxilium excitans vel requireretur ad hoc, ut daretur potestas expedita ad actum salutarem eliciendum, vel ad hoc ut gratia efficax prae sufficienti infallibilem cum actu secundo diceret connexionem. Atqui nihil horum dici potest: non primum; quia aliter auxilium mere sufficiens non esset vere suffiens sive tribuens expeditam agendi potestatem. Deinde neque secundum admitti potest; quia auxilium excitans non aliter ex sua virtute intrinseca posset habere infallibilem connexionem cum actu secundo, nisi ita movendo physice aut moraliter voluntatem, ut haec illi resistere non posset; hoc autem dici nequit; nam secus voluntas sub gratia efficaci non esset vere libera, sed libertate careret vel physica vel morali oppositum agendi. Ergo. Jam quod neque aliud auxilium praevium a gratia excitante distinctum gratiae efficaci superaddendum sit, constat ex dictis supra; etenim probatum est nullum esse admittendum auxilium creatum

praevium et actuale, quod non sit gratia excitans seu praeveniens.

Praeterea neque asseri potest auxilium efficax prae sufficienti includere additionem alicujus entitatis vel realis propietatis; quia simili modo id rejicitur. Nam vel illa nova entitas vel propietas est necessaria ad habendam potentiam expeditam pro actu secundo eliciendo, vel ut gratia infallibiliter cum actu secundo connectatur. Atqui neutrum horum dici potest: non primum; quia gratia sufficiens non esset vere sufficiens: non secundum; quia si auxilium ratione rei superadditae jam ex se cum actu secundo connecteretur, voluntas illi auxilio resistere non posset, et libertas tolleretur.

Postremo nulla in hoc ostenditur repugnantia, quod voluntas gratiae perfectiori et intensiori resistat.

THESIS II. Gratia efficax in actu primo est auxilium adæquate præveniens, infallibiliter connexum cum consensu, non ex suis intrinsecis; sed per scientiam mediam.

443. Nota. Quid sit gratia seu auxilium praeveniens jam dictum est supra. Etiam ex praemittendis constat gratiam efficacem in actu primo esse infallibiliter connexam cum consensu futuro, non ex suis intrinsecis, sed ex scientia media. Agitur in thesi de gratia efficaci jam actu communicata in actu primo. Verum sive jam sit communicata in actu primo, sive non, eodem modo connectitur ratione scientiae mediae cum consensu futuro infallibiliter. Non enim connectitur ratione consensus absolute futuri; quia hic est effectus gratiae efficacis in actu primo, et ideo posterior illa; nec ratione scientiae visionis, quum haec sit etiam posterior gratia efficaci in actu primo. Nec ratione Dei voluntatis; quia haec si eliciat decretum ratione sui omnino efficax seu infrustrabile, videtur tolli libertas. Quare gratia efficax in actu primo, semper constituitur efficax per scientiam mediam, nisi admittantur praedefinitiones ex se omnino infallibiles, seu quae fiant per decrata Dei voluntatis infrustrabilia ex se, non tantum per scientiam mediam.

444. Prob. 1.ª p. seu gratia efficax est auxilium adaequate praeveniens. Gratia in actu primo est praeveniens respectu ope-

rationis; quia est causa ipsius, et causa effectum praecedit, saltem natura, et saepe tempore. Adaequate. Debet enim esse causa adaequata ex parte gratiae; quia gratia simul cum voluntate debet esse causa adaequata operationis seu consensus. Quocirca gratia efficax debet continere non modo gratiam excitantem, sed etiam gratiam habitualem vel Deum, qui illam suppleat, prout dictum est supra (1).

445. Prob. 2.ª p. Infallibiliter connexum cum consensu libero. Quia, seclusa hac connexione non differret a gratia sufficiente; haec enim gratia cum consensu connecti potest, sed non infallibiliter. Haec vero connexio non est intrinseca ipsi gratiae; quia si ita esset, libertatem tolleret, sicut supra dictum est (2). Gratia igitur erit connexa cum consensu libero, et quidem modo infallibili, quia verum est, v. gr., Petrum vel quemlibet alium esse libere consensurum gratiae, si illi in determinatis adjunctis communicaretur. Nam Petrus vel quilibet alius in certis adjunctis aut libere consensurus est, aut non, determinatae gratiae; non enim datur medium; et si libere consensurus esset, gratia esset efficax in actu primo, si communicaretur in iis adjunctis, in quibus verum esset daturum esse libere consensum modo conditionato. Quod vero in statu conditionato debeat dari sub conditione aut consensus liber, aut non, elucet ex hoc; quia consensus liber et non consensus liber in iisdem omnino adjunctis, sunt res contradictoriae; et ideo simul dari non possunt; sed aut unum aut alterum dari debet sub conditione vel absolute; necesse est enim, si alicui gratia detur, ut aut libere consentiat, aut libere non consentiat. Ideoque, si verum est Petrum esse consensurum, si ei detur auxilium, re ipsa consentiet, quum ei detur.

Et gratia efficax ita explicata concordat cum libertate; nam futurus consensus est consensus, qui libere elicietur, si Petrus, v. gr., ponatur in talibus adjunctis; ideoque si Petrus in illis adjunctis ponitur, libere elicit consensum.

446. Dices. Ea, quae dicta sunt, ostendunt quidem gratiam futuram esse efficacem, si communicaretur eo modo, quo in thesi asseritur; sed a Deo ita communicari non probatur.

(1) D. 1, c. 2, a. 2.
(2) D. 2, c. 2, a. 3.

Resp. Hoc quidem explicite non est probatum, sed utique implicite; alia enim systemata ostensum est non posse admitti. Non est quidem refutatum systema Thomassini, quia paucos habet sectatores; verum omnino rejiciendum est; tum quia per multiplicationem auxiliorum ponit gratiam ex se efficacem; tum quia est contrarium doctrinae S. Augustini, qui sine multiplicatione auxiliorum statuit gratiam efficacem.

447. Obj. 1.° In *I Cor.* IV, 7, legitur: "Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?" Hic textus indicat Deum discernere consentientem a non consentiente. Atqui hoc non staret, si gratia efficax in actu primo per consensum etiam constitueretur. Ergo.

Resp. Admitto textum Apostoli. Ad argumentum dico hominem per consensum in statu conditionato se discernit, quatenus scientia media infallibiliter connectitur cum consensu conditionato propter ipsum consensum conditionatum. Verum, quum gratia in actu primo communicatur a parte rei; tunc est efficax ex voluntate Dei; qui ex sua voluntate communicavit potius gratiam praevisam efficacem, quam aliam non ita praevisam. Porro Deus in statu conditionato neminem discernit; quia in statu conditionato omnes habent gratias praevisas efficaces, et alias non ita praevisas. Sed quum absolute in actu primo tribuit gratiam praevisam efficacem, tum Deus discernit istum ab illo, cui tribuit gratiam non praevisam efficacem.

448. Dices. Si Deus discernit in actu primo libere consentientem a non consentiente per communicationem gratiae praevisae efficacis, similiter dicendum est Deum discernere libere non consentientem per communicationem gratiae praevisae inefficacis. Sed hoc postremum nemo dicit. Ergo neque illud primum dicendum est.

Resp. Neg. maj. et cons. Ratio negationis paritatis est, quia Deus communicat gratiam praevisam efficacem, ut revera sit efficax, et hoc omnino vult quatenus ex parte sua est. Deus enim vult salutem omnium hominum, et ad hoc consequendum omnibus gratiam largitur, ut illi cooperentur, et ita in salutem tendant; si vero gratiam repudiant, faciunt contra voluntatem Dei, et in perditionem tendunt. Quocirca inefficacia gratiae Deo nullatenus est tribuenda; sed efficacia ejusdem, quum Deus illam voluerit et procuraverit, illi est tribuenda, et quidem tanquam discernens consentientem a non consentiente per ipsam largitionem gratiae praevisae efficacis.

Nota. Textum ex *I Cor.* IV, 7, alii explicant de ducibus factionum, quae inter Corinthios inveniebantur, qui supra alios se extollebant; et Apostolus ad eos deprimendos facit illas interrogationes, sc. *Quis enim te discernit?* etc.; et loquitur tantum cum uno, ut hoc modo suavius omnes corrigantur (1).

Alii textus Scripturae jam explicati sunt in articulis praecedentibus hujus capitis.

449. Obj. 2.° Si gratia fit efficax per consensum conditionate futurum, habentur plura absurda: 1.° Deus non faceret ex nolente volen-

(1) Cornely, *In I Cor.* IV, 7.

tem, sed ex conditionate volente absolute volentem. 2.° Ad gratias distribuendas consensum liberi arbitrii conditionatum exspectaret. 3.° Initium salutis esset ex libero arbitrio. 4.° Gratia propter meritum conditionatum concederetur. 5.° Gratia naturam sequeretur, et non viceversa. Haec autem admitti nequeunt. Ergo (1).

Resp. Neg. assertum, et ad singula, quae opponuntur, tribuitur solutio.

Ad 1um Voluntas in ordine supernaturali nihil potest, nisi gratia ei impertiatur; ideoque ex nolente, saltem negative, debet fieri volens. Quare voluntas ex se nullo modo potest fieri volens salutariter.

Ad 2um Deus consensum voluntatis non exspectat; illum enim ab aeterno per scientiam mediam cognoscit. Si vero exspectare significat Deum non distribuere gratias, nisi earum effectum cognoscat, verissimum est: tum quia non operatur modo caeco, tum quia libertatem voluntatis conservare vult.

Ad 3um Negatur prorsus assertum; initium salutis semper est a gratia.

Ad 4um In statu conditionato nulla sunt merita, sed essent, si res in statu absoluto ponerentur. Ideoque ea, quae conditionate dantur, non sunt causae distributionis gratiae, sed tantum tribuunt Deo cognitionem de iis, quae eventura essent, prout gratia uno vel alio modo distribueretur.

Ad 5um Gratia naturam non sequitur, quum natura gratiam nullo modo exigere possit. Gratiam Deus propter merita Christi largitur, non propter aliquam naturae exigentiam.

450. Obj. 3.° *S. Scriptura et PP. docent in negotio salutis omnia Deo esse tribuenda, homini nihil.* Ita *Ioan.* XV, 5, dicitur: "Sine me

(1) In libello periodico inscripto *Revue Thomiste*, Set. Oct. 1924, pag. 514, scientiae mediae plures contradictiones tribuuntur. 1.° In Deo potentialitatem ponit. 2.° Conducit ad determinismum ex circumstantiis. 3.° Subtrahit a divina causalitate determinationem actus salutaris. His additur Molinismum semper esse perfringendum illis verbis S. Pauli (*I Cor.* IV, 7), scilicet: "Quis enim te discernit. Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?"

Profecto scientis media contradictiones indicatas non affert. Nam primo loco, defensores scientiae mediae asserunt Deum ex sua infinita perfectione, nihil a creaturis accipiendo cognoscere omnia cognoscibilia. Futura tamen libera conditionata non sunt cognoscibilia antecedenter ad liberam creaturae determinationem conditionatam; nam aliter creatura solum posset sequi determinationem Dei, non libere eligere sive se determinare. Verum posita determinatione creaturae libera et conditionata, Deus illam ex se et nihil a creatura accipiendo cognoscit. Secundo loco, scientia media non conducit ad determinismum; sed asserit creaturam omnino libere eligere inter objecta proposita; in determinatis quidem circumstantiis, non in abstracto. Tertio loco, defensores scientiae mediae asserunt omnia positiva seu habentia rationem entis fieri a Deo; ideoque etiam omnem operationem et determinationem creaturae. Vide quae de hac re dixi in *Ttract. de Deo Creatore*, disp. 1.ª, cap. 2, a. 5. Unde defensores scientiae mediae asserunt omnia recipi a Deo, et consequenter facile explicant textum adductum S. Pauli. Attamen sincere fateor me nunquam potuisse intelligere, qua ratione cum praedeterminatione physica componantur haec, quae in *Eccli.* XV, 14 et sq. leguntur, scilicet: "Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi."

nihil potestis facere." Et S. Cyprianus inquit (1): "In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit." Atqui hoc gratiam per se efficacem requirere videtur. Ergo.

Resp. Dist. maj.: Scriptura et PP. docent in negotio salutis omnia Deo tribuenda esse, nihil homini; quatenus sine gratia homo nihil potest in ordine supernaturali, item quia Deus et gratia sunt causae principales actuum salutarium, conc.; quatenus cum Dei gratia nihil agat homo, neg. Hanc quidem esse Scripturae et PP. mentem, ex ipsa Scriptura et PP. constat. Sic Apostolus *I Cor.* XV, 10, dicit: "Non ego autem, sed gratia Dei mecum." Et S. Augustinus (2): "Ut velimus et suum esse voluit (Deus) et nostrum: suum vocando, nostrum consentiendo."

451. Obj 4.° Conc. Tridentinum stare cum libertate definivit eam gratiam, quam Lutherus et Calvinus cum illa stare negabant. Atqui Lutherus et Calvinus negabant gratiam intrinsece efficacem stare cum libertate. Ergo.

Resp. Neg. maj. Concilium enim Tridentinum tantum definire voluit gratiam efficacem non tollere libertatem, quod Lutherus et Calvinus negabant; non autem voluit aliquid definire, saltem expresse, de natura gratiae efficacis quoad hujus connexionem cum actu secundo. Attamen Tridentinum non parum videtur adversari gratiae intrinsece efficaci, praesertim praedeterminanti, in can. 4 (3), quum dicat hominem *posse dissentire* gratiae, cui cooperatur, sive efficaci; etenim gratiae intrinsece efficaci liberum arbitrium dissentire nequit. Item Tridentinum etiam dicit (4) hominem *posse abjicere inspirationem* quam recipit; hoc vero non posset, si gratia esset intrinsece efficax. Denique Tridentinum nec verbum adducit, quo significetur ipsum cum haereticis convenire in gratia admittenda, quae ab intrinseco sit efficax.

452. Obj. 5.° Secundum thesim positam efficacia gratiae etiam in actu primo a voluntate dependet; sed hoc est contra absolutum Dei dominium. Ergo. Item in actibus liberis, etiam salutaribus, voluntas operationem determinat; ideoque Deus ad operationem salutarem debet concurrere determinatus a creatura, quod quidem absurdum est. Ergo.

Resp. Gratia efficax in actu primo a solo Deo dependet; quia solus ille potest dare vel negare gratiam praevisam efficacem; et consensus voluntatis nihil potest praestare, nec potest dari, nisi prius Deus gratiam praevisam efficacem largiatur. Neque in hoc aliquid habetur contra supremum Dei dominium; nam Deus, servata libertate, se innumeros actus liberos obtinere posse videt; et libertate destructa, omnia, et omni modo Dei placito subjiciuntur. Ad alterum dicendum est voluntatem suam operationem determinare ad hoc ut sit, vel non sit, necessarium esse, ut detur libertas; de ratione enim libertatis est posse eligere inter unum et alterum; haec vero electio dari nequit, nisi penes voluntatem sit de-

(1) *Ad Quirinum*, l. 3, c. 4 (Hartel, pag. 116).
(2) *Ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 10 (M. L. 40, 117).
(3) Sess. 6.
(4) Sess. 6, cap. 5.

terminare sive elicere operationem, quae illi placeat. Hac de causa voluntati imputatur operatio; quia ab illa pendet dari vel non dari, dari uno modo vel alio. Et hoc non est contra naturam gratiae, quia in actibus salutaribus, voluntas simul cum gratia agit.

Nec Deus a creatura determinatur, sed creatura suam operationem determinat. Deus vero in actionibus liberis ita suum concursum temperat, ut creatura suam actionem determinet (1). Nec ideo libertas aut potestas Dei minuitur; tum quia Deus in omnibus actionibus creaturarum libere concurrit; tum quia multis modis movere potest voluntatem, ut haec libere accipiat, quod Deo placeat (2).

453. Obj. 6.° Gratia est efficax pro priori ad consensum futurum; tum quia vera est haec propositio: *ideo gratia obtinebit consensum, quia est efficax;* illa autem est falsa: *ideo est efficax, quia obtinebit consensum;* tum quia consensus est effectus gratiae efficacis, quia efficacis. Praeterea daretur mutua causalitas; nam consensus esset causa efficaciae gratiae, et vicissim efficacia gratiae esset causa consensus. Ergo gratia ex se jam est efficax.

Resp. Imprimis nego gratiam esse efficacem pro priori ad consensum conditionatae futurum; quia si gratia ex se non est efficax, non potest esse efficax, nisi ratione consensus futuri conditionate; non enim assignatur aliud caput, ex quo sit infallibiliter efficax. Deinde si difficultas de statu conditionato loquitur, negandum est suppositum; nam in statu conditionato non datur gratia efficax in actu primo, eo quod in tali statu habetur auxilium gratiae in actu primo et sub conditione, sed consensus non datur nisi in actu secundo; non enim status conditionatus ab alio statu conditionato praeceditur.

Si vero in difficultate sermo est de gratia efficaci jam existente, seu jam communicta, tunc datur gratia efficax in actu, quia antequam consensus eliciatur, jam constat esse eliciendum; nam propter statum conditionatum verum est, auxilium A, v. gr., esse consecuturum consensum, si communicaretur. Unde gratia jam existens in actu primo, seu jam communicata est efficax propter consensum conditionate futurum infallibiliter, si gratia communicaretur: immo Deus, ut jam dictum est, per consensum conditionate futurum cognoscit eventum, antequam gratiam largiatur.

Deinde consensus est effectus gratiae efficacis qua efficacis, quatenus sola gratia efficax consensum obtinet, non quia sola gratia efficax convenientem virtutem ad producendum actum salutarem habeat.

Denique dicendum est inter gratiam efficacem et consensum non dari mutuam causalitatem in eodem genere causae; nam gratia efficax est causa efficiens consensus, et consensus non est causa efficiens gratiae efficacis, sed cum illa quemdam complexum constituit, in quo consensus se habet per modum formae.

(1) Vide quae de hac re dixi in *Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, a. 5, n. 193 et sq.
(2) Vide locum proxime citatum, n. 204 et sq:

454. Obj. 7.° Gratia efficax et gratia inefficax realiter distinguuntur. Atqui distinctio realis ratione entitatis habetur. Ergo.

Resp. Dist. maj.: gratia efficax et gratia inefficax distinguuntur realiter inter se, quatenus sunt duae entitates realiter distinctae numerice, conc.; quatenus gratia efficax intrinsece cum consensu connectatur, neg. Et ad minorem dico gratiam efficacem et inefficacem non distingui intrinsece propter diversam connexionem cum consensu, sed quia sunt duae gratiae numericae distinctae.

THESIS III. Deus gratiam efficacem tribuit cum cognitione eventus, quam per scientiam mediam habet, et per decretum efficax benevolum; ideoque gratia efficax est speciale Dei beneficium.

455. Nota. Sensus theseos est clarus. Scientia media, decretum Dei efficax et divinum beneficium ad essentiam gratiae efficacis non pertinent. Verum, sicut jam dictum est, gratia efficax in actu primo constuitur adaequate per gratiam jam actu communicatam et per consensum conditionate futurum sub tali gratia quatenus praevisum per scientiam mediam. Decretum efficax dicitur, quia decernit communicare gratiam praevisam efficacem intendendo consensum, non per quaelibet media, sed praecise per auxilium praevisum efficax, et eo modo quo efficax praevisum est, ne libertas laedatur. In thesi tres partes continentur: 1.ª pars est, Deus gratiam efficacem tribuit cum cognitione eventus habita per scientiam mediam; 2.ª, per decretum efficax; 3.ª, gratia efficax est speciale Dei beneficium.

456. Prob. 1.ª p. seu Deus gratiam distribuit cum cognitione eventus habita per scientiam mediam. Quod gratiam destribuit cum cognitione eventus, i. e., consensus vel dissensus omnes theologi docent. Et hoc apparet, quia aliter Deus modo caeco operaretur, quod ipsum nullatenus decet. Hanc vero cognitionem a Deo haberi per scientiam mediam, docent (1) omnes PP. Societatis, et hoc probavi in loco nunc citato. Et breviter ostenditur; quia talis notitia non potest haberi per scientiam simplicis intelligentiae; haec enim solum manifestat sub unoquoque auxilio actus possibiles, non autem conditionate futuros; non per scientiam visionis, quia

(1) Vide quae de hac re dixi in *Tractatu de Deo uno*, d. 3, c. 1, aa. 7 et 8.

haec non praecedit divina decreta, sed ea sequitur, et sic non potest dirigere Deum in suis decretis formandis. Neque adducitur alia scientia Dei, quae servata hominis libertate, hoc praestet. Munus vero scientiae mediae hoc est, cognoscere futura contingentia conditionata independenter ab omni decreto Dei actuali.

457. Prob. 2.ª p. seu per decretum efficax Dei. Nam omnia creata dependent a voluntate seu decreto Dei, et cum dona gratiae a Deo specialiter dependeant, peculiariter per divinum decretum fieri debent. Hoc certe decretum intendit obtinere consensum, et vult ad hoc obtinendum dare gratiam praevisam efficacem. Obtinere quidem consensum Deus vult omnibus suis decretis, quae respiciunt auxilia vel actus salutares; quia salutem omnium vult; alterum vero, seu velle largiri gratiam praevisam efficacem ad consensum adipiscensum, solum vult Deus, quum efficaciter intendit consensum. Hoc tale decretum est efficax respectu consensus, et connectitur infallibiliter cum illo; et Deus per scientiam mediam hanc infallibilem connexionem cum consensu conditionate futuro certo cognoscit. Hoc decretum vocatur praedefinitio, ut jam supra dictum est, et in solutione difficultatum praesens res magis declarabitur.

458. Prob. 3.ª p. Gratia efficax est speciale Dei beneficium. Etenim quum Deus gratiam praevisam efficacem subministrat, non modo dat auxilium ad actum salutarem cum voluntate obtinendi talem actum; sed etiam ipsum actum salutarem ut infallibiliter futurum donat, et quidem cum voluntate efficaci obtinendi illum actum. Atqui majus Dei beneficium est benevola Dei voluntate accipere non modo auxilium et potestatem ad salutariter operandum, verum etiam ipsum actum salutarem ut infallibiliter futurum, quam tantum accipere ex benevola Dei voluntate auxilium et potestatem recte operandi, non autem ipsam operationem salutarem ut infallibiliter futuram. Et hoc praesertim tenet, quia Deus in omni casu facile potest largiri auxilium praevisum efficax, sed justis de causis non facit. Tamen Deus in omni casu suppeditat gratiam vere sufficientem, cum qua homo salutariter agere posset et tendere in salutem; verum ex sua culpa gratiae receptae non cooperatur.

459. Obj. 1.° Conc. Arausicanum II dicit (1): "Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et cooperationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto..." Atqui secundum doctrinam de scientia media Deus operationes humanas exspectat, ut agat respectu hominum. Ergo scientia media prorsus repudianda est.

Resp. Conc. maj. et neg. min. et cons. Concilium Arausicanum agit de statu absoluto, et loquitur de illis, qui jam existunt; non vero de illis, qui non existunt, sed possent existere. Quare, quum scientia media circa statum conditionatum versetur, Concilium Arausicanum, quod de statu absoluto et existente agit, scientiam mediam non attingit. Praeterea scientia media conditionate asserit non futurum esse, ut homo a peccatis purgaretur, nisi gratia Dei ad poenitentiam illustraretur, et sic sola voluntas ad purgationem peccatorum nihil valeret. Denique scientia media est scientia Dei (2), et scientia Dei nihil falsi continet.

460. Obj. 2.° Scientia media divinam omnipotentiam restringit: quia, ea posita, Deus nequit agere secundum suum placitum, sed debet agere secundum operationes humanas conditionate praevisas, et voluntas humana erit prima in conversione hominum, non Deus. Hoc autem absurdum est. Item potest evenire, ut aliquis omnibus gratiis consentiat, et e contra ut quis omnibus resistat; primus non posset reprobari, et alter salutem consequi non posset. Hoc autem rejiciendum est.

Resp. Scientia media divinam omnipotentiam nullatenus restringit; sed Deo communicat notitiam certam eorum, quae homines in quibuscumque adjunctis collocarentur, facerent, si operari libere relinquerentur. Haec vero scientia a Deo habenda est, prout infinita ejus perfectio exigit; ideoque scientia media omnipotentiam non modo non restringit, sed Deo communicat notitiam actuum liberorum, qui darentur, si homines libere agere sinerentur. Per scientiam mediam Deus cognoscit consensum vel dissensum hominum omnibus gratiis, quae illis communicari possunt, quae certe innumerae sunt, et innumeris modis unaquaeque gratia communicari potest. Unde scientia media magnam perfectionem Deo communicat, et nullam imperfectionem; per hanc scientiam enim Deus scit quidquid eveniret per liberam hominis voluntatem, in quibuscumque adjunctis, in quibus, ea poneretur, ut jam dictum est.

Deinde falsum est voluntatem humanam esse primam in conversione hominis; nam voluntas sine gratia nihil potest, et prius est accipere gratiam quam aliquid facere salutariter; et ut voluntas salutariter agat, semper debet agere cum gratiae cooperatione.

Denique, saltem moraliter, repugnat aliquem omnibus gratiis et in omnibus circumstantiis, in quibus tradi possunt, consentire; et similiter

(1) Can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 177).
(2) Ut probavi in *Tractat. de Deo uno*, d. 3, c. 1, a. 8.

repugnat aliquem omnibus gratiis dissentire (1). De hac re tres sunt theologorum sententiae, ut videre est apud Viva (2), Struggl (3), Beraza (4), etc. Una docet metaphysice repugnare creaturam sive omnibus gratiis consentientem sive omnibus dissentientem; altera asserit repugnare metaphysice creaturam omnibus gratiis dissentientem, sed non omnibus consentientem; tertia denique affirmat neutrum repugnare metaphysice, sed tantum moraliter. Verum, si daretur aliquis omnibus gratiis consentiens, vel etiam, aliquis omnibus gratiis dissentiens, nullum haberetur absurdum; sed haberetur hominem aliquem vel aliquos ex propia electione semper eodem modo operari sive bene, sive male. Et hoc non esset contra divinam omnipotentiam; quia nec bona operatio nec mala sine concursu divinae omnipotentiae dari potest. Deus igitur, si libertatem humanam servare velit, operabitur secundum notitiam scientiae mediae; sed pro suo placito aliter operari potest.

461. Obj. 3.° Scientia media gratiam efficacem nec essentialiter, nec accidentaliter constituit. Ergo de illa, quum de gratia efficaci tractatur, non est curandum.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam gratia efficax in actu primo habetur per auxilium jam actu a Deo communicatum et per consensum futurum conditionate. Et sic gratia constituitur efficax in actu primo per consensum conditionate futurum; nam talis futuritio est infallibilis, et sic consensum infallibiliter inducit. Quare scientia media non est elementum constituens gratiam efficacem. Tamen scientia media attingenda est, quum de gratia efficaci agitur; nam Deus, si hominum libertatem servare velit, per scientiam mediam cognoscit, quaenam erit gratia efficax, quaenam non erit. Per scientiam enim mediam tantum videtur recte explicari concordia liberi arbitrii cum gratia efficaci. Nam haec scientia tantum manifestat quid homo libere facturus esset; et ita jam supponit consensum libere positum conditionate, et ideo requirit consensum absolute futurum libere, si actu a parte rei communicatur gratia. Deus igitur certe gratias convenienter distribuere non posset, si scientia media careret.

462. Obj. 4.° Si daretur scientia media, Deus omnibus sine detrimento libertatis gratias efficaces largiri posset. Atqui hoc non facit, quum omnium hominum salutem velit. Ergo videtur dicendum talem scientiam admittendam non esse.

Resp. Conc. maj. et disting. min.: Deus vult absolute salutem omnium hominum, neg.; vult dependenter a cooperatione hominum illis auxiliis, quae recipiant, conc. Et neg. cons. Deus quidem serio et sincere salutem omnium hominum vult; sed non vult illam ut consequendam per quaecumque media; sed per ea media, quae singulis secundum ordinem divinae providentiae distribuuntur. Quocirca Deus omnibus tribuit

(1) Vide quae de hac re dixi in *Tractatu de Deo uno*, d. 1, a. 8, n. 419.
(2) *De gratia*, d. 1, q. 2.
(3) *De gratia*, tract. 6, d. 3, q. 3, a. 3.
(4) *De gratia Christi*, n. 619.

media vere sufficientia ad salutem consequendam, et hanc singuli consequerentur, si mediis, quae illis communicantur, cooperarentur, ut possent. Deus ex voluntate vera et sincera salvandi omnes, non tenetur tribuere omnibus gratias praevisas efficaces; sed ea media debet tribuere, quae homines efficacia facere possunt, si velint, et ita salutem adipisci. Media quidem praevisa efficacia justis de causis Deus non omnibus donat, licet tribuere posset.

463. Obj. 5.° Praedefinitiones rejiciendae sunt; non enim cum illis actus oppositus dari potest, et sic libertatem tollunt. Ergo quum libertas admittenda sit, praedefinitiones admitti nequeunt.

Resp. Dist. ante.: rejiciendae sunt praedefinitiones omnino absolutae, antequam actus liber eliciatur, conc.; praedefinitiones solum efficaces, quatenus actus liber infallibiliter eliciatur, neg. Ut jam supra dictum est (1), praedefinitiones formales rejiciendae sunt, et ex virtualibus solum illae admittendae sunt, quae relinquunt plenam potestatem libere agendi. Hoc autem evenit, quum tribuitur auxilium eo modo, quo praevisum est stare cum libertate; hoc est, ut ita tribuatur, ut voluntas libere inter unum et alterum eligere possit.

464. Obj. 6.° Scientia media, licet actum liberum antecedat, libertatem non tollit. Atqui idem de praedefinitionibus dicendum esse videtur. Ergo.

Resp. Dist. maj.: scientia media suum objectum tempore praecedit, conc.; objective, neg. Et neg. min. et cons. Ratio solutionis est, quia scientia media suum objectum non repraesentat, quia illud futurum constituat; sed e contra, quia illud futurum esset per liberam hominis determinationem, ideo a scientia media repraesentatur; et propterea scientia media objetive a suo objecto determinatur. Non ita evenit in praedefinitionibus; hae namque ab aeterno a libera Dei voluntate statuuntur, et ideo si prorsus sint absolute, nullo modo sinunt omitti actum vel elici oppositum.

465. Obj. 7.° Praedefinitio, ut sit speciale beneficium, debet esse absoluta; aliter non simpliciter vult Deus auxilium efficax. Ergo ad gratiam efficacem defendendam, ut speciale beneficium, defendendum est quoque praedefinitiones esse absolutas.

Resp. Neg. ant. cum ejus probatione, et cons. Nam praedefinitio virtualis, quae est efficax quatenus cum libertate componitur, revera est decretum benevolum, et modo infallibili communicat gratiam, quae modo certo ex libero usu libertatis effectum habebit. Ideoque est vere benevola; nam Deus ex amore speciali illam largitur, et scit illam infallibiliter obtenturam esse effectum. Neque est idem cum gratia sufficiente; quia haec ex culpa recipientis praevidetur non obtentura esse effectum, et Deus posset facile praebere aliam, quae effectum consequeretur. Praedefinitio igitur illa, quae non est absolute efficax, sed tamen certo efficax, revera est benevola; nam vi ipsius Deus largitur ex amore gratiam efficacem, quum aliam tribuere inefficacem facile posset.

(1) Vide dicta supra n. 440.

466. Scholion 1. Patres Societatis Jesu in natura gratiae efficacis explicandae sunt concordes. Agitur hic de gratia efficaci in actu primo; nam in actu secundo omnes consentiunt gratiam efficacem formaliter sumptam esse ipsam operationem. Jam gratiam efficacem in actu primo consentiunt omnes PP. Societatis consistere in gratia praeveniente indifferente (seu non efficaci ab intrinseco), sed ab extrinseco infallibiliter connexa cum consensu (1). Haec gratia habet quidem vim producendi consensum; sed non inducit in illum modo certo, et hac de causa vocatur indifferens. Unde haec gratia non vocatur *indifferens*, quia in consensum non inducat, sed quia non inducit modo certo, et repudiari potest. Quocirca haec gratia est efficax in actu primo, propter consensum conditionate futurum. Nonnulli distinguunt inter molinismum et congruismum, sed non recte; nam in natura gratiae efficacis explicanda non differunt, nisi modo loquendi, verum re ipsa idem dicunt. Illa gratia dicitur congrua, quae secum adducit consensum; et hoc non ex vi intrinseca gratiae, neque ex vi circumstantiarum, sed ex libera electione voluntatis. Patres Societatis nullatenus docent circumstantias determinare; sed ipsam voluntatem determinare libere se ipsam in certis circumstantiis. Scientia media, quae ab omnibus PP. Societatis admittitur, non est de essentia gratiae efficacis, sed Deo inservit, ut scienter distribuat gratias; similiter praedefinitiones non sunt de essentia gratiae, sed ex parte Dei requiruntur.

Quum ad gratiam efficacem sive in actu primo, sive in actu secundo pertineat consensus; causa quae facit ut detur, vel non detur consensus salutaris, est causa, cur re ipsa detur, vel non detur gratia efficax. Haec autem causa est voluntas, ut explicavi in *Tractatu de Deo Creatore* (2). Et haec ipsa doctrina tradit B. Bellarminus his verbis (3): "Ex quo etiam sequitur (4), ut licet in eodem prorsus momento temporis, et naturae Deus et voluntas operari incipiant, tamen Deus operetur, quia voluntas operatur, non contra. Et hoc est, quod aliqui dicunt, voluntatem prius natura operari, quam Deum, non prioritate instantis, in quo, sed a quo."

Verum, licet PP. Societatis Jesu non differant in ipsa natura gratiae efficacis explicanda, differunt tamen in aliis ad gratiam vel ad connexa cum gratia pertinentibus. Capita dissensionis sunt: praedefinitiones, modus concurrendi gratiae actualis praevenientis et praedestinatio ad gloriam.

467. *Praedefinitiones.* Praedefinitiones hic accipiuntur, quatenus sunt decreta Dei efficaciter intendentia aut actum salutarem, aut gratiam ad illum eliciendum (5). De hac re inter nostros est praecipue duplex

(1) Suarez, *De gratia*, l. 5, c. 21; Lessius, *De divinis perfectionibus*, l. 14, appendix ad c. 2; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 5, d. 113, s. 5; Schneemann (Gerardus), *Controver. de divinae gratiae liberique arbitrii concordia*, §. 16, pag. 302; Beraza, *Appendix*, n. 633 et sq.
(2) D. 1, c. 2, a. 5, n. 193.
(3) *De gratia et lib. arbitr.*, l. 4, c. 15.
(4) Sequitur ex eo, quod Deus in effectum, non in ipsam causam influit.
(5) Vide dicta supra, d. 2, c. 2, a. 4, n. 440.

sententia. P. Suarez (1), Ruiz de Montoya (2) et plures alii praedefinitiones formales et absolutas, seu simpliciter efficaces ex se ipsis admittunt. Alii vero ut Vazquez (3), Lessius (4) et multi alii praedefinitiones absolutas et simpliciter ex se efficaces et infrustrabiles rejiciunt, et tantum admittunt eas praedefinitiones virtuales, quae sunt quidem efficaces, sed quia voluntas libere ponit actum liberum. Unde, sicut supra dictum, hae praedefinitiones non decernunt absolute actum liberum, nisi in quantum voluntas eliciat illum actum omnino libere, sine ullo impedimento; ideoque sine decreto absolute intendente actum liberum, antequam hic in statu existentiae eliciatur.

De influxu gratiae actualis in actus salutares. In hac re est quoque discrimen inter theologoos Societatis. Alii, ut Beatus Bellarminus, Molina, Lessius, Valentia, etc., defendunt auxilia gratiae physice concurrere in actus salutares; alii vero, ut Suarez, Tanner, Arriaga, Mayr, etc., auxiliis gratiae solum concedunt influxum moralem in actus salutares (5).

De praedestinatione ad gloriam. Duae sententiae sunt de hac re inter nostros. Beatus Bellarminus (6), Suarez (7), Tanner (8), Arriaga (9), aliique defendunt praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita. Verum plures alii propugnant praedestinationem ad gloriam in adultis dari post praevisa merita. Ita Vazquez (10), Toletus (11), etc. De hac quaestione dixi in *Tractatu de Deo uno* (12).

468. Scholion II *Decretum Adm. R. P. Claudii Aquaviva circa doctrinam a theologis Societatis Jesu defendendam de gratia efficaci.* P. Generalis Claudius ita statuit (13): "Quum ad eam, quae in Constitutionibus tantopere commendatur, animorum conjunctionem et conformitatem soliditatemque doctrinae vel ad bonam Societatis apud externos existimationem plurimum referat, in rebus praesertim gravioribus, nostris quantum fieri potest occasiones praescindere, novas subinde opiniones excogitandi, re diu multumque cum Patribus Assistentibus considerata ac Domino diligentissime commendata: visum est nobis serio statuendum graviterque mandandum, quod praesentibus pro officii nostri auctoritate et obligatione statuimus et mandamus, ut in tradenda divinae gratiae efficacitate, nostri eam opinionem sequantur, sive in libris sive in lectionibus ac publicis disputationibus, quae a plerisque Societatis nostrae scriptoribus tradita, ac in controversia de auxiliis divinae gratiae coram SS. Pontificibus piae memoriae Clementis VIII et SS. D. N. Pauli V tamquam magis consentanea SS. Augustino et Thomae gravissimorum Patrum ju-

(1) *De praedestinatione,* l. 1, c. 13.
(2) *De providentia,* tract. 2, d. 9.
(3) *In 1. p.,* d. 89, c. 10, et d. 99, cc. 3 et 7.
(4) In locis citatis n. 440.
(5) Vide dicta supra d. 1, c. 2, a. 2.
(6) *De gratia et lib. arb.,* l. 2, c. 15.
(7) *De praedest.* c. 8.
(8) *De Deo uno,* d. 3, q. 4, dubium 2 et 5.
(9) *De Deo uno,* d. 36, s. 3 et sq.
(10) *In 1. p.,* d. 89.
(11) *In 1. p.,* q. 23, a. 5.
(12) D. 4, c. 2, a. 2.
(13) Schneemann, *Controv. de div. grat. liber. arbitr. concordia,* §. 16, pag. 303.

dicio explicata et defensa est. Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum re ipsa habet atque efficax dicitur, et eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, *aliis usurus*, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri; atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa faciamus, non tantum, quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia, quae procul dubio donum Dei est."

Verum nonnulla dubia ex decreto P. Claudii exorta sunt, et ad ea tollenda in Congregatione Generali VII facta est talis decreti haec interpretatio: "Cum difficultas aliqua inter viros doctos super decreto R. P. Claudii (Aquavivae) piae memoriae, anni 1613, Dec. 4, de efficacia gratiae nata est, variis varie id interpretantibus, R. P. Praepositus Generalis (Mutius Vitelleschi) et qui ei assistentes erant et secretarius, qui decreto illi praesentes interfuerant et mentem R. P. Claudii probe perspectam habebant, itemque Patres ad id [a] Congregatione deputati censuerunt non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere, Deum sua voluntate praedeterminasse vel praedefinivisse aliquod nostrum opus bonum independenter a cooperatione libera voluntatis, nec etiam quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis aut aliquis modus physicus in actu primo, qui non sit in gratia sufficienti; sed hoc tantum quod fuerit speciale beneficium Dei dedisse uni, v. gr., Pedro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore et loco, quo per praescientiam conditionalium praescivit illum ea gratia bene usurum; quod beneficium non contulit alteri, v. gr., Joanni, cui dedit gratiam eo tempore et loco, quo praescivit sua culpa ea non usurum." Hanc interpretationem R. P. Mutius Vitelleschi misit ad Provincias die 7 Junii, anno 1616 (1).

Cum hac interpretatione manifeste conciliantur diversae sententiae theologorum Societatis Jesu. Quocirca decretum R. P. Claudii explicatum secundum interpretationem R. P. Mutii Vitelleschi nec apparenter opponitur alicui ex sententiis, quas theologi Societatis Jesu defendunt.

469. Scholion III. *De libro P. Molinae inscripto Concordia* (2). Agitur de hoc libro, tum quia fuit primus, qui propugnavit doctrinas PP. Societatis Jesu in materia de scientia Dei et de gratia efficaci, tum propter vehementes impugnationes, quas sustinere debuit. Hic liber editus fuit anno 1588, ad finem anni, et ejus inscriptio erat *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis*, etc. Liber examinatus et probatus fuit, non modo a censoribus Societatis Jesu, verum etiam ab Inquisitione Lusita-

(1) Henao, *Scient. med. historice propugnata*, eventil. 47, n. 1281.
(2) Schaeemann (Gerardus), *Controvers. de divinae gratiae liberique arbitr. concordia;* Astrain (Antonius), *Historia de la Compañía de Jesús*, tom. 4, l. 2, cap. 3 y sig.

niae et Castellae, et a Consiliis Regiis Castellae et Aragoniae: magnum habuit exitum, et paucis annis plures ipsius factae sunt editiones. Ejus doctrina de gratia efficaci est eadem, quae hic defensa est. Verum librum impugnarunt P. Bañes et alit Patres dominicani, et disputationibus publicis, et accusatione apud tribunal Inquisitionis. Fuit in Hispania propter hanc causam vehemens lucta inter PP. Dominicanos et PP. Societatis Jesu. Porro ad pacem consequendam Clemens VIII ad suum tribunal adduxit causam dissensionis inter PP. Dominicanos et PP. Jesuitas. Ad hanc rem finiendam Romae plurimae disputationes et congregationes habitae sunt: aliae praeside Cardinali Madrutio, aliae Clemente VIII, aliae denique Paulo V.

Finis hujus quaestionis fuit, ut Summus Pontifex Paulus V nihil definiret, et daret unicuique partium facultatem defendendi propriam sententiam; sed cum stricta prohibitione infligendi censuram aliquam parti oppositae. Post aliquos annos prohibuit quoque libros edere, qui de hac re tractarent.

470. Scholion iv. *Defensio P. Molinae contra P. N. Del Prado.* Indoles hujus operis non sinit refellere omnia; quae Del Prado contra Molinam profert, nisi modo generali; in particulari aliqua tantum refutari possunt. Imprimis liber Molinae probatus fuit a pluribus Doctoribus catholicis et a sapientibus Tribunalibus, quod certe non factum esset, si in illo haereses vel errores manifesti contra doctrinam catholicam continerentur. Deinde in *Tractatu de Deo uno* (1) propugnavi scientiam mediam, et illius veritatem et necessitatem ostendi, et nihil reprehensibile in illa inveniri, et in hoc capite, a. 4, probatum est gratiam efficacem, prout illa a Molina declaratur, esse admittendam. Quare ea, quae Del Prado contra Molinam dicit, non sunt errores manifesti contra doctrinam catholicam; sed ad summum aliqua, quae probabiliter sint reprehensibilia; nullus enim, si PP. Dominicani excipiantur, in meis operibus invenit errorem cognitum contra doctrinam catholicam, nedum haeresim.

Accedit quod Del Padro significat (2) non dari medium inter scientiam mediam et praemotionem physicam, et inter alia haec dicit (3): "Quaecumque igitur sit via, qua theologus ac philosophus ambulare intendat, ad terminum viae cum pervenerit, vel ad scientiam mediam vel ad physicam praedeterminationem recursum habere cogitur." Quocirca, quum praemotio physica libertatem humanam destruere videatur, amplectenda est scientia media et rejicienda praemotio physica (4).

471. Nonnulla, quae contra Molinam dicit (5) Prado (Norbertus del) breviter refutantur.

1. Concursus Dei prout a P. Molina explicatur, a Deo tollit rationem primi entis, rationem primi actus, rationem primi motoris, rationem primae causae, rationem providentiae circa actus liberos creaturae; certi-

(1) Disp. 3, c. 1, a. 8.
(2) *De gratia et liber. arbitr.*, t. 3, c. 12.
(3) Tom. 3, pag. 514.
(4) Praemotionem physicam refutavi in *Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, a. 3, et in hoc capite, a. 2.
(5) Tomo 3, *De gratia et liber. arbitr.*

tudinem divinae scientie circa futura libera, rationem primi auctoris virtutis, sive boni moralis (1).

Haec omnia ex ipsis verbis P. Molinae refutantur, qui dicit (2): "Deus ergo, comparatione cujusque effectus causae secundae, dicitur causa prima, tum quia causa ipsa secunda habet totum suum esse et vim operandi a Deo, atque ab actuali et immediato influxu Dei pendent ea omnia quae in ea sunt: tum etiam quia concursus Dei generalis, quo cum causis secundis ad agendum concurrit, maxime universalis est, secundum rationem causae efficientis, ad universos effectus sese extendens: qua ratione si in commune spectetur, poterit dici prior natura quocumque influxu causae particularis, quatenus, ab eo ad concursum cujusque causae secundae ne convertitur existentiae consequentia, quippe recte sic liceat colligere: datur influxus hujus causae secundae, ergo datur etiam concursus generalis causae primae; non vero a contrario bene colliges: datur concursus generalis Dei, ergo datur etiam concursus hujus causae secundae."

Juxta Molinam *Deus dicitur causa prima, quia causa ipsa secunda habet totum suum esse et vim operandi a Deo,* ideoque non tollit a Deo rationem primi entis, primi actus, primi motoris, primae causae; nam creaturae habent a Deo totum esse et vim operandi; ac proinde creaturae a Deo omnino pendent, et ita Deus est primum ens, primus actus, primus motor, prima causa. Et haec omnia habet etiam Deus ratione concursus generalis; quia creaturae sine concursu Dei operari nequeunt, et Deus creaturis nullo modo indiget ad operandum.

Non tollitur a Molina ratio providentiae, quum providentia a Molina definiatur (3): "Est ergo providentia divina non aliud quam ratio seu conceptio ordinis rerum in suos fines in mente divina existens cum proposito eum per se, vel etiam interventu causarum secundarum, executioni mandandi." Et P. Molina ponit in Deo scientiam mediam (4), speciatim ut futura libera a Deo cognoscantur.

P. Molina rationem primi auctoris virtutis a Deo non tollit, quum asserat a divina voluntate omnia pendere (5).

2. Del Prado tribuit (6), P. Molinae: non servare subordinationem causarum secundarum sub causa prima; subtrahere ipsum causarum secundarum ordinem, qui est ordo causarum instrumentalium Dei; laedere ipsum liberum arbitrium creatum; destruere ordinem moralem; inducere ad occasionalismmum; claudere viam ad existentiam Dei demonstrandam.

Immerito haec P. Molinae tribuuntur.

Servat subordinationem causarum secundarum sub causa prima, et non subtrahit ipsum causarum secundarum ordinem; nam, ut dictum est sub 1., omnes causae secundae acceperunt totum esse et virtutem a causa prima, nec possunt operari, nisi cum illis causa prima simul operetur;

(1) Del Prado, *De gratia et liber. arbitr.*, t. 3, haec tribuit P. Molinae.
(2) *Concordia,* Quaest. 14, a. 13, d. 30 ad finem.
(3) *Concordia,* In quaest. XXII, a. 1, d. 1.
(4) *Concordia,* In quaest. 14, a. 13, d. 53, membr. 3.
(5) Eodem loco, d. 26, et quaest. 19, a. 6, d. 2, et alibi.
(6) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 3, concl. 2.ª.

nec subtrahit ordinem causarum, quum causae secundae nequeant agere, nisi dependenter a concursu causae primae, et haec dependentia faciat, ut creaturae sint veluti instrumentum Dei; eo quod in omni sua operatione a Deo dependeant. Ideoque causae secundae sunt omnino causae primae subordinatae in sua entitate, in sua virtute et in sua operatione, et sicut instrumenta ut talia non possunt agere sine causa principali, sic creaturae nequeunt agere sine concursu Dei (1). Et Deus et creatura per eamdem actionem operantur, ut dicit D. Thomas (2).

Non laedit libertatem, sed illam tribuit, et subtrahendo praemotionem, quae libertatem tollere videtur; quia voluntas sine illa nequit agere, et illa posita, tantum id agere potest ad quod Deus illam praedeterminavit.

Non destruit ordinem moralem; quum neque tollat libertatem, cum qua homo actus virtutis libere exercet, sed non sine concursu Dei, qui ex dictis sub 1 ad omnia se extendit. Et alibi dicit (3), P. Molina: "Dicendum itaque est, Deum immediate immediatione suppositi concurrere cum causis secundis ad earum operationes et effectus, ita videlicet, ut quemadmodum causa secunda immediate elicit suam operationem, et per eam terminum seu effectum producit; sic Deus concursu quodam generali immediate influit cum ea in eamdem operationem, et per operationem seu actionem terminum illius atque effectum producat." Et alibi (4): "Imo vero neque sunt duae actiones, sed una numero actio, quae, ut a Deo illo modo praecise influente, dicitur concursus Dei generalis; ut vero a causa secunda, puta ab igne calefaciente, dicitur concursus seu influxus ignis; neque actio illa habet, quod sit hujus speciei, nempe calefactio, potius quam frigefactio, quia a Deo per concursum universalem, seu ut comparatione Dei est concursus ipsius universalis, sed quia est ab igne cum Deo cooperante per suam particularem virtutem (ignis), eamque determinante ad speciem calefactionis, atque ut comparatione ignis est influxus, concursusve particularis ipsius."

Deinde Molina ponit cetera ad ordinem moralem necessaria; quia tribuit homini intellectum ad cognoscendum bonum et malum, et voluntatem liberam ad bene et male operandum libere. Tamen nullus actus creaturae sive necessarius, sive liber fieri potest, nisi etiam Deus illum efficiat, ut non semel P. Molina affirmat.

Non inducit ad occasionalismum. Nam saepe tribuit voluntati humanae et etiam aliis causis omnia necessaria ad operandum; sed ad operandum concurrente Deo. Praemotio vero physica rejicienda est; nam nullo modo a creaturis requiritur ad operandum.

Non claudit viam ad existentiam Dei demonstrandam. P. Molina hanc conclusionem ponit (5): "A posteriori, sive ex effectibus, qui a solo Deo possunt produci, demonstrari potest Deum esse." Et eodem loco, a. 3,

(1) Vide Concordiam, q. 14, a. 13, d. 25.
(2) *In 1. p.*, q. 105, a. 5, ad 2; *De potentia*, quaest. 3, a. 7, ad 3; I. p., q. 23, a. 5; *Contr. gent.*, l. 3, c. 70.
(3) *Concordia*, q. 14, a. 13, d. 26.
(4) Eodem loco, editionis parisiensis, pag. 155.
(5) *In 1.am p.*, q. 2, a. 2.

plura argumenta ex effectibus ad divinam existentiam demonstrandam adducit.

472. *De gratia et scientia media.* Molinam recte sentire de natura gratiae elucet ex hoc, quod affirmat (1) *voluntatem humanam* auxilio gratiae destitutam, nihil omnino posse, quod vita aeterna sit dignum: et asserit conferri (2) gratiam *ex sola Dei misericordia, ac mere gratis, et non propter bonum aliquem usum liberi arbitrii.* Et ipse P. Molina dicit (3): "Quoniam ad illos actus eliciendos, ut fini supernaturali sint accomodati, et quales ad salutem sunt necessarii, requiritur, ut vel per inspirationem et auxilium particulare Spiritus Sancti eliciantur, vel per concursum habitus supernaturalis." Et alibi inquit (4): "Illa enim eadem gratia, quae liberum arbitrium praevenit et excitat ad actus quibus se ad justificationem disponit, dicitur cooperans, si arbitrium cum ea consentiat, atque simul pro sua libertate influat..." Ex quibus apparet secundum P. Molinam gratiam praevenientem fieri concurrentem physice ad actus salutares, si voluntas gratiae excitanti consentiat.

Denique ipse P. Molina inquit (5): "Cum tam liberum arbitrium, quam gratia praeveniens sint causae secundae actum credendi, sperandi, et poenitendi, ut oportet: nulla vero causa secunda, etiamsi supernaturalis sit, efficere quidquam possit, nisi a Deo influente simul immediate per concursum generalem in effectum adjuvetur, idque propterea quod omnis universim effectus sicut a Deo pendet immediate ut conservetur, ita etiam ut fiat, ut d. 25 et sq. ostensum est, liquido sane constat, ut liberum arbitrium una cum gratia praeveniente producat quemcumque illorum actuum, necessarium esse, ut Deus quoque una cum illis immediate in actum producendum per concursum suum universalem influat." P. Molina non vocat concursum Dei universalem seu generalem, quia sit ejusdem speciei pro singulis operationibus sive naturalibus, sive supernaturales; sed quia est necessarius pro omnibus et singulis operationibus sive ordinis naturalis, sive supernaturalis. Quod vero concursus Dei cum creaturis juxta P. Molina non sit ejusdem speciei in singulis operationibus, elucet ex hoc, quod actio Dei concurrens est una eademque cum actione creaturae, ut docet P. Molina.

De scientia media. Scientia media est admittenda, ut probavi in *Tractatu de Deo uno* (6), et nullum ex his incommodis, quae a Del Prado ei tribuuntur, ipsi conveniunt. Non tollit a Deo rationem primi liberi: quia scientia nihil facit respectu libertatis, et objectum scientiae mediae non est existens, nec existere potest, nisi Deus illi concedat; non aufert a Deo supremum dominium in voluntates; sed e contra Deus ratione scientiae mediae voluntates pro suo arbitratu movere potest sine detrimento libertatis; et aliis incommodis similiter responderi posset.

(1) *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 19, membr. 5.
(2) Eodem loco, d. 37.
(3) Eodem loco, d. 8, ad finem.
(4) Eodem loco, d. 39.
(5) Loco proxime citato, c. 37.
(6) Disp. 3, c. 1, a. 8.

473. *De aliis, quae a P. Del Prado* (1) *contra Molinam proferuntur.* Multa dicit Del Prado contra doctrinam praedestinationis P. Molinae; sed revera Molina nihil defendit nisi praedestinationem adaequate sumptam esse prorsus gratuitam; sed in adultis praedestinationem ad gloriam esse ex meritis praedestinati (2), ut docent SS. PP. et multi theologi (3).

Doctrina Molinae non est quidam manichaeismus (4). Tota ratio Del Prado ad dicendum hoc de Molina est, quia Molina ponit quandam aequalitatem inter Deum et hominem. Verum, quum hoc falsissimum sit, ut constat ex dictis sub 1; etiam falsissimum est in doctrina Molinae aliquid manichaeismi contineri.

Doctrina Molinae non favet pelagianismo. Ad hoc demonstrandum adducam aliqua ex his, quae asserit (5) Molina. Inter alia haec asserit: "Nos secuti, non solum vestigia, sed et verba, apertamque sententiam Concilii Tridentini sess. 6, cap. 5 et can. 4 junctis antecedentibus et consequentibus, ubi profecto dilucidius et exactius, quam in quocumque alio concilio, doctrina justificationis adversus pelagianos et lutheranos tradita est, asseveramus quae sequuntur."

"In primis nullum adultum posse credere, sperare, diligere, aut poenitere, ut ad salutem oportet, absque praeveniente ac excitante Spiritus Sancti gratia."

"Deinde in potestate arbitrii adulti, eo pacto a Deo praeventi et excitati, esse consentire aut non consentire Deo ita per praevenientem gratiam excitanti et vocanti, atque adeo in potestate ejusdem arbitrii esse, reddere cassam, aut non reddere, ejusmodi praevenientem Spiritus Sancti gratiam."

"Tertio asseveramus, praevenientem gratiam, qua arbitrium adulti a Spiritu Sancto praevenitur, excitatur, allicitur, ac invitatur ad praedictos credendi, sperandi, diligendi, ac poenitendi actus, esse instrumentum Spiritus Sancti, quo ulterius efficienter concurrit ac influit cum arbitrio ipso ad eos actus producendos, quando arbitrium ipsum praedictae gratiae consentit, et cum ea influit et cooperatur ad eos actus."

Molina non favet Calvino (6). Ad hoc probandum multa ex *Concordia* transcribi possent; tantum duos paragraphos afferam. Affirmat (7) Molina: "Quarto. Asseveramus, consensum arbitrii nostri Deo excitanti, allicienti, ac vocanti per auxilium gratiae praevenientis, non esse aliud, quam liberum nostri arbitrii influxum et cooperationem cum eodem gratiae auxilio ad supernaturales actus credendi, sperandi, diligendi, ac poenitendi, ad quos invitamur, et qui dispositiones sunt ad justificationem."

Idem Molina docet (8): "Hinc quinto loco asserimus: auxilia praeve-

(1) *De gratia et liber. arbitr.*, tom. 3, c. 6.
(2) *Concordia*, quaest. 23, aa. 4 et 5, d. 1, membr. 11.
(3) Vide quae dixi in *Tractatu de Deo uno*, d. 4, c. 2, a. 2.
(4) Del Prado, *De gratia et lib. arbitr.*, c. 7, concl. 3.ª et 4.ª contrarium docet.
(5) *Concordia*, q. 14, a. 13, d. 40.
(6) Contrarium docet Del Prado, *De gratia et libero arbitrio*, tom. 3, c. 7, §. 2.
(7) Eodem loco proxime citato.
(8) Eodem loco, et inferius.

nientis atque adjuvantis gratiae, quae lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia aut inefficacia ad conversionem seu justificationem sint, pendere a libero consensu et cooperatione arbitrii nostri cum illis, atque adeo in libera potestate nostra esse, et illa efficacia reddere consentiendo et cooperando cum illis ad actus, quibus ad justificacionem disponimur, vel inefficacia illa reddere, continendo consensum et cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum."

Ad finem tria animadverto. a) Objectum scientiae mediae non est aliquid existens, aut absolute futurum; sed tantum aliquid quod existeret, si Deus libere vellet illi largiri existentiam; ideoque objectum scientiae mediae sub nulla ratione est aliquid praecedens Deum, aut ipsi non perfecte subjectum; nam independenter a divina voluntate nihil est actu praesens aut absolute futurum. b) Ut jam dictum est, si creatura operatur, etiam Deus operatur, et non viceversa; quia Deus potest operari sine ullo creaturae concursu, sed creatura operari nequit sine concursu Dei. c) Creatura non utitur Deo; quia nullo modo eum applicat ad operandum; sed ipse Deus sive in concursu sive in quacumque alia operatione se ipsum ad operandum libere se applicat; et licet creatura determinet operationem, Deus libere facit determinationem creaturae.

Articulus V

Quid de gratia efficaci senserint S. Augustinus et S. Thomas

474. Praemitt. Quum S. Augustinus sit praecipuus auctor in materia de gratia, magni momenti est scire quid ipse de gratia efficaci senserit. Jam supra n. 411 probatum est S. Augustinum esse contrarium praedeterminationi physicae. Videatur etiam n. 395. Atque hoc ipsum magis hic confirmabitur, et solventur ea, quae in oppositum adducuntur. Etiam de sententia S. Thomae circa gratiam efficacem dicendum est, quum ejus auctoritas tam maxima sit. In hac re nihil ab Ecclesia definitum est; tamen quod defendo, habeo ut multo probabilius.

THESIS I. S. Augustinus non reponit gratiam efficacem in præmotione physica

475. Prob. 1.° S. Augustinus dicit (1): "At enim quia non praecedit voluntas bona rationem, sed vocatio bonam volun-

(1) *Ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 12 (M. L. 40, 118).

tatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur." Ubi S. Doctor ponit ut causam, cur volumus, non physicam praemotionem, sed *vocationem;* vocatio vero non est aliqua praedeterminatio, sed aliqua locutio.

Idem S. Doctor inquit (1): "Et non jam similiter verum est, *igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis*: quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, et frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illius aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo, *multi vocati, pauci electi.* Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, *non volentis neque currentis,* sed miserentis est Dei; quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur, cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat."

Ex his testimoniis manifestum est S. Augustinum efficaciam gratiae tribuere vocationi congruae, non physicae praedeterminationi. Nec dici potest vocationem esse congruam ex ipsa gratia, non ex dispositione subjecti, quum ipse Augustinus dicat (2): "Ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendae reperiuntur idonei." Ac proinde gratia non facit congruitatem, sed illam reperit. Nec textus allati recusari possunt propter minorem libri auctoritatem, nam S. Augustinus *Quaestion. ad Simplicianum* jam senex approbat (3).

476. 2.° *Ex Praedestinatione sanctorum,* ubi dicit (4): "Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei: nec potest eorum quisque dicere, credidi ut sic vocarer; praevenit

(1) Eodem loco, n. 13.
(2) Eodem loco proxime citato.
(3) *De praedestinatione sanctorum*, c. 4, n. 8; *De dono perseverantiae*, cc. 20 et 21, nn. 52 et 55; *Retract.*, l. 2, c. 1.
(4) Cap. 16, n. 33 (M. L. 44, 985).

eum quippe misericordia Dei, quia sic est vocatus ut crederet." Et inferius (1) habetur: "Non enim quia credidimus, sed ut credamus elegit nos: ne priores eum elegisse dicamur, falsumque sit, quod absit, *non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Nec quia credidimus, sed ut credamus vocamur: atque illa vocatione, quae sine poenitentia est, id prorsus agitur et peragitur, ut credamus." Item (2). "Hoc donum coelestis gratiae in illam purpurariam descenderat, cui, sicut Scriptura dicit in Actibus Apostolorum: *Deus aperuerat sensum ejus, et intendebat in ea quae a Paulo dicebantur* (Act. A. XVI, 14). Sic enim vocabatur, ut crederet." In omnibus hisce testimoniis fides vocationi tribuitur.

477. 3.° *Ex L. 2 de peccatorum merit. et remissi.* (3), ubi habetur: "Ad peccandum namque non adjuvamur a Deo: justa autem agere vel justitiae praeceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur a Deo. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus aversusve discedat; ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino nisi illa adjuverit, potest: ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostrae mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, nostrum est;... Conversos ego Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut convertamur, ipse adjuvat: quod certe oculis corporis lux ista non praestat. Cum ergo nobis jubet dicens, *convertimini ad me, et convertar ad vos* (*Zach.* I, 3); nosque illi dicimus, *Converte nos, Deus...* quid aliud dicimus, quam, da quod jubes?"

In testimonio nunc allato Deum et voluntatem in operibus salutaribus dicit S. Augustinus se habere, sicut lux et oculus; et sicut oculus sine luce videre non potest, ita voluntas sine Dei adjutorio aliquid salutariter facere non potest; unde Deus in actibus salutaribus non se habet praedeterminando, sed adjuvando. Item ipse Deus *nos adjuvat, ut convertamur,* non praedeterminat. Rursus *convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* quibus certe verbis opus conversionis significatur esse opus Dei et cooperationis nostrae, non opus alicujus praedeterminationis.

(1) Cap. 19, n. 38, col. 988.
(2) Cap. 20, n. 41, col. 990.
(3) Cap. 5, nn. 5 et 6 (M. L. 40, 153, 154).

Idem S. Augustinus, eodem loco (1), addit: "Nec ideo tamen solis de hac re votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostrae efficacia voluntatis. *Adjutor enim noster Deus* dicitur (*Ps.* LXI, 9), nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis."

Ex his sequitur nos debere adniti, ut divino adjutorio cooperemur; quod certe non staret, si duceremur physica praedeterminatione, quae sine nixu infallibiliter nos duceret. Praeterea non possumus adjuvari, nisi conemur *sponte* aliquid facere; verum, posita physica praedeterminatione, non coneremur sponte aliquid facere, sed physice praedeterminati. Denique in ordine gratiae Deus non operatur in nobis, sicut in lapidibus et in brutis animantibus; quibus verbis videtur significari Deum operari in nobis per actus intellectus et voluntatis; sed praemotio physica est actus solius Dei, et quae secundum suos propugnatores omnibus creaturis convenit (2).

Adverto ex testimoniis postremo allatis constare S. Augustinum admittere voluntatem naturalem agere simul cum Deo et gratia.

478. 4° *Ex Praedestinat. sanctorum,* ubi legitur (3): "Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum aliis praeparetur, aliis non praepareur voluntas a Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio." Hic S. Augustinus assignat ut causam, cur alii credunt, alii non credunt; quia aliis praeparatur voluntas a Domino, aliis non praeparatur, et praeparare certe non est praedeterminare seu applicare ad operandum; sed disponere ad operandum, ut fit per illuminationem intellectus et piam affectionem voluntatis. Et quod in verbis allatis tribuit causam credendi et non credendi praeparationi voluntatis a Deo, alibi (4) explicat quid sit praeparatio voluntatis, nimirum, quod

(1) N. 6.
(2) Vide P. Livinum Meyer, *Histor. controversiarum de divinae gratiae auxiliis*, d. 4, *de mente S. Augustini*, cap. 3.
(3) Cap. 6, n. 11 (M. L. 44, 968).
(4) Cap. 8, n. 15, col. 972.

alii a Patre interius *audiunt* et discunt, alii neque audiunt, neque discunt. Haec sunt verba Augustini: "Cum igitur Evangelium praedicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt praedicatore forinsecus insonante, intus a Patre audiunt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur." Jam vero intus audire et discere nullo modo est praedeterminare.

S. Augustinus saepe utitur phrasi *praeparatur voluntas a Domino* ad gratiam efficacem significandam, et nunquam illam adhibet ad physicam praedeterminationem indicandam. Sic dicit (1): "Certum est enim nos mandata servare, si volumus: sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendunm est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus: sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo antea posui, *praeparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII)." Et inferius (2). "Et quis istam etsi parvam dare coeperat caritatem, nisi ille qui praeparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens." Item dicit (3): "Quomodo dicitur quod per legem Dei atque doctrinam Scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit, *praeparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII, 35, secundum LXX); ac non potius per occultam inspirationem gratiae Dei: quandoquidem pro eis qui eidem doctrinae contradicentes nolunt credere, ipsum Deum fide recta rogamus ut velint?"

Denique alibi dicit (4): "Quomodo ergo *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* nisi quia et ipsa *voluntas,* sicut scriptum est, *a Domino praeparatur* (*Prov.* VIII, 35)?" Et inferius: "Restat ut propterea recte dictum intelligatur, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam."

479. **5.°** *Ex L. de correptione et gratia,* ubi legitur (5): "Pos-

(1) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 16, n. 32 (M. L. 44, 900).
(2) Cap. 17, n. 33, col. 901.
(3) *Epist.* 217 *ad Vitalem*, n. 23 (M. L. 33, 987).
(4) *Enchiridion*, c. 32, n. 9 (M. L. 40, 248).
(5) Cap. 11, n. 32 (M. L. 44, 935).

set ergo permanere si vellet: quia non deerat adjutorium per quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros." Ubi Sanctus Doctor asserit et bonos et malos angelos potuisse similiter perseverare; hoc autem non staret, si gratia efficax esset praedeterminatio physica; quia angeli boni habuissent praedeterminationem ad perseverandum, qua angeli mali caruissent. Item primus homo potuisset perseverare, si voluisset; quod non ita esset, si ad hoc necessaria esset gratia praedeterminans; quia cum hac gratia perseverasset, et sine illa non habuisset potentiam, quae ad actum vere reduci posset.

480. **6.°** *Contra duas epistol. pelagianorum* dicit (1) S. Augustinus: "Trahitur ergo miris modis (voluntas) ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant." Et *De correptione et gratia* (2): "Sed quare isti sic, illi aliter, diversis et innumerabilibus modis vocentur ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere, sed figuli." Si S. Augustinus gratiam praedeterminantem admitteret, non assereret homines miris modis trahi, et innumerabilibus modis vocari ut reformentur; sed uno modo insuperabili traherentur.

Atque haec confirmantur ex *L. de gratia Christi*, ubi legitur (3): "Haec gratia si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum qui incrementum suum ministrat occultus (*I Cor.* III, 7), ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum

(1) Cap. 19, n. 37 (M. L. 44, 568).
(2) Cap. 5, n. 7 (M. L. 44, 920).
(3) Cap. 13, n. 14 (M. L. 44, 367).

etiam impertiat caritatem." Et cap. XXIV (1): "Legant ergo et intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates." Et *De praedestinat. sanctorum* (2): "Porro si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris ut credamus..." Hic permittit S. Augustinus gratiam vocari doctrinam, quo certe de praedeterminatione physica non permitteret, et asserit per gratiam Deum infundere *veritatem* et *caritatem*, et operari *revelationes* et *bonas voluntates*, et nihil de gratia praedeterminante innuit.

481. 7.° *In L. de praedest. sanctorum* legitur (3): "*Omnis*, ut ait Veritas, *qui audivit a Patre et didicit, venit*. Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium." Et paulo inferius: "Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi et quomodo a Patre audierint hoc et didicerint, non videmus."

Confirmatur. In Epist. ad Vitalem, inquit (4): "Sed ideo dixit, *a Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (*Ps.* XXXVI, 23), ut intelligamus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere (quoniam Dei via quid est, nisi fides recta?) illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primitus ut velimus. Non enim ait Scriptura, *a Domino gressus hominis diriguntur*, quia viam ejus voluit; sed *diriguntur*, inquit, *et volet*. Non igitur quia voluit, diriguntur; sed quia diriguntur, volet." Et *De praedestinatione sanctorum* dicit (5): "Proinde quod continuo dixi, dicit enim idem Apostolus, *idem Deus qui operatur omnia in omnibus* (*I Cor.* XII, 6); nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subjunxi, quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius qui credentibus dat Spiritum Sanctum; profecto non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quae

(1) Eodem loco, n. 25, col. 373.
(2) Cap. 2, n. 6 (M. L. 44, 963).
(3) Cap. 8, n. 13 (M. L. 44, 970).
(4) *Epist. 217*, n. 3 (M. L. 32, 979).
Cap. 3, n. 7 (M. L. 44, 964).

dantur in eodem spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen datum est per Spiritum fidei et caritatis. Neque enim sola caritas, sed, sicut scriptum est, *caritas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo* (*Ephes.* VI, 23)." Et inferius repetit: "Et utrumque ipsius est (credere et bene operari), quia ipse praeparat voluntatem; et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam postea dixi, quia neque velle possumus, nisi vocemur: et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, et cursus noster, nisi Deus et vires et currentibus praebeat, et perducat quo vocat..."

Ex testimoniis allatis constat hominem per gratiam audire, discere, dirigi; quae quidem physicae praedeterminationi parum conveniunt. Item credere et bene operari ita esse donum Dei ut etiam a libero arbitrio pendeat, et nos non posse velle, nisi vocemur, et non dicit, nisi praedeterminemur.

482. 8° *Ex potestate operandi.* Sanctus Augustinus docet (1): "Quod non est contra gratiam Dei quam praedicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est nisi a Deo detur, de quo dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joann.* I, 12). Cum enim hoc sit in potestate quod, cum volumus, facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est; sed praeparatur voluntas a Domino. Eo modo ergo dat potestatem. Sic intelligendum est et quod dixi postea, *in nostra potestate esse, ut inseri voluntate Dei, vel excidi ejus severitate mereamur;* quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem: quae cum fortis et potens praeparatur a Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile fuit." Et eodem loco (2) inquit: "Quod ideo dictum quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, fit; ubi prius et maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis praesto est voluntas ipsa, cum volumus; sed hanc quoque ad bene vivendum desuper accipimus potestatem, cum praeparatur voluntas a Domino." Iterum eodem loco (3) habetur: "Verum est enim omnino, omnes homines hoc

(1) *L. 1, retract.*, c. 22, n. 4 (M. L. 32, 620).
(2) L. 2, c. 1, n. 2, col. 630.
(3) L. 1, c. 10, n. 2, col. 599.

posse, si velint; sed praeparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere caritatis, ut possint." Non est autem conforme gratiae praedeterminanti facere *quod volumus*, sed debet fieri id, ad quod datur praedeterminatio.

Ad finem aliqua testimonia afferam, quae praesenti quaestioni lucem communicare possunt. 1.° Sic habetur (1): "Si tibi proponam quaestionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est: sed intellectu hoc penetrare pauci valent." 2.° Sic dicitur (2): "Quapropter et voluntates nostrae tantum valent, quantum Deus valere voluit atque praescivit: et ideo quidquid valent, certissime valent; et quod facturae sunt, ipsae omnino facturae sunt: quia valituras atque facturas ille praescivit, cujus praescientia falli non potest." 3.° Denique hoc legitur (3): "Atque ut ostenderet et liberum arbitrium (S. Paulus), mox addidit, *et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi.* Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur et in aliis, quibus dicit, *rogamus ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis* (*II Cor.* VI, 1). Utquid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem?"

483. Obj. 1.° P. Del Prado characteres gratiae ex se efficacis ex doctrina S. Augustini ad sex reducit (4). a) Auferre ipsam duritiam cordis, per quam homo resistit Spiritui Sancto. b) Transmutare liberam hominis voluntatem de mala in bonam. c) Inclinare liberam hominis voluntatem ad bene agendum indeclinabiliter et insuperabiliter. d) Augere ipsam libertatem voluntatis humanae. e) Conferre libero hominis arbitrio, ut perseveret in bono. f) Discernere bonos a malis. Ergo quum hos characteres S. Augustinus gratiae tribuat, eo ipso gratiam intrinsece efficacem et praedeterminantem agnoscit.

Resp. 1.° Generatim. Omnes hi characteres, qui gratiae intrinsecae efficaci et praedeterminanti tribuuntur a P. del Prado, simili modo convenire possunt gratiae, quae non sit ab intrinseco efficax. Nam si Deus tribuit gratiam non ex se efficacem, sed quam praevidit re ipsa futuram esse efficacem, eo ipso *auferet duritiam cordis, transmutabit liberam*

(1) *Contra litteras Petiliani*, c. 84, n. 185 (M. L. 42, 317).
(2) *De civ. Dei*, l. 5, c. 9, n. 4 (M. L. 41, 152).
(3) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 5, n. 12 (M. L. 44, 888).
(4) *De gratia et liber. arbitr.*, P. 2.ª, c. 3, §. *argumenta ex doctrina S. Augustini.*

voluntatem a mala in bonam. Item Deus potest largiri gratiam, quam praeviderit a voluntate libera indeclinabiliter et insuperabiliter esse recipiendam. Rursus Deus seriem gratiarum ex se non efficacium, sed praevisarum efficacium it. potest communicare, ut per illas augeantur vires ad resistendum, acquiratur perseverantia in bono, et eo ipso boni a malis discernantur. Praeterea S. Augustinus bonam voluntatem et conversionem non tribuit physicae praedeterminationi, sed vocationi. Sic dicit (1): "At enim quia non praecedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene velimus, nobis vero tribui non potest quod vocamur." Et inferius inquit (2): "Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res saepe alio modo dicta non moveat: aliumque moveat, alium non moveat: quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?" Jam vero si S. Augustinus praedeterminationem physicam agnovisset, non admisisset nisi unum modum vocandi efficaciter, scilicet praedeterminationem, et ut certissimum habuisset Esau secuturum fuisse praedeterminationem physicam.

Resp. 2.° Admitto S. Augustinum concedere illos sex characteres convenire gratiae efficaci; sed augere vires voluntatis etiam gratiae mere sufficienti convenire potest. Deinde explico speciatim, illos characteres secundum S. Augustinum non exigere gratiam ex se efficacem.

a) S. Augustinus postquam (3) haec verba, scilicet, *ideo quippe tribuitur* (gratia), *ut cordis duritia primitus auferatur*, statim addit: "Quando ergo Pater intus auditur et docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, et dat cor carneum, sicut profeta praedicante promisit (*Ezech.* XI, 19)." Intus vero *audiri* et *doceri* certe non est praedeterminari. Et idem Augustinus dicit (4): "Durus est iste et gelidus contra ignem Dei. Sed quamquam esset durus, quamquam gelidus, ecce ille qui *emittet verbum suum*, et tabefaciet ea, clamavit de caelo fervidus, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4). Una illa voce tanta duritia crystalli resoluta est." Ubi duritia tollitur, per vocem, non per applicationem efficacem.

b) Mutatio voluntatis a mala in bonam secundum S. Augustinum fit per vocationem congruam, non per praedeterminationem (5).

c) Vocabula *indeclinabiter* et *insuperabiliter* (6) (vel potius inseparabiliter) non possunt significare impossibilitatem resistendi gratiae, ut vult Jansenius; sed debent significare gratiam esse indeclinabilem et insuperabilem, non ex se et vi intrinseca, sed aliunde; aliter enim gratia tolleret libertatem, ut docent haeretici, et vocabula illa *indeclinabiliter* et *insuperabiliter* significarent contra mentem S. Augustini, qui constanter defendit libertatem, ut elucet ex dictis supra n. 395. Praete-

(1) *De diversis quaest. ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 12 (M. L. 40, 118).
(2) N. 14, col. 119.
(3) *De praedest. sanctor.*, c. 8, n. 13 (M. L. 44, 971).
(4) *Enarratio in Psal.* 147, n. 26 (M. L. 37, 1935).
(5) *De diversis quaest. ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 12, et sq. (M. L. 40, 117, et sq.).
(6) Vide dicta supra nn. 240 et 400.

rea S. Augustinus haec asserit (1): "Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur." Et eodem loco inferius (2): "Profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat quod dictum est, *Quid enim habes quod non accepisti?* verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est: accipere autem et habere utique accipientis et habentis est." Si gratia vero esset indeclinabilis et insuperabilis, nec relinqueret libertatem, nec potestatem dissentiendi. Quare dicendum esse videtur gratiam indeclinabiliter et insuperabiliter conjungi cum consensu, eo quod Deus tribuit illam gratiam, cui praevidit hominem esse consensurum, et illam tribuit cum voluntate efficaci consensus.

d) Etiam gratia vere sufficiens auget vires voluntatis, quia communicat virtutem agendi supernaturaliter, et potest communicare abundantiorem virtutem, quam illa gratia, cui homo cooperetur et sit efficax.

e) Gratia communicat perseverantiam, licet non sit efficax ab intrinseco, si Deus eas gratias constanter largiatur, quibus praevidit hominem esse consensurum.

f) Boni discernuntur a malis, quia divinae gratiae cooperantur, eamdemque sequuntur; et mali divinae gratiae resistunt. Et sic dicit (3) S. Augustinus: "Noluit ergo Esau et non cucurrit: sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret."

484. Obj. 2.° *Si admittatur doctrina P. Molinae non est difficile in concordiam redigere libertatem cum gratia.* Atqui secundum S. Augustinum est res difficilis; sic enim inquit (4): "Sed quia ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri..." Ergo re ipsa doctrina Molinae est contraria S. Augustino.

Resp. Neg. maj. et conc. min. et neg. cons. In doctrina Molinae reperiuntur etiam difficultates ad libertatem cum gratia conciliandam; licet in illa nihil inveniatur, quod videatur contradictorium vel absurdum. In doctrina Molinae habetur scientia media, quae attingit futura contingentia conditionata; quo modo autem haec a Deo independenter ab omni decreto actuali cognosci possint, non videmus, quamvis hoc non appareat absurdum, sed e contra necessarium (5). Deinde etiam non capitur, qua ratione Deus et creatura libera per eamdem operationem

(1) *De spiritu et littera*, c. 33, n. 58 (M. L. 44, 238).
(2) Cap. 34, n. 60, col. 240 et sq.
(3) *De diversis quaest. ad Simplicianum*, q. 2, n. 10 (M. L. 40, 117).
(4) *De gratia Christi*, c. 47, n. 52 (M. L. 44, 383).
(5) Vide *Tractatum de Deo uno*, d. 3, c. 1, a. 8.

agant; et tamen, licet Deus et creatura libera faciant determinationem, seu actum, sola creatura determinet, seu faciat, ut detur vel non detur actus (1). In hoc non ostenditur aliquid contradictorium, verum est res valde obscura. At in systemate praemotionis physicae videtur libertas manifeste perire: et creatura non posse facere, nisi sequi id, quod Deus praedeterminavit.

Asseritur quoque Molinam tribuere cooperationi hominis gratiam esse efficacem, et S. Augustinum ponere hoc ut rem prorsus occultam. Sic loquitur (2) S. Doctor: "Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam non coarctet, cur illi ita suadeatur et persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim quae respondere mihi placeat: "*O altitudo divitiarum* (*Rom.* XI, 33)!, et, *Numquid iniquitas apud Deum* (*Rom.* IX, 14).?"

Attamen non est pugna inter P. Molinam et S. Augustinum; nam uterque ponit gratiam efficacem in actu secundo in consensu. Sic dicit S. Augustinus (3): "Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi." Et alibi (4): "Jam ergo quod loco tertio posui videamus. Cum, voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt." Deinde uterque admittit esse mysterium, cur Deus uni det gratiam, cui cooperaturus est, et alteri, gratiam cui non est cooperaturus; quum utrique, uni, et alteri posset facile dare gratiam, cui uterque cooperaretur.

485. Obj. 3.° Sententia Molinae ad conciliandam libertatem cum divina gratia est nova. Ergo non potest esse conformis S. Augustino.

Resp. Dist. ant.: est nova quoad modum proponendi rem, conc.; quod ad substantiam et rem ipsam pertinet, nego. Praecipuum fundamentum doctrinae P. Molina est scientia media, et si aliqua novitas in *Concordia* invenitur, certe est scientia media. Jam vero haec scientia ex S. Scriptura, Sanctis Patribus et S. Thoma demonstratur, sicut feci in tractatu de Deo uno (5): De hac re videri potest P. Schiffini (6).

Speciatim P. Molina in materia de gratia omnino docet doctrinam S. Augustini. Dicit (7) enim: "Ex dictis disputatione praecedenti intelligetur facile, initium actus credendi, ut ad salutem oportet, esse a solo Deo per gratiam praevenientem et excitantem. Etenim liberum nostrum arbitrium nisi a Deo, modo praecedente disputatione explicato, auxilio suae gratiae praeveniatur et excitetur, non solum producere nequit eum actum, sed etiam quidquid ex solis suis naturalibus homo efficiat, sive ut actu mere naturali revelatis assentiatur, sive ut, postquam edoctus fuerit supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, optet ita

(1) Vide *Tractatum de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, a. 5.
(2) *De spiritu et litter.*, c. 34, n. 60 (M. L. 44, 241).
(3) *De praedestinatione Sanctorum*, c. 6 (M. L. 44, 968).
(4) *De peccator. meritis et remiss.*, l. 2, c. 17, n. 26 (M. L. 44, 167).
(5) Disp. 3, c. 1, aa. 8 et 10.
(6) *De gratia divina*, disp. 4, s. 7, n. 268.
(7) *Concordia*. Quaest. 14, a. 13, d. 9.

credere, aut etiam conetur ex dono et auxilio Dei supernaturali assentiri, sive denique auxilium illud sibi donari petat, aut ad illud recipiendum satagat se disponere, sane id totum nullius est meriti aut vigoris, ut ei gratia praeveniens propter ejus dispositiones impendatur; sed quoties confertur, ex solis Christi meritis, donoque Dei, ac proinde misericorditer omnino, non solum tanquam subjecto non digno, sed etiam tanquam indigno propter peccatum originale saltem, in quo est, tribuitur, et mere gratis ea, quae merito gratia dicitur, conferri solet, cuicumque datur. Quo fit ut jure optimo Augustinus *De praedestinatione sanctorum*, cap. 3, et I *Retract.*, c. 23, tanquam errorem retractaverit id, quod antequam esset episcopus asseruerat, nempe propositis prius et explicatis credendis, initium fidei, id est, primum actum credendi ut ad salutem oportet, esse in facultate liberi arbitrii, cum solo concursu generali Dei (1)."

486. Obj. 4.° Talis erat de Dei gratia quaestio, quae inter Pelagium et S. Augustinum agebatur, videlicet: *gratia Dei non datur nobis quia volumus, sed e contra, per ipsam gratiam Deus etiam hoc efficit*, ut velimus. Et secundum S. Augustinum: *gratiae est non solum credendi voluntas ab initio, verum etiam perseverandi usque in finem.* Nihil in nobis excipitur a causalitate et efficientia divinae gratiae; sed per antecedentem gratiam facit Deus, ut de facto et cum effectu velimus (2). Ergo per physicam praemotionem.

Resp. Ex hac objectione nihil sequitur, nisi omnem actum conducentem ad salutem debere esse ex gratia et supernaturalem; ideoque gratiam debere praecedere omnem actum salutarem, quia gratia est causa actus salutaris, et causa semper praecedit effectum. Verum ex hoc non infertur gratiam debere praecedere actum salutarem, ut physice praedeterminantem.

487. Obj. 5.° Gratia igitur, quam S. Augustinus propugnabat in controversia cum Pelagio, non solum revelat et ostendit quid fieri debeat; sed id, quod faciendum esse ostendit, etiam facit. Non solum saudet bonum, verum et persuadet. Non tantum operatur in cordibus hominum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates internas et occultas, mirabili et ineffabili potestate, qua transmutatur a Deo de statu injustitiae ad statum justitiae, et ad bene volendum et bene agendum in ordine ad vitam aeternam. Ergo revera admittenda est praemotio physica.

Resp. Concedo omnia, quae in difficultate gratiae tribuuntur; sed omnino nego ex his, sequi gratiam physice praedeterminantem. Nam causae actuum salutarium sunt, ut supra dictum est (3), gratia actualis praeveniens, habitus supernaturales et divina omnipotentia, et nulla ex his causis est praedeterminans. Divina quidem omnipotentia posset

(1) Vide P. Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 1, d. 18, s. 3, n. 16, et d. 20, s. 2; et P. Beraza, *De gratia Christi, de gratuitate gratiae*, a. 3, n. 380.

(2) Haec difficultas et sequentes desumuntur ex *1. de gratia et liber. arbitr.*, P. Del Prado, ex 3.ª p., Epilogo, ex §. cujus titulus est, *via physicae praemotionis est denique via S. Augustini.*

(3) D. 1, c. 2, a. 2.

praedeterminare, sed non facit; quia Deus reliquit hominem in manu consilii sui (*Eccle.*, XV, 14).

488. Obj. 6.° Efficacia divinae motionis, juxta S. Augustinum, non consistit tantummodo in illis interioribus suasionibus, revelationibus, illuminationibus et excitationibus, quae pulsant cor tam illorum qui vocationi Dei consentiunt, quam illorum qui ab ea dissentiunt. Datur ergo aliquid aliud discernnens consentientes a dissentientibus, seu praemotio physica.

Resp. Consentientes distinguuntur a dissentientibus in actu secundo per consensum et dissensum; consensus vero aut dissensus est a propria voluntate, ut dicit S. Augustinus his verbis (1): "Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est."

489. Obj. 7.° Juxta S. Augustinum Deus agit et operatur in voluntatem hominis non solum motione morali, ab exteriori, ex parte objecti apprehensi, per modum illuminantis, excitantis et suadentis, verum etiam motione physica, ab interiori, ex parte ipsius potentiae, illo modo, quo voluntas movet se ipsam quantum ad exercitium actus. Ergo datur gratia praedeterminans.

Resp. Nego ex verbis Sancti Augustini sequi praedeterminationem physicam; sed ex illius verbis duo sequuntur. 1.° Bona voluntas salutaris debet esse ex gratia; et sic Deus per suam gratiam communicat bonam voluntatem, et malam in bonam mutat; et hoc facit non per praedeterminationem, physicam; sed per illuminationem intellectus, et motionem voluntatis in bonum; sed plene relinquit in potestate voluntatis sequi motionem vel non sequi; quamvis Deus jam sciat quid voluntas amplectetur. 2.° Deus potest inducere voluntatem, salva libertate, ad omnia quae voluerit; quia perfectissime scit quid homo faceret, in quibuscumque adjunctis, in quibus collocari posset, ut non semel supra indicatum est.

490. Obj. 8.° Ergo, posita divina motione, non stat hominem declinare, non stat dissentire; cum tamen homo semper possit dissentire si velit. Ergo, secundum S. Augustinum, Deus facit, ut homo indeclinabiliter operetur, et non stat quod homo sic motus declinet ad dissensum. "Immo, ut bene observat P. Lemos, S. Augustinus utitur in hac parte verbis strictioribus quam sit auxilium physice seu efficaciter praedeterminans. Docet enim saepe, quod Deus ex omnipotentia sua et ex dominio, quod habet supra liberas hominum voluntates, ipsas inflectit, immutat et transfert insuperabiliter et indeclinabiliter, quocumque vult... Docet praeterea S. Augustinus, quod ita transfert indeclinabiliter hominum voluntates Deus, quod ipsas facit ex nolentibus volentes, docens aperte, quod magis sunt in potestate Dei liberae hominum voluntates quam sint in ipsorum hominum potestate. Sed homines ipsi sua potestate se libere applicant et determinant physice ad volendum, salva ipsorum libertate. Ergo multo magis poterit Deus hominum voluntates physice praedeterminare, salva ipsorum libertate; quia magis habet in

(1) *De spiritu et littera*, c. 34, n. 60 (M. L. 44, 240).

sua potestate hominum voluntates quam ipsi suas." Ergo gratia praedeterminans est admittenda.

Resp. In hac objectione multa continentur, quorum aliqua jam supra soluta sunt; tamen hic breviter solvam iterum illa. Imprimis vocabula *indeclinabiliter* et *insuperabiliter* jam declarata sunt in 483 sub c); verum hic aliquid addendum est. S. Augustinus non applicat vocabula *indeclinabiliter* et *insuperabiliter* vel *inseparabiliter* nisi gratiae propiae naturae lapsae, non autem gratiae primi hominis ante peccatum; dicit namque (1): "*Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae*, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur; et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida et imbecilla in bono adhuc parvo perseveret per virtutem Dei: cum voluntas primi hominis fortis et sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii; quamvis non defuturo adjutorio Dei sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet." Jam vero si vocabula indeclinabiliter et insuperabiliter se referrent ad gratiam praedeterminantem, etiam in statu innocentiae darentur; quia gratia praedeterminans secundum suos propugnatores convenit omni statui elevato, sicut praemotio physica naturalis est necessaria, ut creatura applicetur ad operandum naturaliter.

Praeterea S. Augustinus dicit *consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est.* Haec autem verba significant hominem habere potestatem expeditam consentiendi et dissentiendi divinae vocationi, et revera si voluntas non haberet facultatem expeditam nisi ad consensum, non esset *propriae voluntatis dissentire.* Et ita S. Augustinus docet (2): "Cum enim hoc sit in potestate quod, cum volumus facimus..." Item: "Quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus fit; ubi prius et maxime est ipsum velle." Haec vero doctrina non patitur gratiam indeclinabilem et insuperabilem ab intrinseco; nam talis gratia potestatem expeditam dissentiendi tolleret.

Quocirca verba indeclinabiliter et insuperabiliter, sive inseparabiliter, ita sunt accipienda, quatenus Deus tali vocatione vocat, qua praescivit et voluit efficaciter, servato tamen libero arbitrio, hominem ex propria electione consensurum esse indeclinabiliter et insuperabiliter. Hoc indicat S. Augustinus in illis locis, in quibus docet consensum vel dissensum a modo vocationis dependere. Sic dicit (3): "Quia si vellet (Deus) etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur (4)."

Deinde Deus inflectit, immutat et transfert voluntates quocumque voluerit; quia illas illuminat et movet eo modo, quo scit eas esse infle-

(1) *De correptione et gratia*, c. 12, n. 38 (M. L. 44, 940).
(2) Locis citatis n. 482.
(3) *De diversis quaestionib. ad Simplicianum*, q. 2, n. 13 (M. L. 40, 118).
(4) Nec auctoritas *De diversis quaestionibus ad Simplicianum* recusari potest; quia de hoc libro agit S. Augustinus in *retractationibus* (l. 2, c. 1), et nihil de illo retractat. Etiam *De diversis quaestionibus ad Simplicianum* loquitur *De praedestinatione sanctorum*, c. 4, n. 8.

xuras, immutaturas et translaturas se ipsas cum gratia ad id, quo Deus vult. Et id quidem facit ratione suae omnipotentiae et dominii. Similiter Deus transfert voluntates nolentes in volentes.

Postremo verum est voluntatem nostram magis esse in Dei potestate quam in nostra: Deus enim est ipsius creator et conservator, et potest eam in nihilum redigere. Nihilominus Deus per voluntatem humanam non potest facere, ut voluntas libere operetur, si operatur determinata a Deo ad unum, et non relinquitur in manu voluntatis electio inter utrumque. Hoc namque est quod Sacra Scriptura ad libertatem requirit, quum dicat (*Eccli.* XV, 14 et sq.) : "(Deus) reliquit (hominem) in manu consilii sui... Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi..." Et circa haec verba inquit (1) S. Augustinus: "Ecce apertissime videmus expressum liberum humanae libertatis arbitrium." Nec dicatur verba S. Scripturae laudata ad Adamum in statu innocentiae referri; quia ex contextu elucet ea verba dici contra peccatores, qui sua peccata Deo tribuere volebant.

491. Obj. 9° Doctrina *Concordiae* P. Molina est (2) semipelagiana, ideoque contraria S. Augustino. Ergo ex opposito doctrina PP. Dominicanorum de praedeterminatione physica debet esse doctrina S. Augustini.

Resp. Nego ant.; ex dictis enim supra abunde constat Molinam viribus naturalibus nihil tribuere in ordine ad salutem; sed omnia tribuere meritis Christi, quae nobis obtinuerunt gratiam et omnia supernaturalia, quae ad salutem ducunt. E contra etiam Semipelagiani nonnulla viribus naturae tribuebant. Quae opponuntur contra doctrinam Molinae, tanquam si esset semipelagiana, haec sunt (3).

a) "Una eaque rationi maxime consentanea fuit, quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, praesto nobis essent auxilia gratiae, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus: ut ea ratione, dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri possita esset salus nostra (4)."

Resp. Verba quidem citata in *Concordia* reperiuntur; sed P. Del Prado omisit haec alia verba, quae reperiuntur in eodem capite ante verba laudata, sc.: "Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, praestove est ad conandum totum id, quod ex sese potest... a Deo conferri gratiam praevenientem, auxiliave quibus id faciet talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita..." Haec verba a P. Molina semipelagianismum omnino auferunt; quum hic nihil concedatur libero arbitrio, et omnia meritis Christi et gratiae tribuantur; semipelagiani autem initium fidei et alia libero arbitrio gratia destituto concedebant.

(1) *De gratia et liber. arbitrio*, c. 2, n. 3 (M. L. 44, 883).
(2) Del Prado, *De gratia et liber. arbitr.*, 3.ª p., Epilogus, pag. 551.
(3) Omnia quae contra Molinam afferuntur in sequentibus sub variis litteris deprompta sunt ex opere P. Del Prado, *De gratia et liber. arbitr.*, 3.ª p., pags. 551 et sq.
(4) Molina, *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 10.

Hic adjungam alia duo testimonia P. Molinae, quae eum a semipelagianismo aperte declarant immunem. Primum testimonium ita se habet (1): "Quidquid ex solis suis naturalibus homo efficiat, sive ut actu mere naturali revelatis assentiatur, sive ut, postquam edoctus fuerit supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, optet ita credere, aut etiam conetur ex dono et auxilio Dei supernaturali assentiri, sive denique auxilium illud sibi donari petat, aut ad illud recipiendum satagat se disponere, sane id totum nullius est meriti aut vigoris, ut ei gratia praeveniens propter ejus dispositiones impendatur: sed quoties confertur, ex solis Christi meritis, donoque Dei, ac proinde misericorditer omnino, non solum tanquam subjecto non digno, sed etiam tanquam indigno propter peccatum, originale saltem, in quo est, tribuitur, ita mere gratis ea, quae merito gratia dicitur, conferri solet, cuicumque datur." Alterum testimonium est ex ejusdem P. Molina ad P. Antonium de Padilla de conatibus naturalibus, et ita se habet (2): "A lo que V. R. pregunta, y manda, que declare, *quando homo dicatur facere totum, quod in se est*, para que sea infalible ex lege Christi, et Patris acudírsele, o no faltalle la gracia preveniente? Digo, que no busque V. R. *praevio facere*, que esa es doctrina de pelagianos, o semipelagianos. I no se colige tal de mis obras, ni de mis papeles, antes todo lo contrario..."

b) Secundum Molinam si Deus conatibus naturalibus non adsit praesto, non ostendet se velle salutem omnium hominum (3). Verum secundum P. Molina conatus naturales nihil valent, nisi ex meritis Christi illis adjungatur gratia.

Item legitur in Concordia (4): "Si duo, aequales per omnia in omnibus, conspiciant eamdem mulierem pulchram, evenire posse a *sola libertate* arbitrii utriusque, ut unus consentiat in peccatum eam concupiscendo, et alter non item. Eademque est ratio de eodem modo affectis, aequaliterque a Deo in fidem vocatis: *pro sola* namque *libertate* potest evenire, ut unus amplectatur fidem, alter vero eamdem contemnat."

Haec quidem apud Molinam leguntur; sed nullo modo significant aliquid mere naturale posse ad vitam aeternam conducere; et sensus verborum Molinae est a sola voluntate pendere dari consensum vel dissensum, ut S. Augustinus non semel innuit. Quod vero P. Molina a semipelagianismo prorsus abhorreat, constat ex testimoniis supra allatis, quibus novum addam ex eadem disputatione (5), quod a P. Molina omnem suspicionem semipelagianismi depellit. Ita se habet: "Illud postremo in hac disputatione addiderim, nostram sententiam esse (ut ex iis quae hactenus dicta sunt intelligitur facile, et ex sequentibus in hoc opere erit magis manifestum) nullum omnino dari, non solum actum, sed neque rationem formalem actus nostri liberi arbitrii ex iis, quae ad credendum, sperandum, diligendum ac paenitendum ut ad salutem oportet.

(1) *Concordia*, disp. 9, §. 1.
(2) Ripalda, *De Ente supernaturali*, t. I, disp. 20, s. 2, n. 9; et Mendive, *De gratia*, dis. 1, c. 3, a. 2, n. 133.
(3) *Concordia*, Quest. 14, a. 13, d. 10.
(4) Loco proxime citato, d. 12.
(5) Versus finem, ex editione Parisiensi, pag. 57 et sq.

et denique ex iis, quae ad justificationem tanquam dispositiones commensuratae proximae vel remotae sunt necessariae, quae a solo libero arbitrio eliciantur, elicive possint; sed ad omnem talem actum, ad omnemque rationem formalem ipsius concurrere principaliter Deum, influereque et cooperari per auxilia gratiae; ex hujusmodique influxu tam eos quam rationes formales eorum habere, quod supernaturales sint, et quod in suo ordine et gradu proxime vel remote disponant commensurate ad justificationem."

c) "Cumque Deus *sua scientia praerideat*, quinam ex iis, qui audituri sunt Evangelium, conaturi sunt *ex suis naturalibus* ad assensum eliciendum ut tenentur, et qui non: sane, ut a peccato non excusentur, qui assensum fidei supernaturalem non elicuerint, satis est Deum suo auxilio et gratia praesto esse ad praeveniendum in eodem instanti quoscumque *praeviderit* ex suis naturalibus ad assensum conaturos, *ut ita, non quidem tempore, sed natura praeventi, talem eliciant fidei assensum, qualis necessarius est ad salutem* (1)." P. Del Prado omittit verba ad finem scripta et notata linea sub posita; et ex his verbis elucet P. Molina facere conatum naturalem utilem ad salutem, si prius natura, quam eliciatur, accipiat gratiam et simul cum illa operetur: et ita quidem ut talis operatio sit simul per eamdem actionem a Deo, a gratia et a voluntate (2).

d) "Quod voluntas creandi eum ordinem rerum, et in eo conferendi haec et non alia auxilia, *rationem praedestinationis* comparatione horum adultorum, et non illorum, fuerit sortita, pendens fuit ex eo, quod unus potius usus, quam alius, pro libertate arbitrii eorum esset futurus; atque adeo ex eo, quod Deus futurum eum *praeviderit*, quia pro eorum libertate erat futurus. Atque ex hoc capite diximus dari *rationem* praedestinationis adultorum ex parte usus liberi arbitrii praevisi (3)." Hoc testimonium Molinae nihil aliud significat, nisi gloriam dari ex meritis gratiae; et haec merita acquiruntur per cooperationem liberi abitrii donis gratiae (4)."

e) "Divisio sufficientis auxilii in efficacem et inefficacem, nostra sententia, ab effectu, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur; illud auxilium sufficiens, sive majus sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur... Illud vero inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur... Atque adeo in libera potestate nostra esse, vel *illa efficacia reddere*, consentiendo et cooperando cum illis ad actus quibus ad justificationem disponimur, vel *inefficacia illa reddere*, continendo consensum et cooperationem nostram, aut eliciendo contrarium dissensum (5)."

In testimonio proxime allato P. Molina non agit de libero arbitrio nudo,

(1) *Concordia*, q. 14, a. 13, d. 11.
(2) *Concordia*, q. 14, a. 13, d. 12 versus finem; item disp. 40, pag. 229-230, ed. parisiensis.
(3) *Concordia*, q. 23, aa. 4 et 5, d. 1, membr. ultimum, edit. parisiensis, pag. 549.
(4) Vide *Concordiam*, eodem loco, pag. edit. parisien. 547.
(5) *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 40, edit. parisiensis, pag. 230-231

sed informato gratia, ut elucet ex verbis "*illud auxilium sufficiens... cum quo* arbitrium pro sua libertate convertitur... *illud vero* (auxilium) inefficax dicatur *cum quo* arbitrium pro eadem libertate non convertitur." Re ipsa gratia constituitur efficax in actu secundo per consensum liberi arbitrii cum gratia. Et sic S. Augustinus dicit (1): "Sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est." Et paulo inferius: "Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est." Deinde P. Molina quum affirmat in libera potestate nostra esse reddere auxilia efficacia vel inefficacia, nullo modo significat nos tribuere virtutem auxiliis gratiae, sed significat auxilia supernaturalia habere effectum, si voluntas illis consentit, et non habere effectum, si voluntas illis non consentit; quod quidem est doctrina S. Augustini, et S. Pauli, qui Corinthios hortatur, ne in *vacuum* gratiam Dei recipiant.

Profecto P. Molina Deo etiam tribuebat cognitionem efficaciae gratiae in actu primo, dicit (2) enim: "Quod Deus hunc potius ordinem rerum, quam alium voluerit creare, et in eo haec potius auxilia quam alia conferre, cum quibus praevidebat hos, et non illos, pro libertate sui arbitrii perventuros in vitam aeternam, nullam fuisse causam aut rationem ex parte adultorum praedestinatorum et reproborum. Atque ex hoc capite hactenus diximus praedestinationem non habere causam aut rationem ex parte usus liberi arbitrii praedestinatorum et reproborum, sed in solam liberam Dei voluntatem esse reducendam." Quocirca Deus eligendo praesentem ordinem rerum prae quocumque alio, jam cognovit omnia auxilia efficacia et inefficacia, ideoque etiam in actu primo illa cognovit. Praeterea, quum P. Molina defendat scientiam mediam, qua Deus cognoscit omnia futura conditionata libera; eo ipso Deus, quum futura conditionata a statu conditionato in absolutum et actualis existentiae transfert, jam cognoscit actus futuros liberos etiam salutares, antequam in actu secundo ponantur; ideoque cognoscit auxilia efficacia in actu primo, seu antequam a parte rei existentiam accipiant.

492. Obj. 10.° S. Augustinus de his, qui non perseverant usque ad finem inquit (3): "Non enim sunt a massa illa perditionis praescientia Dei et praedestinatione discreti; et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi: sed in eis vocati, de quibus dictum est, *multi vocati;* non in eis de quibus dictum est, *pauci vero electi.*" Vocari autem secundum *propositum* videtur significare, vocari praedeterminatione physica.

Resp. Conc. testimonium S. Augustini, sed nego quod ex illo infertur. Vocari *secundum propositum* non significat vocari praemotione physica; nam praemotio physica non est aliqua vocatio, sed applicatio seu determinatio ad operandum. Nec vocatio requirit aliquam praedeterminationem ad agendum ut sit efficax; nam sufficit, ut quis vocetur eo modo, quo ipse Deus praevidit vocationem futuram esse effica-

(1) *De spiritu et littera*, c. 34, n. 60 (M. L. 44, 240).
(2) *Concordia*, q. 23, aa. 4 et 5, d. 1, membr. ultimum, edit. parisiensis, pag. 549.
(3) *De correptione et gratia*, c. 7, n. 16 (M. L. 44, 925).

cem, sive congruam. Propositum videtur quidem significare decretum efficax, sed hoc decretum debet esse tale, ut amice cum libertate componatur, prout supra dictum est. Nec inter S. Augustinum et Semipelagianos erat aliqua quaestio de efficacia gratiae; verum, ut asserit S. Augustinus, quaestio erat de necessitate gratiae ad initium fidei et ad perseverandum. Haec sunt verba S. Augustini, scilicet (1): "Sed ii qui solum initium fidei et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad haec habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes et voluntates, cetera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide."

Aliae difficultates iam sunt solutae supra (2): Difficultas de *adjutorio quo*, et *sine quo* soluta etiam jam est (3).

Ad finem adverto controversiam inter S. Augustinum et pelagianos non fuisse de efficacia gratiae, sed de ejus necessitate. Sic dicit S. Augustinus (4): "Etiam si difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa."

THESIS. II. S. Thomas contrarius est gratiæ physice prædeterminanti (5)

493. Notand. Haec thesis defenditur saltem ut probabilior. Jam alibi (6) praedeterminationem physicam seu concursum praevium refutavi, et ibidem (7) ostendi S. Thomam esse contrarium physicae praedeterminationi. Hic probandum est S. Thomam non admittere gratiam efficacem praedeterminantem, et eadem doctrina confirmanda breviter est ex iis, quae S. Doctor contra praedeterminationem in genere affirmat. S. Thomam rejicere gratiam praedeterminantem jam constat ex testimoniis ipsius supra adductis (8); attamen hic alia adjiciam. Verum testimonium primum ibi adductum (9) non loquitur de gratia actuali, sed de habituali; nihilominus probat intentum, quia manifeste innuit, opus esse voluntatem posse uti et non uti gratia, quod certe cum praedeterminatione physica non habetur.

(1) *De dono perseverantiae*, c. 17, n. 42 (M. L. 45, 1019).
(2) Disp. 2.ª, c. 2, a. 1, n. 400 et sq.
(3) Disp. 1.ª, c. 4, a. 6, n. 339, scholion.
(4) *De haeresibus ad QuodvultDeum, haeres*, 88 (M. L. 42, 48).
(5) Suarez, *De gratia*, l. 5, c. 45; Meyer, *Histor. controvers. de divin. gratiae auxiliis*, l. 6, c. 18; Schneemann, *Controversiarum de divin. gratiae* etc., §. 3; San (Ludovicus de), *De Deo uno*, editio anni 1894, pags. 545-746, et specialim *de gratia* a pag. 692 in nota; Lahousse, *De gratia divina*, c. 6, a. 5, §. 2.
(6) *In Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, aa. 3, 4 et 5.
(7) Eodem loco aa. 4, et 5, a. n. 198.
(8) Disp. 2, c. 2, a. 3, n. 428.
(9) Ex *1. p.*, q. 62, a. 3, ad 2.

494. Prob. 1.° *Ex Quodlibeto 1.°*, ubi legitur (1): "Ad secundum dicendum, quod Deus movet omnia secundum modum eorum; et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate, porpter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita; et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere: et sic ex Deo est, ut homo se ad gratiam praeparet; sed quod gratia careat, non habet causam a Deo, sed ab homine, secundum illud Oseae (XIII, 9): "*Perditio tua ex te Israel; tantummodo ex me auxilium tuum.*" Ex his verbis multipliciter arguitur: 1.° Quia motio Dei a natura rationali participatur cum libertate, et si participaretur cum gratia praedeterminante, tolleretur libertas; quia virtus rationalis quatenus libera *se habet ad opposita*, et physica praedeterminatio non sinit naturam rationalem se habere ad opposita, sed cogit facere id, quod praedeterminatur. 2.° Mens humana motioni Dei resistere potest, et ideo in sensu composito, quia non potest quis resistere motioni, quae non detur; in sensu vero composito praedeterminationis physicae impossibile est resistere. 3.° Quod homo gratia careat, est ab homine, non a Deo; et si daretur praedeterminatio physica homo gratia careret, quia gratia praedeterminans illi non communicaretur.

495. 2.° *Ex quaest. 6 de veritate* (2), ubi habetur: "Liberum enim arbitrium deficere potest a salute; tamen in eo quem Deus praedestinat, tot alia adminicula praeparat, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat, sicut exhortationes et suffragia orationum, donum gratiae, et alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem." Profecto, si daretur gratia praedeterminans, haec sola sufficeret, ut modo certo et sine aliquo adminiculo salus obtineretur.

496. 3.° *Ex aliis locis.* Dicit (3) S. Thomas: "Sic ergo illa causa quae facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ex necessitate hoc faciat: quia potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari, vel removendo talem considerationem quae inducit eum ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet

(1) A. 7, ad 2.
(2) A. 3, c.
(3) *De malo*, q. 6, a. unic., ad 15.

quod hoc quod proponitur ut bonum secundum aliquid non est bonum." Ergo secundum S. Thomam causa quae facit ut voluntas velit, potest impediri ab ipsa voluntate ne habeatur effectus; quod certe non posset fieri, si determinaretur ad hoc, ut vellet, per physicam praedeterminationem. Nec impedimentum ponitur per praedeterminationem oppositam; tum quia ponitur a voluntate, quae praedeterminare non potest; tum quia habetur per remotionem considerationis vel per considerationem oppositam. Id ipsum infertur ex his, quae alibi habentur (1), videlicet: "Sed totum quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam divinae providentiae in illis, qui confirmati dicuntur; ut scilicet quandocumque occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitus excitetur ad resistendum." Idcirco non ponitur gratia praedeterminans. Item habetur (2): "Ad praedestinationem vero duo sequuntur: scilicet consecutio finis, qui est glorificatio, et collatio auxilii ad consequendum finem, quod est appositio gratiae, quod ad vocationem pertinet..." Unde *vocatio* ponitur, non gratia praedeterminans ad finem efficaciter consequendum.

497. 4.° *In Tractatu de Deo Creatore* (3) ostendi D. Thomam absolute rejicere praedeterminationem physicam. Ergo etiam illam rejicit in materia de gratia; aliter non absolute illam rejiceret. Item dicit (4): "Quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur, et magis nata est seipsam inclinare. Natura igitur insensibilis, quae ratione suae materialitatis est maxime a Deo remota, inclinatur quidem in aliquem finem, non tamen est in ea aliquid inclinans... Natura autem sensitiva ut Deo propinquior, in se ipsa habet aliquid inclinans, scilicet appetibile apprehensum; sed tamen inclinatio ipsa non est in potestate ipsius animalis... Sed natura rationalis, quae est Deo vicissima, non solum habet inclinationem in aliquid sicut habent inanimata, nec solum movens hanc inclinationem quasi aliunde eis determinatam, sicut natura sensibilis; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari; et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed

(1) *De veritate*, q. 24, a. 9.
(2) *De veritate*, q. 9, a. 1.
(3) Disp. 1, c. 2, aa. 4 et 5.
(4) *De veritate*, q. 22, a. 4.

a se ipsa." Quum igitur secundum S. Thomam sit de natura hominis cedere inclinationi, vel ei non cedere, eo ipso natura humana secundum S. Doctorem physicam praedeterminationem non patitur, quae ad unum determinat, et electionem non sinit ut fiat (1).

498. Ante argumentorum solutionem nonnulla sunt advertenda. 1.° Secundum D. Thomam de ratione libertatis est, ut liberum arbitrium se ipsum determinet, et eligat inter unum et aliud. Sic legitur (2): "Non enim esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex propio judicio eligeret hoc aut illud, ut supra dictum est." Item dicitur (3): "Et inde est quod judicium de actione propria est solum in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem vel illam; unde et dominium sui actus habere dicuntur: et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus." Similiter inquit (4): "Sed sciendum est quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter. Uno modo tam secundum substantiam actus quam secundum determinationem agentis ad actum, et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate; ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate."

2.° S. Thomas pro libertate servanda excludit etiam determinationem ad unum, licet talis determinatio sit a Deo. Ita dicit (5): "Potentia rationalis se habet ad opposita in his quae ei subsunt; et haec sunt illa quae per ipsam determinantur: non autem potest in oposita illorum quae sunt ei ab alio determinata; et ideo voluntas non potest in oppositum ejus ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi; potest autem in oppositum eorum quae ipsa sibi determinat, sicut sunt ea quae ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam

(1) P. Meyer (Livinus de), *Historiae controversiarum de divinae gratiae auxiliis ll.*, tom. 1, l. 6, c. 18 ad finem, ostendit P. Bagnez docere contraria S. Thomae; contraponit enim testimonia P. Bagnez testimoniis S. Thomae, et apparet altera alteris esse opposita.
(2) 2 *Sent.*, d. 28, q. 1, a. 1.
(3) 2 *Sent.*, d. 25, q. 1, a. 1.
(4) 2 *Sent.*, d. 39, q. 1, a. 1.
(5) 4 *Sent.*, d. 49, q. 1, a. 3, sol. 2.ª, ad 1.

pertinet." Item inquit (1): "Ad primum ergo dicendum, quod esse animae non est determinatum a seipsa, sed ab alio; sed ipsa determinat sibi suum velle; et ideo, quamvis esse sit immutabile, tamen velle indeterminatum est, ac per hoc in diversa flexibile." Ex his testimoniis elucet animam non posse in oppositum eorum, quae ab *impressione divina* sunt determinata, et non posse in oppositum sui esse, quod est ab alio determinatum; sed posse in oppositum sui velle, quod ipsa anima sibi determinat.

499. 3.° S. Thomas affirmat quidem alios effectus esse necessarios, alios esse contingentes dependere a divina voluntate; sed non ita hoc accipit S. Doctor, ut voluntas divina propter suam infinitam efficaciam faciat effectus alios esse necessarios, alios contingentes, non adhibitis causis secundis (2); sed contrarium docet S. Doctor. Ita docet (3); "Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter; ut sit ordo in rebus, ad complementum universi. Et ideo, quibusdam effectibus aptavit causas necesarias, quae deficere non posunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causae proximae sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos praeparavit." Similiter loquitur (4): "Nam voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa quaedam profundens totum ens et omnes ejus differentias. Sunt autem differentiae entis possibile et necessarium: et ideo ex ipsa voluntate divina originantur necessitas et contingentia in rebus, et distinctio utriusque secundum rationem proximarum causarum. Ad effectus enim quos voluit necessarios esse, disposuit causas necessarias; ad effectus autem quos voluit esse contingentes, ordinavit causas contingenter agentes, id est potentes deficere." Hoc ipsum docet alibi (5): "Voluntas Dei est principium totius entis, ergo non cadit sub ratione contingentiae

(1) *De veritate*, q. 22, a. 6, ad 1.
(2) Vide quae de hac re dixi in *Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, a. 5, n. 199.
(3) *1. p.*, q. 19, a. 8, c.
(4) *Perihermenias*, l. 1, lec. 14.
(5) *Quodlibet*, 12, a. 3.

vel necessitatis, sed haec effluuntur et ordinantur ex Dei voluntate; et sic ipsa Dei voluntas facit quaedam contingentia, praeparando causas contingentes illis rebus quas vult esse contingentes; et similiter necessarias causas rebus et effectibus necessariis."

500. 4.° S. Thomas docet Deum movere necessario voluntatem in bonum et in finem ultimum in genere. Sic dicit (1): "Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum." Item dicit (2): "Ideo voluntas non potest in oppositum ejus ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi..." Et alibi (3): "Ad septimum dicendum, quod activum non ex necessitate movet, nisi quando superat virtutem passivi. Cum autem voluntas se habeat in potentia respectu boni universalis, nullum bonum superat virtutem voluntatis quasi ex necessitate ipsam movens, nisi id quod secundum omnem considerationem est bonum: et hoc solum est bonum perfectum, quod est beatitudo, quod voluntas non potest non velle, ita scilicet quod velit ejus oppositum: potest tamen non velle actu, quia potest avertere cogitationem beatitudinis, in quantum movet intellectum ad suum actum; et quantum ad hoc nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult; sicut etiam aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum a se repellere, cum vellet."

5.° Deus omnia movet secundum eorum conditionem. Sic loquitur (4): "Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes.. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non est ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter (id est, ad bonum in

(1) *1. 2.*, q. 9, a. 6, ad 3.
(2) *4 sent.*, d. 49, q. 1, a. 3, solut. 2, ad 1.
(3) *De malo*, q. 6, a. unic., ad. 7.
(4) *1. 2.*, q. 10, a. 4.

genere et ad finem ultimum) movetur." Nec verba *non ex necessitate ad unum determinat*, significare possunt, Deum quidem determinare ad unum; sed citra impositionem necessitatis; quia secundum hanc interpretationem Deus non moveret secundum conditionem rerum; nam determinaret ad unum voluntatem, quae indifferenter se habet ad multa. Neque *motus voluntatis maneret contingens*, sed tantum posset esse illud unum, ad quod Deus praedeterminaret.

501. Obj. 1.° "Liberum arbitrium creatum: 1.° non est actus purus; 2.° habet rationem causae instrumentalis; 3.° est liberum per participationem; 4.° est causa subordinata Deo primo libere volenti; 5.° et ex viribus naturalibus nullam habet potentiam ad opera supernaturalia vitae aeternae nisi potentiam obedientialem (1)." Ergo admittenda est praemotio physica.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Omnia enim, quae in antecedenti enumerantur sunt omnino vera sine praemotione physica. 1.° liberum arbitrium non est actus purus; quia est in potentia ad suos actus. 2.° habet rationem causae instrumentalis, quia in suis operationibus a Deo omnino dependet, quia ad operandum divino concursu indiget. 3.° est liberum per participationem; quia omnia quae habet a Deo accepit. 4.° est causa Deo subordinata; quia a Deo pendet in esse, conservari et operari. 5.° nullam habet potentiam in supernaturalia; haec enim sunt supra omnem exigentiam naturae.

502. Obj. 2.° "Sic ergo motus voluntatis directe procedit a voluntate et a Deo, qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur et voluntatem inclinare potest in quodcumque voluerit." Haec igitur est physica praemotio, qua voluntas movetur a Deo et a solo Deo, eo modo quo movetur quantum ad exercitium actus... (2)."

Resp. Conc. ant. et neg. cons. *Praemotio* enim *physica* stare non potest cum his, quae S. Doctor dicit (3), scilicet: "Natura rationalis... ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari: et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed a se ipsa." Praemotio autem physica cogit ad illam sequendam, nec sinit inclinari et non inclinari, nec inclinatio determinatur a natura rationali, sed a praedeterminatione.

503. Obj. 3.° "Voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiant quo congruit naturae ipsius. Et ideo magis repugnat divinae motioni, si voluntas ex neces-

(1) Haec difficultas desumpta est ex opere P. Norberti del Prado, 3.ª p., *Epilogus*, pag. 525. Similiter ex eodem loco depromuntur quatuor objectiones sequentes, pag. 526 et sq.
(2) Loco antea citato, pag. 526.
(3) *De veritate*, q. 22, a. 4.

sitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae (1)."

Resp. Ut non semel asserit S. Thomas, contingentia et necessitas sarios habendos, adhibet causas necessario operantes, et causas continpotens sola tribuat contingentiam et necessitatem; sed ad effectus necessarios habendos, adhibet causas necessario operantes, et causas contingentes ad effectus contingentes obtinendos (2). Unde non potest Deus praedeterminare ad effectus contingentes libere habendos, quia hoc modo voluntas humana ex necessitate moveretur, quum cogeretur ad sequendam praedeterminationem, nec aliud facere posset.

504. Obj. 4.° "In ipso ordine motionis, in quo libera voluntas creata est primus movens (i. e., movet se ipsam), necesse est ut determinetur seu physice ac efficaciter ex parte ipsius potentiae moveatur a Deo, a quo accipit complementum suae propriae virtutis et hoc ipsum quod se ipsam libere moveat et libere se determinet (3)."

Resp. Voluntas habet inclinationem naturalem, et ideo a Deo acceptam, in bonum in genere et ad beatitudinem, ut docet (4) S. Thomas; et ita non potest tendere in oppositum beatitudinis (5); Sed respectu aliorum potest libere tendere sine ulla Dei determinatione, ut supra dictum est (6).

505. Obj. 5.° Praemotio physica patet ex doctrina D. Thomae circa gratiam operantem et circa modum quo fit transmutatio liberae voluntatis in opere justificationis (7).

Resp. Nego assertum; nam S. Thomas sive quum de gratia operante loquitur (8), sive de justificatione (9), nihil dicit quod significet gratiam efficacem praedeterminantem. Praeterea ex dictis satis videtur constare gratiam physice praedeterminantem non esse admittendam.

506. Obj. 6.° Dicit (10) S. Thomas: "Praeparatio hominis ad gratiam... potest considerari secundum quod est a Deo movente; et tunc habet necessitatem ad id quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non potest..." Quum igitur praeparatio ad gratiam sanctificantem secundum S. Thomam habeat necessitatem, videtur fieri per gratiam praedeterminantem.

Resp. Concedo id quod asserit S. Thomas; sed nego ex eo inferri praedeterminationem physicam. Sensus verborum S. Thomae est eum hominem, qui cooperando auxiliis gratiae, debito modo se praeparat ad gratiam sanctificantem recipiendam, infallibiliter illam consequi ex divi-

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 10, a. 4, ad 1. P. del Prado, loco antea citato, pag. 528.
(2) Vide dicta antea, n. 499.
(3) Del Prado, loco antea citato, pag. 530.
(4) *1. 2.*, q. 9, a. 6, ad 3; *2. sent.*, d. 25, q. 1, a. 2; *4. sent.*, d. 49, q. 1, a.3, sol. 3.
(5) *De malo*, q. 6, a. unic., ad 7.
(6) N. 498, 2.°. Vide *De veritate*, q. 22, a. 4. Vide etiam quae dixi in *Tractatu de Deo Creatore*.
(7) Del Prado, loco antea citato, pag. 531.
(8) *1. 2.*, q. 111, a. 2.
(9) *1. 2.*, q. 113, a. 7.
(10) *1. 2.*, q. 112, a. 3.

na promissione. Ratio hujus solutionis est, tum ex titulo articuli, qui est, *utrum necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam;* tum quia ad finem corporis docet: infallibiliter illam consequitur, secundum illud (*Joan.* VI, 45): *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me* (Chirtum). Quod si intelligeretur hoc sensu, scilicet, quod gratia secundum divinam ordinationem habet effectum, adhuc non probaretur physica praedeterminatio; quia poterat habere effectum infallibilem, quia Deus daret gratiam, cui praevidit hominem infallibiliter esse consensurum ex propia ipsius determinatione.

507. Obj. 7.° Haec a S. Thoma asseruntur (1): "Sed Deus movet quidem voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas..." In his autem praemotio physica contineri videtur.

Resp. Concedo testimonium D. Thomae, et nego quod ex illo infertur. Verba quidem D. Thomae praemotionem physicam indicare non posunt: nam eodem loco dicit S. Doctor: "Deus omnia movet proportionaliter, unumquoque secundum suum modum." Certe voluntas, de qua ibidem asseritur indifferenter se habere ad diversa, non moveretur secundum suum modum per praedeterminationem ad unum. Item virtus movens, ita applicatur a Deo, ut habeat efficaciam ratione infallibilitatis, non praecise ratione suae infinitae virtutis; ibidem namque dicitur: "sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur...(2)".

Ad finem noto Deum per concursum simultaneum movere; nam movere est producere motum; et Deus per concursum simultaneum facit operationes creaturarum, quae secundum S. Thomam sunt motus. Sic enim dicit (3) S. Doctor: "Dicendum, quod, sicut dicitur (*De anima*, l. 3, text. 28), motus dupliciter dicitur: uno modo, quia est actus imperfecti, scilicet existentis in potentia, inquantum hujusmodi; et talis motus est successivus et in tempore. Alius autem motus est actus perfecti, id est. existentis in actu, sicut intelligere, sentire, velle, et hujusmodi, et etiam delectari, et hujusmodi motus non est successivus, nec per se in tempore."

508. Scholion I. *Quid senserint de efficacia gratiae theologi, qui ante Tridentinum scripserunt* (4). Non pertinet ad naturam hujus operis de singulis theologis, qui ante Tridentinum floruerunt, exponere eos fuisse contrarios gratiae praedeterminanti; sed de quatuor, magnae quidem auctoritatis, tantum dicam, scilicet, de Alexandro de Hales, Capreolo, Ferrariensi et Cajetano.

Alexander de Hales. Hic auctor est contrarius (5) gratiae praedeterminanti (6). Distinguit compulsionem passivam, et activam. Compulsio

(1) *De malo*, q. 6, ad 3.
(2) Vide plura de hac re in *Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, aa. 4 et 5.
(3) *1. 2.*, q. 31, a. 2, ad 1.
(4) Suarez, *De gratia*, l. 5, c. 46; Thomassini, *Dogmata theologica*, tomus 6, *Tractatus 4*; Schneemann (Gerardus), *Controver. de divin. grat. et lib. arb. concordia*, §. 4; Van Der Meersch, *De divina gratia*, p. 2.ª, sect. 3, cap. 3, a. 2, §. 2.
(5) *Summ. Theologicae* pars tertia, q. 61, membrum 6, a. 4.
(6) Vide quae de hoc auctore dicta sunt *De Deo Creatore*, disp. 1, c. 2, a. 4, n. 177.

passiva habetur, quum non datur consensus, ut si quid per absolutam violentiam fiat; et compulsio activa habetur, quum datur consensus liber cum gravi difficultate, ut quum peccat quis ad mortem vitandam. Dicit igitur Alexander: "Gratia ergo nunquam compellit liberum arbitrium ad bonum compulsione passiva, quamvis aliquando compulsione activa ipsum compellat: quia aliquando movet ipsum per dolores et timores, ut convertatur ad bonum... Liberum arbitrium non potest cogi prima coactione (passiva) ab ipsa gratia nec ab aliquo alio; sed solum potest cogi actione inducenti: quia multa inducunt ipsum liberum ad hoc, quod velit, quod prius nolebat (1)." Affirmat Alexander Halensis liberum arbitrium compelli posse *doloribus* et *timoribus*, et solum posse *cogi actione inducenti;* jam vero haec non affirmaret laudatus Doctor, si praedeterminationem physicam pro actibus liberis admitteret.

Capreolus. Haec transcribit (2) ex Bernardo de Gannato: "Dicendum quod voluntas, quantum est de natura sua, est ad opposita; ipsa tamen, ratione suae libertatis, determinat se ad id quod vult, et ita non indiget alio determinante." Et paulo inferius ex eodem Bernardo addit: "Constat autem quod non sic est de potentiis naturalibus, quae necessario agunt, praesente passivo; unde non est in potestate earum agere et non agere. Si autem dicat quod non est in potestate voluntatis agere vel non agere, libertatem tollit, et primum principium, scilicet quod homo sit liberi arbitrii, et tollit etiam meritum et culpam." Et ad finem responsionis Bernardi de Gannato dicit Capreolus: "Haec Bernardus, et quidem satis bene, nisi quia ponit objectum imprimere immediate aliquid in ipsa potentia voluntatis ante omnem actum secundum, quod non ponit S. Thomas." Ex his autem infertur Bernardum de Gannato rejicere praemotionem physicam et consequenter gratiam praedeterminantem; tum quia asserit voluntatem *determinare se ad id quod vult, et non eligere alio determinante*, ideoque neque Deo ut determinante; tum quia si non est in potestate voluntatis agere et non agere, tollitur libertas, ut revera non est, si detur praemotio physica. Unde, quum Capreolus approbet doctrinam Bernardi de Gannato, praeter hoc quod objectum immediate in voluntatem agat, sequitur Capreolum probare rejectionem praemotionis physicae.

Item scribit (3): "Ad quartum dicitur: primo, quod solum hoc concludit: quod actus elicitus vel imperatus a voluntate, contingenter et evitabiliter evenit; et quod producitur a causa de se indeterminata, quae tamen potest seipsam determinare, scilicet a voluntate. Sed hoc non est contra nos, sed pro nobis." Si vero praemotio physica daretur, hoc esset contra Capreolum; quia admittit voluntatem per se ipsam ex indeterminatione posse transire ad determinationem; quod certe non stat cum praemotione physica.

(1) Vide de Alexandro Halensi ea, quae dixi in *Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 3, a. 4, n. 177.
(2) *2. Sent.*, Dist. 24, q. unic., a. 3, ad 6, tertio positum contra quintam conclu.
(3) *2. Sent.*, d. 25, q. unic., a. 3, ad 4 Scoti argumentum.

Franciscus de Sylvestris, Ferrariensis, docet (1): "Ad hujus evidentiam considerandum est, quod cum duplex sit auxilium quo ad beatitudinis consecutionem indigemus, scilicet habitualis gratia et divina motio tam intrinsece quam extrinsece facta, qua ad bonum dirigimur, et ad gratiae praeparationem excitamur. Primum auxilium Deus non omnibus dat, absolute loquendo, postquam peccaverunt, sed bene omnibus se ad ipsum praeparantibus ex divina motione concedit. Secundum autem auxilium omnibus impendit; et nulli, quantum ad hoc, est absens Deus, cum nullus sit qui ab eo non moveatur ad bonum, et ad gratiae praeparationem, juxta illud *Apoc.* III, 20: *Ecce sto ad ostium, et pulso*, etc. Sed quia divina providentia unumquodque secundum naturae suae conditionem gubernat et movet, homo autem est liberi arbitrii, potestque divinam motionem, sequi et non sequi; inde est, quod aliqui divinam hanc motionem sequentes, se ad gratiam praeparant, aliqui vero ipsam non sequentes, non se praeparant ad gratiam, sed illi magis impedimentum praestant peccando." Secundum Ferrariensem penes voluntatem est sequi vel non sequi divinam motionem; sed non ita esset, si daretur gratia praedeterminans.

Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, dicit (2): "Dilectio naturalis ex parte objecti est causa finalis electiva, quia propter naturalem dilectum diligimus alia. Ex parte vero actus est causa per modum efficientis, sicut cognitio principii est causa efficiens cognitionis conclusionis. Voluntas enim ex volitione finis facit se volentem alia, facit autem libere utendo volitione naturali ad causandum dilectionem electivam. Unde non adimitur libertas ex concursu hoc, sicut nec ex concursu alicujus habitus ad electionem." Haec autem verba, sc.: *voluntas enim ex volitione finis facit se volentem alia, facit autem libere utendo* volitione naturali, non componuntur cum physica praedeterminatione et cum gratia praedeterminante (3).

509. SCHOLION II. *De Sancto Francisco Salesio.* Hic Sanctus Doctor sic scribit ad R. P. Leonardum Lessium. "Attulit mihi Paternitatis vestrae litteras dilectissimus nobis Magister Gabriel, quae ut perhonorificae, ita et jucundissimae mihi fuerunt. Amabam jam pridem, imo etiam venerabar te nomenque tuum mi Pater, non solum quia soleo, quidquid ex vestra illa societate procedit magni facere; sed etiam quia sigillatim de vestra Reverentia multa audivi praeclara primum, deinde vidi, inspexi, et suspexi. Vidi namque ante aliquot annos opus illud utilissimum *De Justitia et jure*, in quo etiam breviter simul et luculenter difficultates illius partis theologiae, prae ceteris aucto-

(1) *Commentar. in 4 II. contr. gent.*, l. 3, c. 159, §. Ad hujus evidentiam.
(2) *1. p.*, q. 60, a. 2.
(3) De Capreolo, Ferrariensi et Cajetano vide quae dixi in *Tractatu de Deo Creatore*, d. 1, c. 2, a. 4, n. 178 et sq.

ribus, quos viderim, egregie solvis. Vidi postea consilium, quod a magni consilii Angelo per te mortalibus datum est de vera Religione eligenda: ac demum obiter vidi in Bibliotheca Collegii Lugdunensis *Tractatum de praedestinatione*. Et quamvis nonnisi sparsim, ut fit, oculos in eum injicere contigerit, cognovi tamen Paternitatem vestram sententiam illas *antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam, de praedestinatione ad gloriam post praevisa opera*, amplecti ac tueri. Quod sane mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi; quod etiam tantisper in *Libello de amore Dei* indicavi. Cum igitur ita erga Paternitatis vestrae merita, quam dudum laudaverant apud me opera ejus, affectus essem, mirifice profecto gavisus sum, me tibi vicissim utcumque etiam charum esse: quod ut semper contingat, et dictum Magistrum Gabrielem commendatissimum habebo, et si quid unquam potero, quod tibi placere cognoscam, id exequar quam impensissime. Valeat interim Reverenda Paternitas tua, et te Deus usque in senectam et senium nunquam derelinquat, sed canos tuos benedictionibus caeli ornet et compleat. Annesi Gebennensium 26 Augusti, 1618.

Admodum Reverendae Paternitatis vestrae humilis et addictissimus frater ac servus in Christo Franciscus Episcopus Gebennensis (1)".

Ex hac epistola est manifestum S. Franciscum Salesium tenere sententiam de praedestinatione post praevisa merita, eamque magni facere; talis vero sententia non videtur consona cum praedeterminatione physica; et revera defensores praemotionis physicae sunt etiam defensores praedestinationis ante praevisa merita.

Praeterea S. Franciscus Salesius haec habet (2): "Deus voluit salutem omnium, quos praeviderit praestituros esse consensum gratiis et favoribus, quae illis praeparaverit, obtulerit et

(1) Haec *epistola* transcripta est ex P. Meyer (Livinus), tom. 1, *Historiae controvers. de divin. gratiae auxiliis* ll., l. 1, c. 6. Ipse P. Meyer defendit *epistolam* esse authenticam, et inter alia argumenta dicit ipsum autographum, suo tempore, in domo professa Societatis Jesu, Antuerpiae conservari thecae argenteae inclusum. (Tom. 2, *Hist. divinae gratiae auxil.* ll., l. 1, c. 11.

(2) *Tractatus de amore Dei*, l. 3, c. 5.

distribuerit pro salute. Igitur inter hos favores voluit vocationem esse primam, quam voluit esse accommodatam naturae liberae, et quam nos pro libito accipere vel rejicere possemus. Et quos praeviderit vocationem esse accepturos, dedit illis sacros motus paenitentiae, et sic postea alia dona usque perseverantiam finalem." Quibus verbis S. Doctor praemotionem physicam manifeste rejicere videtur. Et eodem loco, inferius, praedestinationem post praevisa merita admittit, quum dicit: "Deus abs dubio paradisum non praeparavit, nisi pro illis, quos Deo adhaerere praevidit; simus igitur Dei fide et operibus, et gloriam consequemur."

Denique Pius XI *Tractatum de amore* Dei specialiter laudat (1) *quasi quamdam Dei caritatis historiam*, et de eodem *tractatu* dicit: "Oblata vero opportunitate, difficillimas quaestiones dilucide explanat, ut de *gratia efficaci, de praedestinatione, de vocatione ad fidem...*" Profecto S. Franciscus Salesius gratiam praedeterminantem vel efficacem ab intrinseco non exponit, sed rejicit, ut elucet ex testimonio de *Tractatu amoris Dei* antea adducto. Haec Salesii doctrina a Pio XI probatur, quum hujus rei mentionem in laudem Sancti faciat, et dicat: *dilucide explanat.*

(1) *Litteris Encyclicis De S. Francisco Salesio, tertio pleno saeculo ab ejus obitu*, datis die 26 mensis Januarii, anni 1923. (*Acta Apostolicae Sedis*, 1 Februar. 1923).

CAPUT III

De distributione gratiæ

Articulus I

Utrum peccatoribus omnibus detur gratia sufficiens ad salutem (1)

510. Praemitt. 1.° Haec est quaestio de gratia actuali, quae tractanda restat, sc. de distributione gratiae peccatoribus et infidelibus; de justis enim jam dictum est omnibus dari gratiam sufficientem ad perseverandum, ideoque ad salutem consequendam. Quaestio in hoc articulo tractanda est, utrum singulis peccatoribus detur gratia, saltem suis temporibus, ad paenitendum, et idcirco ad gratiam sanctificantem obtinendam. Agitur hic de peccatoribus fidelibus, non de haereticis et infidelibus, de quibus in articulo proximo sermo erit. Immo Lateranense et Tridentinum, quae inferius adducuntur, ad fideles baptizatos se referunt.

511. Praemitt. 2.° Inter peccatores sunt aliqui extraordinarii, qui excaecati et indurati dicuntur. *Excaecatio* a P. Lessio sic definitur (2): "Sita est *excaecatio* non solum in subtractione divinae illustrationis, sed etiam in positiva judicii perversione". Et ab eodem ita declaratur *induratio* (3): "Consistit in firma et obstinata affectus ad aliquod malum, propter speciem quamdam boni, adhaesione." Excaecatio duplex continet elementum,

(1) S. Thomas, *De veritate*, q. 24, a. 11; Suarez, *De gratia*, l. 4, cc. 8 et 10; B. Bellarminus, *De gratia et liber.*, l. 2, c. 5 et sq.; Valentia, *In 1.* 2., d. 8, q. 3, punct. 4; Frassen, *De gratia*, d. 2, a. 3, sect. 4, §. 3; Struggl, *De gratia*, d. 3, q. 1, a. 2; Wirceburgenses, *De gratia*, d. 5, c. 3, a. 4; Beraza, *De gratia Christi*, 2.ª p., sect. 2, *de univers. grat.*, a. 2; Schiffini, *De gratia divina*, d. 5, sect. 4; Lahousse, *De gratia divina*, c. 7, a. 2.

(2) *De perfectionibus divinis*, l. 13, c. 14, n. 76.

(3) Eodem loco, n. 81.

videlicet subtractionem divinae illustrationis et judicii perversionem. Ratione prioris non recte apprehendunt res salutares; et ideo nec concionibus, nec colloquiis, nec lectione sacra ad recte agendum moventur. Ratione posterioris de rebus salutaribus male judicant, et illa non aestimant, sed contemnunt. Secundum hoc dicit *Isaias* (V, 20): "Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum!" Excaecacio ad indurationem conducit, et haec duo conjungi solent; excaecatio ad intellectum pertinet, et induratio ad voluntatem. Indurati sunt veluti saxum, quod emolliri non potest; et peccatores hujusmodi neque monitis externis, neque divinis inspirationibus, neque promissis, neque flagellis moventur. Ad hoc, ut movcantur, necessarius est favor extraordinarius Dei (1). Excaecatio et induratio possunt esse *perfectae* et *imperfectae*. Sunt perfectae, si secundum ordinem praesentis providentiae tolli nequeunt; tales sunt excaecatio et induratio damnatorum. Sunt *imperfectae*, quum tolli possunt, sed difficulter.

Praecipua causa excaecationis est ipse peccator, qui ob sua peccata meretur privari divina illustratione, et rarius illustrari et magis deceptioni diaboli subjici et habere plures occasiones peccandi; item ipse peccator se obcaecat se subjiciendo passionibus, resistendo gratiae et recusando considerare veritatem salutarem. Deinde Deus ad excaecationem concurrit *negative*, quia negat abundantiorem gratiam; *permissive*, quia plura permittit diabolo; et *occasionaliter*, quia negat specialem protectionem et subtractionem occasionum peccandi. Denique diabolus omni modo, quo sinitur, facit ut intellectus obnubiletur, sc., apprehensionibus ad falsum conducentibus, per rerum propositionem modo indebito, aliisque modis similibus. Similiter causa obdurationis est ipse homo suis malis meritis, sua subjectione pravis cupiditatibus per resistentiam divinis inspirationibus, et quia non considerat bona et salutaria. Deus est causa obdurationis *negative*, per subtractionem motionum salutarium voluntatis, *permissive*, per majorem permissionem diabolo concessam et *occasionaliter*

(1) Vide S. Thomam, *1. 2.*, 79, a. 3 et sq.

per non impeditionem occasionum peccandi; denique daemon omni modo, qui illi permittitur, in peccata inducit.

512. Praemitt. 3.° *Variae sententiae.* Calvinus negat omnibus hominibus dari gratiam ad salutem (1), et affirmat alios esse a Deo destinatos ad gloriam, alios ad damnationem. Similiter Jansenius negat dari omnibus gratiam sufficientem ad salutem obtinendam, quod quidem sequitur ex eo, quod negat Christum esse mortuum pro omnibus, ut eruitur ex 5.ª ipsius propositione damnata. Inter catholicos nonnulli, ut Bañez (2), Alvarez (3) aliique, negant Deum omnibus peccatoribus excaecatis et obduratis dare gratiam sufficientem ad salutem, licet aliquibus communicet. Verum sententia communissima catholicorum et vera, est, ut eruitur ex morte Christi pro omnibus, Deum omnibus omnino peccatoribus, etiam excaecatis et obduratis, largiri gratiam sufficientem ad salutem. Attamen non est mens theologorum Deum tribuere gratiam peccatoribus singulis momentis, et ita in singulis momentis converti posse; sed tempore opportuno, scilicet; quum verbum Dei auditur, colloquia pia habentur, tribulationes speciales sustinentur, pecularia beneficia recipiuntur, aut similia eveniunt. Nihilominus Deus non semper largitur immediate gratiam proxime sufficientem, verum saepe solum remote sufficientem, quae scilicet proxime sufficiens facienda est per orationem vel bona opera, vel per utrumque medium.

513. Praemitt. 4.° Censura. Peccatores ordinarios posse paenitentiam agere et justificari de fide est, saltem respectu fidelium baptizatorum, et etiam pro aliis fidelibus res videtur certa. Dicit (4) enim Con. Lateranense IV: "Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper paenitentiam reparari." Et Concilium Tridentinum definit (5); "Si quis dixerit in catholica Ecclesia paenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipse Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit." Ex his igitur constat esse de fide posse fideles baptizatos, qui in peccata lapsi sint,

(1) *Institut.*, l. 1, c. 18; l. 3, cc. 21 et 24.
(2) *In 1. p.*, q. 23, a. 3, propos. 8.
(3) *De auxiliis divinae gratiae*, l. 11, d. 112.
(4) Denz.-Bannwart, n. 430.
(5) *Sess., 14*, Can. 1.

paenitentiam agere salutarem, et reconciliari Deo. At est etiam de fide paenitentiam salutarem agi non posse sine gratia; nam Arausicanum II, definivit (1): "Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: "*Praeparatur voluntas a Domino*" (*Prov.* VIII, 35, secundum LXX), et Apostolo salubriter praedicanti: "*Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*" (*Philipp.* II, 13)". Et Tridentinum dicit (2): "Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: A. S." Jam vero ex una parte de fide est peccatores ordinarios fideles et baptizatos semper paenitentiam salutarem agere posse, et ex altera similiter de fide paenitentiam salutarem fieri non posse sine auxiliis gratiae; ideoque de peccatoribus, saltem ordinariis, fidelibus et baptizatis, de fide est paenitentiam salutarem ipsos posse facere semper temporibus opportunis, et similiter de fide est ad id auxilia vere sufficientia accipere.

Et de fidelibus adhuc non baptizatis, sed qui baptizari volunt, doctrina haec saltem est certa. Quod attinet vero ad peccatores excaecatos et induratos, licet nonnulli catholici contradicant, doctrina tamen videtur omnino vera ex morte Christi pro omnibus et ex voluntate divina dandi salutem omnibus nullo excepto (3).

THESIS. Deus omnibus peccatoribus fidelibus auxilia necessaria ad salutem consequendam tribuit, neque ab hac regula peccatores excaecati et indurati excipiendi sunt.

514. Prob. 1.ª pars de peccatoribus communibus. 1.º *Ex S. Scriptura.* a) Ex V. T. In *Sap.* XI, 24 et sq. legitur: "Sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter paenitentiam. Diligis enim omnia quae sunt, et

(1) Can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 177).
(2) *Sess. 6.ª*, can. 3.
(3) Vide quae dixi in *Tractatu de Verbi Divini incarnatione, de morte Christi pro omnibus*, d. 16, s. 5; *et de voluntate Dei salutem omnibus hominibus tribuendi*, in *Tractatu de Deo uno*, d. 4, c. 1, a. 2.

nihil odisti eorum quae fecisti... Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas." Et eodem loco cap. XII, 1: "O quam bonus, et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus (i. e. paulatim) corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine." In *Ezech.* XXXIII, 11 dicitur: "Vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimi, convertimi a viis vestris pessimis." Et inferius versibus 14 et 16: "Si autem dixero impio: morte morieris: et egerit paenitentiam a peccato suo... vita vivet et non morietur. Omnia peccata ejus, quae peccavit non imputabuntur ei: judicium et justitiam fecit, vita vivet." Item *Isa.* LV, 7, dicit: "Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum". Denique *Jerem.* XXXV, 15, dicitur: "Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra..."

b) Ex N. T. Apud *Matth.* XI, 28, dicit Christus: "Venite ad me omnes, qui laboratis, et oneratis estis, et ego reficiam vos." Et in *II Petri,* III, 9, legitur: "Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti."

515. 2° ***Ex Conciliis.*** Jam supra ad censuram theseos probandam allata sunt Concilia Lateranense IV, Tridentinum et Arausicanum II. Nunc iterum probatur ex Tridentino dicente (1): "Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per paenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint." Et Idem, eodem loco, can. 29, inquit (2): "Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine sacramento paenitentiae, prout sancta Romana et universalis Ecclesia a Christo Domino et ejus Apostolis edocta hucusque professa est, servavit et docuit: A. S." Item ex Conc. Coloniensi, quod trait (3); "Jam quamquam nemo converta-

(1) *Sess.* 6.ª, cap. 14.
(2) Denz.-Bannwart, n. 839.
(3) *Parte séptima,* capitul. 32, col. 1264. Hoc concilium celebratum fuit anno 1536 (Mansi, *Coll. Concil.,* tom. 32).

tur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem praetexat, quod non trahatur: quod ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per internum et externum verbum commonens, ut convertamur a via nostra pessima, et inclamans quoniam *ira, indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, gloria autem, et honor, et pax* omni operanti bonum." Item eruitur ex Conc. Senonensi allato supra (1). His denique accedat Conc. Valentinum III, cujus haec sunt verba (2): "Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt..."

516. 3.° *Ex PP.* a) *Ex PP. graecis.* S. Basilius dicit (3): "Quoniam autem te servum, non hominum, sed peccati, ad libertatem praeco vocat, ut te, captivitate solutum, ex aequo cum angelis civitate donet, teque efficit per adoptionis gratiam filium Dei, et bonorum Christi haeredem." Et inferius n. 4: "Ingredere in conclave animae tuae, revolve gestorum tuorum memoriam. Si multa sunt peccata tua, ne desperes ob multitudinem. *Ubi enim abundavit delictum, superabundavit gratia;* si modo gratiam suscipias. Multum enim debenti, multum remittetur, ut amplius diligat..." Et S. Joannes Chrysost. inquit (4): "Non aliquando quidem, inquit, beneficio afficit (Deus), aliquando vero recedit: neque modo miseretur, modo desinit, quod evenit in hominibus... At Deus non est ejusmodi, sed perpetuo miseretur, nec desinit hoc facere, etiamsi hoc faciat variis et diversis modis."

b) *Ex PP. latinis.* S. Cyprianus ad Demetrianum dicit (5): "Hic saluti aeternae cultu Dei et fructu fidei providetur; nec quisquam aut peccatis retardetur aut annis quoniam veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti paenitentia nulla sera est; patet ad indulgentiam Dei aditus, et quaerentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est." Et S. Ambrosius inquit (6): "Plena est ergo terra misericordia Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum." Item S. Gregorius M. dicit (7): "Quisquis delinquit et vivit, ideirco hunc divina

(1) D. 2, c. 2, a. 2, n. 409.
(2) Can. 2, (Denz.-Bannwart, n. 321). Hoc Concilium celebratum fuit anno 855.
(3) *Homil. exhortatoria in S. Baptisma*, nn. 3 et 4 (M. G. 32, 430 et sq.).
(4) *Expositio in Ps. 135*, n. 1 (M. G. 55, 399).
(5) Inter tractatus §. 10 (Hartel (Guliel.), pag. 370, ad finem tractatus).
(6) In *Psal.* 118, v. 64, n. 57 ex littera Heth (M. L. 15, 1388).
(7) *Moral.* l. 17, c. 6 (M. L., 76, 13).

dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat."

517. *Speciatim probatur ex S. Augustino.* Hic S. Doctor inquit (1): "Omnipotenti medico nihil est insanabile; non renuntiat ad aliquem: opus est, ut tu curari velis, opus est ut manus ejus non refugias. Sed etsi nolis curari vulnus tuum, admonet ut cureris: et aversum revocat, et refugientem quemadmodum redire compellit, et attrahit. In omnibus implet quod dictum est; *Misericordia ejus praeveniet me.*" Et alibi haec habet (2): "Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad paenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis: *Longanimis et multum misericordiae.*" Item dicit (3): "*Non poterant credere,* quia hoc Isaias propheta praedixit: hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per Prophetam praenuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt." Denique idem S. Doctor ita loquutus est (4): "Nunquid consilii corrigendi et mutandae vitae malae in bonam non est locus, non est tempus? Nonne si vis, hodie fit? nonne si vis, modo fit?"

518. 4.° *Ratione.* Omnes peccatores, dum sunt in hoc mundo, sunt in statu viae; non enim ad terminum pervenerunt. Atqui proprium est status viae tendere in terminum, qui hic est vita aeterna. Ergo omnes peccatores in vitam aeternam tendere possunt; et idcirco auxilia gratiae omnes accipiunt, quia sine gratia in vitam aeternam tendi non potest. Praeterea Ecclesia jubet singulos fideles peccatores singulis annis paenitentiam agere et sacram Eucharistiam sumere. Id vero peccatores facere non possent, nisi gratiam acciperent. Aliunde nec Deus nec Ecclesia impossibilia jubent, ut asseritur in damnatione propositionis 19ae Concilii Pistoriensis his verbis (5): "Quasi impossibile aliquid potuerit imperare, qui justus est, aut damnaturus sit hominem

(1) *Sermo, 2 in Ps.* 58, n. 11 (M. L. 36, 712).
(2) *In Ps. 102,* n. n. 16 (M. L. 37, 1330).
(3) *Tractatus 53 in Joan.,* n. 6 (M. L. 34, 2.a p., 1777).
(4) *Enarrat. in Ps. 63,* n. 19 ad finem Psalmi (M. L. 36, 772).
(5) Denz.-Bannwart, n. 1519.

pro eo, quod non potuit evitare, qui pius est." Et S. Augustinus dicit (1): "Non igitur Deus impossiblila jubet: sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis." Accedit quod Deus salutem omnium hominum viatorum, nullo excepto, serio vult. Non autem serio vellet, si auxilia necessaria ad salutem consequendam non tribueret (2): Etiam Deus homo pro salute omnium hominum mortuus est (3); haec autem mors pro hominibus, qui gratiam sufficientem ad salutem consequendam non acciperent, esset inutilis.

519. Prob. 2.ª pars seu *peccatoribus excaecatis et induratis etiam communicantur auxilia sufficientia ad salutem consequendam.*

Prob. 1.º Omnia argumenta allata pro 1.ª parte, sive ex S. Scriptura, sive ex Conciliis, sive ex PP., sive ex ratione, similiter probant secundam partem; quum in illis nulla fiat exceptio, sed ad omnes peccatores se referant. Haec 2.ª p. probatur speciatim ex *Epist. ad Rom.* II, 4, ubi legitur: "An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impaenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus..."

520 2.º *Ex S. Augustino.* Dicit (4) S. Doctor: "Nam ea est caecitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores (*Matth.* XXV, 30), quae magis ad diem judicii pertinenre intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit; penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa caecitate?" Item dicit (5): "Utinam ergo qui nos modo exercent, convertantur, et nobiscum exerceantur: tamen quamdiu sunt ita ut exerceant, non eos oderimus; quia in eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus; et plerumque cum tibi videris

(1) *De natura et gratia*, c. 43, n. 50 (M. L. 44, 271). Et alibi non semel hoc ipsum affirmat.
(2) Vide *Tractatum de Deo uno*, d. 4, c. 1, a. 2.
(3) Vide *De Verbi Dei incarnatione*, d. 16, a. 5.
(4) *Enarrat. in Ps.* 6, n. 8 (M. L. 36, 94).
(5) *Enarrat. in Ps.* 54, n. 4 (M. L. 36, 630).

odisse inimicum, fratrem odisti et nescis. Diabolus et angeli ejus in Scripturis sanctis manifesti sunt nobis, quod ad ignem aeternum sint destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio, contra quos habemus occultam luctam..." Similiter loquitur alibi (1): "Sed ista impaenitentia vel cor impaenitens quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad paenitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium; qui non mortem vult impii, quantum ut revertatur et vivat (*Ezech.* XVIII, 23). Paganus est hodie: unde scis, utrum sit futurus crastino christianus? Judaeus infidelis est hodie: quid si cras credit in Christum?" Denique inquit (2): "Sed tamen addendum fuit: si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto, non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur."

521. 3.° *Ex variis locis D. Thomae.* a) Dicit (3) S. Doctor: "Unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis paenitere non possit, erroneum est, primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii: secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad paenitendum, secundum illud (*Prov.* XXI, 1): "*Cor regis in manu Dei, et quocumque voluerit, vertet illud.*" Etiam dicit (4): "Dum voluntas est obstinata, simul divinae voluntati conformis esse non potest; sed in statu viae nullus est, qui mentis obstinationem non possit deponere, et sic divinae voluntati conformari." b) Idem S. Doctor asserit (5): "Quod aliquis homo in statu viae non possit esse ita obstinatus in malo, quin ad suam liberationem cooperari possit, ratio patet ex dictis: quia et passio solvitur et reprimitur, et habitus non totaliter animam corrumpit, et ratio non ita pertinaciter falso adhaeret, quin per contrariam rationem possit abduci." c) Iterum (6) S. Doctor: "Non enim hoc habet ordo divinae justitiae, quod quamdiu aliquis est in via, sibi detur quod pertinet ad terminum viae..... immobilitas enim et quies est

(1) *Sermo.* 71, c. 13, n. 21 (M. L. 38, 456).
(2) *Retract.*, l. 1, c. 19, n. 7 (M. L. 32, 316).
(3) *3. p.*, q. 86, a. 1.
(4) *In 1 Sent.*, dist. 48, q. 1, a. 3, ad 2.
(5) *De veritate*, q. 24, a. 11.
(6) *Compendium Theologiae*, c. 145.

terminus motus; tota autem praesens vita est status viae, quod demonstrat mutabilitas hominis et quantum ad corpus et quantum ad animam. Non igitur hoc habet divina justitia, ut homo post peccatum immobiliter maneat in eo." d) Datur praeceptum spei, ut docet (1) S. Thomas, et juxta ipsum desperatio est peccatum gravissimum (2). Profecto excaecati et indurati neque praeceptum spei servare possent, neque per desperationem peccarent, quum aliter agere non possent; non enim salutem sperare possent, si nulla gratia eis daretur. e) Datur certe praeceptum paenitentiae interioris, ut tradit (3) ipse S. Doctor; hoc autem praeceptum non potest impleri, ut venia obtineatur, nisi gratia communicetur.

522. Obj. 1.° S. Scriptura asserere videtur post certam peccatorum mensuram Deum peccata non amplius remittere. Sic apud *Matth.* XXIII, 32, legitur: "Et vos implete mensuram patrum vestrorum." Et *Is.* dicit V, 5 et sq.: "Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae, auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur: et ascendent vepres et spinae: et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem." Item in *Jeremia* LI, 9, legitur: "Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam..." Ex testimoniis allatis manifestum videtur Deum aliquando derelinquere peccatores eosque nullo modo juvare, sed punire.

Resp. Testimonia allata nullo modo significant Deum a magnis peccatoribus omnem gratiam auferre. Sed *Matth.* et *Is.* significant Deum post certam mensuram peccatorum non parcere; sed sumere vindictam de peccatis per punitiones temporales et denegationem gratiae abundantioris et beneficiorum spiritualium. Haec interpretatio eruitur ex contextu, et quia non est sermo de subtractione gratiae, quae in aliis Scripturae locis promittitur, sed de inflictione poenarum temporalium. Textus vero *Jeremiae* affert verba gentium conjunctarum cum Babylone, quae illam relinquere statuunt.

523. Obj. 2.° Plura alia in Scripturis reperiuntur, quae innuere videntur Deum aliquando omnem gratiam subtrahere. a) *Exodo* VII, 3, dicit Deus: "Sed ego indurabo cor ejus (Pharaonis)". b) *Eccl.* VII, 14, asserit: "Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere quem ille despexerit." c) In *Amos* legitur, I, 3: "Haec dicit Dominus: super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum..." Et similia inferius repetuntur. d) In *II Mach.* IX, 13, de Antiocho legitur: "Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus." e) Apud *Joan.* XII, 37-41, legitur: "Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum... Propterea non

(1) 2. 2., q. 20, a. 1.
(2) 2. 2. q. 20, aa. 1 et 3.
(3) 3 p., q. 84, a. 8.

poterant credere, quia iterum dixit Isaias: "Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum: ut non videant oculis, et non intelligant corde et convertantur, et sanem eos." f) Ad *Hebraeos*, XII, 17, dicitur de Esau: "Scitote enim quoniam et postea cupiens haereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit paenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam." g) Denique *I Joan.* V, 16, habetur: "Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis." Profecto omnia allata innuere videntur, Deum aliquando maximos peccatores deserere.

Resp. Nunquam Deus omnem gratiam subtrahit ab hominibus, dum adhuc sunt in statu viae, et nulla ex probationibus allatis oppositum ostendit. Ad singulas respondeo.

Ad a) Deus non induravit Pharaonem positive, hoc enim esset peccatum, quod in Deum cadere non potest; sed tantum permissive et negative Pharaonem induravit. Pharao per dimissionem populi, poterat facere id quod Deus volebat, et sic se praeparare ad divina beneficia recipienda. Certe poterat populum dimittere, et hoc voluit facere (*Exod.* VIII, 8); sed postea voluntatem mutavit.

Ad b) Sensus illius textus videtur esse neminem corrigere posse opera Dei, neque ea mutare ab eo modo, quem Deus voluit esse. Si vero referatur ad excaecatos et induratos dicendum est illis verbis innui excaecatos et obduratos ob suas culpas minorem gratiam recipere, et difficulter converti.

Ad c) Verbis Amos non significatur ablatio omnis gratiae sufficientis; sed mutatio Dei ex benignitate in punitionem propter magna eorum delicta. Et similiter explicanda sunt quae leguntur eodem loco, vv. 6, 9, etc.

Ad d) Antiochus non rogabat pro salute aeterna consequenda, sed pro liberatione ab infirmitate, quam non erat consecuturus. Quod agatur de liberatione ab aegritudine ex contextu apparet.

Ad e) Judaei illi credere non poterant, quia eorum duritia voluntatem mutare nolebant; sed poterant illam mutare. Unde S. Augustinus dicit (1): "Hinc illi *non poterant credere*: non quia mutari in melius homines non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excaecantur, et indurantur; quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur. Hoc de judaeis qui excacati et indurari sunt, Deus praescivit, atque in ejus Spiritu Propheta praedixit." Et S. Thomas de hac ipsa re dicit (2): "Ubi sciendum est, quod ly ut in sacra Scriptura quandoque accipitur causaliter, sicut illud supra X, 10: *Ego veni ut vitam habeant*: quandoque autem tenetur consecutive, et significat eventurum: et sic accipitur hic. Non enim ideo non credebant, quia praedixerat Isaias; sed quia non erant crediturí, ideo praedixit..."

Ad f) Ibi agitur non de paenitentia ad peccatorum remissionem consequendam; sed de mutatione voluntatis patris, ut illi daret benedic-

(1) *Tract. 53 in Joan.*, n. 10 (M. L. 35, 1778).
(2) *Lect. 7.ª in Joan.*, c. 12, v. 37 et sq.

tionem, quam Jacob dedit. Et Esau lacrymis non remissionem peccatorum quaerebat, sed benedictionem paternam, quam ipse propter escam vendidit.

Denique ad g) Quid sit peccatum ad mortem non constat; sunt enim de hac re plures opiniones. Tamen videtur tale peccatum esse gravissimum, et cujus remissio non facile obtinetur propter malam subjecti dispositionem. Unde S. Joannes non prohibet orare pro illo, qui peccatum ad mortem habet; sed id non praecipit, eo quod remissio talis peccati difficulter obtinetur. Deus vero etiam pro tali peccatore dat gratiam, saltem remotam, quae cooperatione peccatoris possit fieri proxima (1).

524. Obj. 3.° Apud *Matth.* XII, 31 et sq. legitur: "Ideo dico vobis: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro." Haec autem significare videntur dari peccata irremissibilia; ideoque talia peccata habentes non accipiunt gratiam; nam gratia omnia peccata remittere potest.

Resp. Imprimis inquiri potest quid sit peccatum in Spiritum Sanctum. De hac re sunt plures sententiae; sed ex contextu in allato testimonio Spiritus (in genitivo, ut apparet ex graeco πνεύματος, blasphemia), et blasphemia in Spiritum Sanctum accipitur pro eo peccato, quod pharisaei committebant attribuendo diabolo opera Christi manifeste divina et ex virtute Spiritus Sancti. Sic dicitur *Matth.* XII, 24: "Pharisaei autem audientes dixerunt: hic (Christus) non ejicit daemones nisi in Beelzebub, principe daemoniorum." Tale autem peccatum dicitur non remitti, quia difficile remittitur; nam illi, qui opera Dei manifesta tribuunt daemoni, eo ipso sibi claudunt januam ad salutem, quum ex malitia opera Dei nolint agnoscere. Non tamen hoc peccatum dicitur irremissibile; sed tantum non esse remittendum. "Per hoc tamen, dicit (2) S. Thomas, non praecluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur." Verum praeterea non *remittetur* non sumitur ad significandum absolute non remittetur; sed non facile remittetur, sicut quum dicitur *verbum contra Filium hominis remittetur*, non innuitur tale verbum in omni casu seu semper remitti. Verbum autem contra Filium asseritur remitti, quia tale verbum videtur esse illorum, qui divinitatem Christi non agnoscebant, et quamvis hi haberent errorem culpabilem; nihilominus peccatum contra hominem est magis excusabile et minorem induit gravitatem.

525. Obj. 4.° In *Epist. ad Hebraeos* dicitur VI, 4-6: "Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilomi-

(1) Vide de hac re plura apud P. Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 2, *De universitate gratiae*, a. 2, n. 430.
(2) 2. 2., q. 14, a. 3, ad finem corporis.

nus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt; rursus renovari ad paenitentiam." Et eodem loco, X, 26: "Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia." Ergo re ipsa sunt peccata, quibus remissio dari non potest.

Resp In neutro textu excluditur possibilitas paenitentiae pro hominibus peccatoribus; quia, ut ex probatione theseos constat, dum homines sunt in statu viae, possunt ad Deum converti, si sincere velint. Ad textus vero oppositos quod attinet, primus duplici modo explicatur. Multi Patres et theologi cum S. Thoma (1) explicant de repetitione baptismi, et secundum hanc sententiam sensus est, quod non possunt renovari ad paenitentiam iterum accipiendo baptismum, quum hoc sacramentum repeti non possit. Alii vero contendunt *et prolapsi sunt*, referri non ad quemcumque lapsum, sed ad lapsum per apostasiam, et explicant verbum *impossibile*, quatenus valde difficile est apostatas iterum converti ad veram fidem. Alter textus videur accipiendus de peccato apostasiae; quia contextus ita requirere videtur, quum vv. 25, 27 et sq. exhortetur Apostolus, ne fideles Ecclesiam deserant, et mala, quae ex tali desertione consequantur, proponat. Pro apostatis autem non relinquitur hostia Novi Testamenti, quum ab illo se separent et eam contemnat; neque Veteris Testamenti, quia hoc jam abolitum est (2).

526. Obj. 5.° Concilium Tridentinum dicit (3): "Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur." Et similiter loquitur S. Augustinus dicens (4): "Et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper juste vivatur." Ergo si Deus deseritur, etiam ipse deserit.

Resp. Sensus sive in Tridentino, sive in S. Augustino est, Deum semel justificatos non privare gratia justificante seu sanctificante; nisi ipsi prius per peccatum lethale Deum deserant. Potest etiam concedi Deum, aliquando saltem, propter peccatum gratiam actualem abundantiorem negare.

527. Obj. 6.° *Ex S. Augustino.* Et primo quidem ex libris, quos contra pelagianos scripsit. De natura et gratia asserit (5): "Nec cogitat (Pelagius) praevaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis; qua desertus utique fit caecus, et plus necesse est offendat, et cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris." Et ibidem (6) dicit: "Deserti quippe, ut dixi, luce justitiae et per hoc contenebrati, quid pariant aliud, quam haec omnia, quae commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant: *Surge, qui dormis, et exurge a mortuis,*

(1) *3. p.*, q. 84, a. 10, ad 1.
(2) Vide P. Beraza. *De gratia Christi*, loco paulo antea citato, n. 426 et sq.; item Corluy *Spicilegium*, in *Tractatum de Deo Creatore. Commentarius* 3. us.
(3) *Sess. 6*, c. 11 (Denz.-Bannwart, n. 804).
(4) *De natura et gratia*, c. 26, n. 29 (M. L. 44, 261).
(5) Cap. 22, n. 24 (M. L. 44, 258).
(6) Cap. 23, n. 25, col. 259.

et *illuminabit te Christus* (*Eph.* V, 14)?" Item eodem loco (1): "Quoniam caecus puto quod velit videre, sed non potest; si autem vult et non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas." Et *De perfectione justitiae*, inquit (2): "Quasi non debeat Deo agere gratias, quia praecepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, haec velle non posset." Rursus *De correptione et gratia* docet (3): "Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; et tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus." Denique *De dono perseverantiae* ita loquitur (4): "Dando enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam, et per hoc veram suam gratiam esse voluit: non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit." Haec autem testimonia gratiam sufficientem non omnibus communicari significare videntur.

Resp. Ex testimoniis S. Augustini allatis nn. 517 et 520 constat secundum S. Doctorem homines dum sunt in statu viae posse converti et paenitentiam agere si velint; et hoc variis modis ita manifeste dicit, ut de hac re dubitari non possit. Quare testimonia, quae in oppositum adducuntur, explicanda sunt. Singula declarantur.

De natura et gratia, c. 22. In ipso textu dicitur hominem caecum admoneri, ut imploret gratiam Salvatoris; ideoque illam implorare potest: et per orationem obtinebit gratiam sufficientem, ut a malo statu, in quo reperitur, exire possit.

De natura et gratia, c. 23. Etiam in ipso textu est solutio, quum in illo habeatur, *donec dicatur eis, si dicto obaudiant, surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Ideoque tales contenebrati non sunt in tenebris exterioribus seu damnatorum, et possunt a tenebris exire, si *dicto* seu voci Dei *obaudiant*, et a Christo illuminabuntur.

De natura et gratia, c. 51. Amissa est illa possibilitas, quae fuit in Adamo, cui cum natura data est gratia; sed non amissa est possibilitas, quae per gratiam Christi Redemptoris habetur. Ideoque in textu objecto excluditur solam naturam sufficere ad vitanda peccata; et oppositum asserebat Pelagius, qui, ut refert (5) S. Augustinus, naturae tribuit possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam. Et ibidem asserit S. Augustinus Pelagium ipsam naturam, quia Deum habet auctorem, vocare gratiam; et ita fieri per naturam, et erat fieri etiam per gratiam.

De perfectione justitiae, c. 19, n. 41. Verba *qui desertus omni lumine veritatis haec velle non posset* sunt posita hypothetice, non absolute; et idcirco non affirmat S. Doctor aliquem hominem in statu viae prorsus destitui omni lumine veritatis.

(1) Cap. 51, n. 59 (M. L. 44, 276).
(2) Cap. 19, n. 41 (M. L. 44, 314).
(3) Cap. 11, n. 32 (M. L. 44, 936).
(4) Cap. 12, n. 28 (M. L. 45, 1016).
(5) In eodem cap. 51, n. 59.

De correptione et gratia, c. 11, n. 32. Negat Deus, quando sibi placet justis de causis, gratiam proxime sufficientem; sed nulli negat tempore opportuno gratiam remote sufficientem, quae per orationem fieri potest proxime sufficiens.

De dono perseverantiae, c. 12, n. 28. Non excluditur saltem gratia remote sufficiens: immo nec alia gratia, quae ut non debita, potest a Deo negari, quum homines aliis gratiis praecedentibus non cooperantur.

528. Obj. 7.° Ex aliis libris S. Augustini. a) Ex *Libero Arbitr.* (1) ubi legitur: "Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid recte faciat: vel resistente carnali consuetudine, quae violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid recte faciendum sit, et velit, nec possit implere." b) *Epist.* 217 dicitur (2): "Scimus non omnibus dari (gratiam)..." Et paulo inferius: "Scimus eis quibus non datur, justo judicio Dei non dari." c) *Quaestionum septemdecim in Evang. secundum Matth.* (3) *liber unus* habetur: "Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excaecari meruisse: qua tamen excaecatione non potuerunt credere." d) *Quarumdam propotisionum ex Epist. ad Rom. expositio*, in quibus dicitur (4): "Non ergo hoc illi (Pharaoni) imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem indurato corde obtemperare non poterat..." e) In *Enarrat. Ps.* 57, n. 22 legitur (5): "Sed jam est mentis caecitas, jam oculus mentis exstinctus est." f) In *sermone* 26 reperitur (6): "Communis est omnibus natura, non gratia." g) In l. 11 *contra Faustum* (7) dicitur: "Illud miror non attendere homines caecos, vel potius non miror non videre caecos..." h) In *Retractationibus* asseritur (8): "Qui vero cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, et ideo facit contra praecepta justitiae, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati." Haec vero testimonia adducta videntur probare gratiam non omnibus dari.

Resp. Concedo omnia testimonia S. Augustini modo allata, sed neg. quod ex illis infertur. Imprimis mens S. Augustini satis constat ex ipsius testimoniis adductis n. 520. Deinde declaro singula, quae objiciuntur.

Ad a) Testimonium allatum ex libro de libero arbitrio loquitur de homine prout invenitur consequenter ad peccatum Adae; sed nihil loquitur de gratia, qua homo a peccato liberatur, et ad vitam aeternam ducitur.

Ad b) Secundum S. Augustinum non omnibus datur gratia fidei

(1) L. 3, c. 18, n. 52 (M. L. 32, 1296).
(2) Cap. 5, n. 16 (M. L. 33, 984).
(3) Quaest. 14, n. 2 (M. L. 35, 1372).
(4) N. 62 (M.L. 35, 2080).
(5) M. L. 36, 692.
(6) Cap. 4 (M. L. 38, 172).
(7) C. 7 (M. L. 42, 250).
(8) L. 1, c. 15, n. 3 (M. L. 32, 609).

et gratia justificans; sed nemini negatur gratia actualis, cui si homines fideliter cooperarentur, omnes pervenirent ad fidem habendam et ad justificationem consequendam.

Ad c) Non poterant credere potestate remota, neg.; potestate proxima, subdist.: si potestatem remotam per orationem non facerent proximam, conc.; si facerent proximam, ut poterant, neg. Jam dictum est secundum S. Augustinum homines, dum sunt viatores, nunquam prorsus deseri: unde si cooperarentur gratiis receptis, a statu peccati exire possent.

Ad d) S. Augustinus in aliis locis docet Pharaonem peccasse (1); et in loco citato videtur loqui de Pharaone quatenus indurato ad non obediendum voci Dei, et permanente tali obdurationе non poterat obedire; sed tamen talem obdurationem a se auferre poterat. Quod vero Pharao peccaret non dimittendo populum, fatetur ipse Pharao quum dicit (*Exod.* IX, 27): "Peccavi etiam nunc: Dominus justus: ego et populus meus, impii." Et fatetur Scriptura ita loquens (*Exod.* IX, 34): "Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, et grando et tonitrua, auxit peccatum: et ingravatum est cor ejus..." (2).

Ad e) Oculus dicitur *exstinctus*, si consideretur ut spoliatus gratia; non autem caret suis temporibus gratia actuali, cui, si cooperaretur, ad gratiam habitualem perveniret.

Ad f) Natura dicitur *communis*, non gratia; quia natura ab ipsa creatione habetur modo constanti et inseparabili; gratia vero habitualis a multis non habetur, et gratia actualis non habetur continuo et modo inseparabili.

Ad g) *Non miror non videre caecos*, quia propria voluntate perseverant in caecitate, et ex qua exire possent, si vellent. Unde eodem loco (3) asserit Faustum a caecitate exire posse, si vellet, his verbis: "Si enim tu quoque pie quaereres, posses invenire quomodo ista perscrutata dilucescant."

Ad h) *Cupiditati bona voluntate resistere non potest* sine gratia; sed cum gratia, quae saltem oranti non negatur, resistere potest. Vide dicta supra (4).

529. Obj. 8.° Sunt aliqua peccata adeo ingentia et divinam iram provocantia, quae hanc merentur poenam, ut qui ea committant, omni gratiae auxilio destituantur. Item peccatores excaecati et obdurati omni gratiae auxilio privari debent; aliter non essent obdurati et excaecati.

Resp. Quamvis ob peccata homines omni gratia privari mereantur; tamen Deus ob suam infinitam misericordiam, et merita Christi, de facto omnibus largitur gratiam sufficientem ad salutem consequendam. Et status viae hoc requirit; quia proprium viae est per illam posse ad terminum tendere. Quare dum Deus vult aliquem in hac vita cum usu

(1) *De diversis quaestionibus* 83, q. 68, n. 5 (M. L. 40, 73), et *Quaest. in Exod.* q. 18 (M. L. 34, 601), etc.
(2) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 4, c. 18, n. 25 et sq.
(3) Caput VI, ad finem.
(4) N. 520, ad finem.

rationis conservare, vult quoque illi auxilia necessaria praebere ad salutem consequendam. Potest nihilominus Deus etiam secundum praesentem providentiam aliquem e vita subito eripere, inferre illi mortem violentam ob ejus peccata aliaque similia; his enim modis homo ille jam desinit in statu viae permanere. Similiter si quis in amentiam incidat, moraliter jam non est amplius in via, dum usum rationis non recuperet.

Neque peccatores excaecati et obdurati, dum sunt in statu viae, debent privari gratia sufficiente ad salutem adipiscendam, ut probant argumenta adducta ad secundam partem theseos ostendendam. Neque excaecatio et obduratio vitae praesentis est absoluta, et non excludit potentiam per gratiam Dei exeundi a tali statu. Excaetatio quidem et obduratio damnatorum est absoluta et sine ullo remedio. Tamen satis communiter admittere videntur theologi, Deum minus gratiae tribuere peccatoribus excaecatis et obduratis quam aliis minus peccatoribus. Hi enim frequentius gratiam proxime sufficientem recipient; illi vero saepius nonnisi gratiam remote sufficientem habebunt. Haec autem gratia remote sufficiens, quamvis per orationem potest evadere proxime sufficiens, nihilominus non facile facit ut obdurati et excaecati convertantur; quia propter illorum pessimam dispositionem est eis valde difficile ordinariis gratiis respondere; et extraordinarias non solet Deus secundum ordinariam providentiam tribuere talibus peccatoribus.

Respectu vero temporis, quo Deus auxilia gratiae communicat, sentiunt theologi non communicari continuo singulis momentis, sed tempore opportuno. Nec refert quod Concilia et Patres asserant peccatores *semper* vel per alia similia verba paenitentiam facere posse; nam locutiones *semper* et alia similia non significant singulis instantibus secundum communem interpretationem; sed modo constanti Deum largiri gratias tempore opportuno. Immo dici potest quatenus est ex parte Dei, gratiam singulis momentis dandam esse, nisi ab homine impediretur aut per negotia, in quibus occupatur, aut propter voluntatem a delectatione raptam, aut propter somnum aliave similia. Tempus vero opportunum, in quo Deus auxilia communicat, habetur, quoties homo aliqua ratione de rebus divinis aut pertinentibus ad salutem cogitat; item quum observandum est praeceptum, quod sine gratia servari non potest, atque in aliis similibus occasionibus. Quare quoties homo cogitet de sua conversione, sive de paenitentia facienda, nunquam illi gratia deerit ad se convertendum et ad paenitentiam faciendam.

530. Obj. 9.° Deus aliquos in gratia ita confirmat, ut peccare nequeant. Ergo similiter aliquos ita derelinquet, ut converti non possint. Aliunde si omnes gratia illustrantur, non erunt peccata ex ignorantia, et quilibet poterit ingredi occasionem peccandi, quia gratia impediat quominus peccet.

Resp. Illi qui in gratia confirmati sunt, possunt tendere in terminum, seu in vitam aeternam, immo securius, quum non deflectant a vera via; sed illi qui non possent converti, in terminum tendere nequirent. Verum illi qui sint in gratia confirmati re ipsa non peccabunt; quia Deus ita illis

providebit, ut ab omni peccato liberentur: tamen conservant potentiam peccandi; ideo Deus facit ut non peccent, sed non tollit ab ipsis potentiam peccandi; quamvis certe Deus etiam potentiam peccandi ab illis tollere posset.

Deinde illustrationes gratiae non tollunt peccata ignorantiae; quia homines possunt culpabiliter ignorare illa, quae debent et possunt scire; unde qui culpabiliter peccat eo, quod nesciat ea, quae debet et potest scire, ex ignorantia peccat. Tamen si quis, quum peccat non advertit se tenere inquirere veritatem, non peccavit tunc; sed peccavit, quum advertit obligationem inquirendi veritatem, et neglexit. Et quum ex ignorantia quis ponit rem prohibitam, ignorans prohibitionem et obligationem inquirendi, non peccat formaliter, sed tantum materialiter.

Denique non potest quis prudenter amplecti occasionem peccandi eo, quod habebit gratiam ad vitandum peccatum; nam gratia non tribuit securitatem non peccandi, sed tantum potentiam ad peccatum vitandum. Et in *Eccli.* III, 27, legitur: "Qui amat periculum, in illo peribit."

531. SCHOLION. *Utrum Deus omnibus peccatoribus auxilia saltem remote sufficientia ad peccata mortalia vitanda tribuat.* Affirmant Beatus Bellarminus (1), Suarez (2), Struggl (3), Mazzella (Camillus, Cardinal.) (4) aliique, et haec sententia tenenda videtur. Dictum est peccatoribus omnibus etiam excaecatis et induratis Deum largiri gratiam saltem remote sufficientem ad paenitentiam agendam et ad se convertendum in Deum. Nunc investigatur, utrum omnes peccatores peccata mortalia vitare possint, ideoque utrum habeant gratiam saltem remote sufficientem, quum haec sit necessaria ad peccatum vitandum. Beatus Bellarminus docet minus requiri ad peccata vitanda, quam ad conversionem. Haec sunt verba Beati Bellarmini, loco paulo antea citato, scilicet: "ut quis possit a peccato resurgere, requiritur necessario interna excitatio, quae, ut ostendimus, non semper adest. Ut autem possit quis vitare peccatum, non est necessaria interna illa inspiratio, sed satis est si vel vires adversario minuantur, vel removeatur tentationis occasio, vel terror aliquis injiciatur, vel aliquid magis alliciens offeratur. Quod si etiam ad omne peccatum vitandum excitatio illa requireretur, adhuc multum interesset inter vitationem peccati et conversionem a peccato; nam ut quis posset semper vitare peccata, non requireretur ut semper

(1) *De gratia et liber. arbitr.*, l. 2, c. 7.
(2) *De gratia*, l. 4, c. 18, n. 7.
(3) *P. 1.ª, Tract. 6, d. 3, q. 1, a. 2, n. 12, quaer. 4.ª.*
(4) *De gratia Christi*, d. 4, a. 4, n. 825.

haberet gratiam excitantem, sed tunc solum quum adesset peccandi periculum, quod periculum non semper adest..." De justis hic nihil dicitur, quia jam supra (1) probatum est omnibus justis gratiam sufficientem ad perseverandum tribui.

ASSERTIO. Omnibus peccatoribus Deus gratiam saltem remote sufficientem ad peccata vitanda tribuit, quum ad hoc gratia requiritur.

532. Prob. *Ex S. Scriptura, ex Tridentino, ex S. Augustino, ex S. Thoma et ratione.*

Ex S. Scriptura. Apud *Matth.* XI, 30, legitur: "Jugum enim meum suave est, et onus meum leve." Et I *Joan.* V, 3 dicitur: "Mandata ejus gravia non sunt." Haec vero, quum generaliter pro omnibus hominibus affirmentur, non starent pro peccatoribus, si hi legem implere non possent. Item apud *Matth.* VII, 7, invenitur: "Petite et dabitur vobis..." Et apud *Lucam.* XI, 9: "Et ego dico vobis: petite et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis." Jam vero peccatores possunt postulare gratiam ad vitanda peccata, et secundum testimonia adducta illam obtinebunt.

Ex Conc. Tridentino dicente (2): "Deus impossiblia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis."

Ex S. Augustino. Hic S. Doctor asserit (3): "Et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus praecepta implenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum." Et de hoc testimonio in *Retractationibus* dicit (4): "Non existiment novi haeretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint; sed praeparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere caritatis, ut possint." Jam vero si omnes homines praecepta implere possunt, eo ipso similiter peccata gravia vitare possunt. Et idem

(1) Disp. 1, c. 4, a. 5.
(2) *Sessione* 6.ª, c. 11 (Denz.-Bannwart, n. 804).
(3) *De Genesi contra Manich.* l. 1, c. 3, n. 6 (M. L. 34, 176).
(4) L. 1, c. 10, n. 2 (M. L. 32, 599).

S. Doctor haec habet (1): "Non igitur Deus impossiblia jubet; sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis." Et inferius (2): "Eo quippe ipso quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossiblia non potuisse praecipere; hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus." Et paulo antea S. Doctor fassus (3) est se dixisse: "An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem: caveri igitur potest." Denique de judaeis excaecatis et induratis, dicit S. Doctor non potuisse credere, quia nolebant (4); ideoque habebant omnia necessaria, proxime vel remote, ad credendum.

Ex D. Thoma. Hic S. Doctor dicit (5): "Dicendum, quod recte homo corripitur qui praecepta non implet; quia ex ejus negligentia est quod gratiam non habet, per quam potest servare mandata quantum ad modum; quum possit nihilominus per liberum arbitrium ea servare quantum ad substantiam."

Atque assertio posita videtur confirmari ex morte Christi pro salute omnium hominum, et ex voluntate Dei salvandi omnes homines; nam licet non peccassent formaliter, si praecepta non possent observare, tamen per nova peccata saltem materialia semper pejus in ordine ad salutem obtinendam disponerentur. Et jam supra probatum est, Deum nunmquam plene derelinquere homines, dum in vita praesenti versantur.

Articulus II

De gratia infidelium

533. Praemitt. 1.° Infideles vocantur (6), qui veram fidem non habent. Dividuntur in *positivos* et *negativos*. Sunt infideles *positivi* qui aut doctrinam fidei audire noluerunt, aut audierunt quidem, sed illam repudiarunt, aut illam quondam habitam,

(1) *De natura et gratia*, c. 43, n. 50 (M. L. 44, 271).
(2) Caput 69, n. 83, col. 288.
(3) Caput 67, n. 80, col. 286.
(4) *Tractatus in Joan.* 53, n. 6 (M. L. 35, 1777).
(5) *De veritate*, q. 24, a. 14, ad 2.
(6) Vide S. Thomam, 2. 2., q. 10, a. 1.

rejecerunt. Dicuntur infideles negativi, qui nullam prorsus notitiam de fide et de vera religione habent. Jam infideles positivi duplicis sunt classis: alii enim, licet audierint fidem, vel potuerint audire, id noluerunt, et nunquam veram fidem receperunt; alii autem habuerunt veram fidem, sed illam rejecerunt. Hi postremi dicuntur haeretici, si unum vel alterum tantum articulum fidei rejiciunt; et vocantur apostatae, si omnes fidei articulos respuunt. Haeretici, qui negant unum articulum vere revelatum, eo ipso fidei habitum amittunt; ideoque si aliquos articulos adhuc credunt, non possunt illos credere vera fide supernaturali, nisi Deus defectum habitus fidei suppleat per suam omnipotentiam. Quaestio hic est duplex: altera, utrum omnibus et singulis infidelibus detur gratia saltem remote sufficiens ad salutem; altera vero est de modo, quo gratia infidelibus tribuitur. Circa primam quaestionem sententia multo communior inter catholicos, et quae videtur vera, est omnibus et singulis infidelibus tribui gratiam saltem remote sufficientem ad salutem. Circa secundam quaestionem nulla est difficultas circa infideles positivos, quia isti jam habuerunt notitiam fidei, vel cognoverunt quo modo illam acquirere possunt. Quocirca secunda quaestio solum respicit infideles negativos, et circa hanc rem variae opiniones inter catholicos reperiuntur, quae paulo post exponentur.

Quid sit gratia actualis et ejus divisiones, jam expositum est supra (1). Hic animadverto gratiam externam, seu illam, quae non est physice unita cum persona sanctificanda, saepe esse entitative naturalem, et solum esse supernaturalem vel ratione materiae, ut evenit in praedicacione Evangelii, vel per respectum aut ordenationem ad rem supernaturalem. Deus variis modis ad fidem et ad justificationem ducere potest; sed modus ordinarius est duci per praedicationem Evangelii. Ita S. Paulus dicit (*Rom. X*, 14 et sq.): "Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt, Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?"

534. Praemitt. 2.° *De sententiis haereticorum, et de variis modis quibus catholici hanc rem explicant* (2). Calvinus asserit Deum aeterno et immutabili consilio alios elegisse ad salutem, alios

(1) D. 1.ª, c. 1, a. 1.
(2) De hac re vide Capéran (Louis), *Le problème du salut des infidèles, essai historique;* et *Dictionnaire de théologie catholique* art. *Infidèles.*

devovisse aeternae damnationi. Haec sunt verba Calvini (1) : "Quod ergo Scriptura clare ostendit, dicimus aeterno et immutabili consilio Deum semel constituisse quos olim semel assumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere... Jam vero in electis vocationem statuimus, electionis testimonium. Justificationem deinde..." Quocirca, quum juxta Calvinum, electi vocentur et justificentur, hinc sequitur infideles negative, qui non justificantur, omnes esse reprobos. Jansenius, quum omnem gratiam sufficientem neget, eo ipso infideles omnes negativos aeternae damnationi addicit. Plures protestantes hujus temporis admittunt infideles post mortem lucrari vitam aeternam. Verum hoc admitti nequit; et doctrina catholica est cum morte finiri statum merendi et demerendi.

De variis modis sentiendi catholicorum. 1.° P. Ripalda exponit (2) gentiles posse salutem consequi sine fide stricte tali; sed cum sola fide late sumpta. Fides stricte sumpta ita a Conc. Vaticano definitur (3) : "Virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest." Fides vero late sumpta est ea, quae acquiritur per creaturas aut per divinas inspirationes; ita tamen ut talis cognitio, licet haberi possit naturaliter, de facto tamen sit supernaturalis; non quidem ex objecto, sed ex principio supernaturali. Juxta hunc modum declarandi rem, ethnici per notitiam de Deo et de fine ultimo, quae naturaliter acquiri posset, salutem obtinere possent. Sed haec cognitio debet esse supernaturalis. Verum P. Ripalda hunc modum rem exponendi, non proponit nisi dubitanter (4), immo in Tractatu de fide (5) sententiae requirenti fidem strictam ad justificationem assentiri videtur.

2.° Sylvius (Franciscus) (6), Gonet (7) et alii non multi docent omnibus adultis dari gratiam sufficientem, quatenus omnibus proponuntur media generalia et sufficientia ad salutem; sed non applicantur singulis hominibus. Haec sententia deserenda est;

(1) *Institutio christianae religionis*, l. 3, c. 21, n. 7.
(2) *De ente supernaturali*, l. 1, d. 20, s. 17, n. 78 : et d. 63, s. 2, n. 7.
(3) *Sess. 3*, c. 3 (Denz.-Bannwart. n. 1789).
(4) *De ente supernaturali*, l. 1, d. 20, ad finem.
(5) Disp. 17, s. 13, n. 214.
(6) In *1am. p.* S. Thomae, q. 19, a. 6, quaer. 3.°
(7) *D. 5, de reprobatione*, a. 5.

quia non consonat neque vere et sincerae voluntati Dei salvandi omnes homines (1), nec morti Christi pro omnibus hominibus (2).

3.° S. Thomas haec dicit (3); "Cum vero (homo) usum rationis habere inceperit, non omnino excusatur a culpa veniali et mortali peccati; sed primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso. Et si quidem se ipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati; si vero non ordinet se ipsum ad debitum finem, secundum quod in illa aetate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est..." Secundum hanc doctrinam omnes homines etiam infideles, quum ad perfectum usum rationis perveniunt, si ad finem debitum, seu ad Deum, se ordinaverint, justificabuntur. Verum, quum justificatio in hac providentia non fiat sine fide stricte tali, non apparet quo modo infideles negativi fidem stricte talem habere possint (4).

4.° Joannes de Heidenberg, seu Trithemius, asserit quod omnes infideles negativi, qui legem naturalem et cultum naturaliter Deo debitum servarunt, ab inferno liberantur, et limbo destinantur, seu ad statum, in quo privantur quidem visione beatifica, sed poenis positivis non subjiciuntur. Hoc ipsum docet Claudius Seyssel, Archiepiscopus Taurinensis; sed addit illos infideles negativos, qui magna sollicitudine veritatem quaesierunt, illuminandos a Deo esse circa veram religionem (5). Verum haec explicatio non est admittenda; quia Christus mortuus est pro salute supernaturali omnium hominum, et ad hoc meruit copiose gratiam et omnia necessaria et convenientia. Quocirca infidelibus, qui legem naturalem observarunt, certe dabit Deus gratiam sufficientem, ut ad fidem, justificationem et vitam aeternam pervenire possint. Mortuus est Christus, ut homines ad visionem Dei perduceret, non ad limbum.

5.° P. Suarez hanc aliquorum sententiam proponit (6), scilicet:

(1) Vide de Deo uno, d. 4, c., a. 2.
(2) Vide *De Verbi divini Incarnatione*, d. 16, a. 5.
(3) *1. 2.*, q. 89, a. 6.
(4) Vide de hac re P. Suarez, *De vitiis et peccatis*, d. 2, s. 8; Sylvium, *Comment. in 1. 2.*, q. 89, a. 6; Billuart, *De peccatis*, dissert. 8, a. 7; Schiffini, *De gratia divina*, d. 5, n. 315, in nota; Van Der Meersch, *De divina gratia*, p. 2.ª, s. 1, c. 4, a. 1, scholion, n. 169.
(5) Vide Capéran (Ludovicus), *Problema salutis infidelium, investigatio historica*, c. 7, a. 1; *Dictionnaire de théologie catholique*, t. 6, art. *Infidèles*, col. 1894 et sq.
(6) *De praedestinat.*, l. 4, c. 3, n. 15 et sq.

"Est ergo secunda sententia extreme contraria, nullum esse hominem ratione utentem, qui non aliquando illuminetur in hac vita, ita ut ex vi talis vocationis interioris possit, si velit, immediate credere per fidem sufficientem ad salutem, atque adeo supernaturalem, tam ex parte objecti materialis, quam formalis." Sed P. Suarez hanc sententiam his verbis rejicit: "Suppono enim, fidem de aliquo objecto supernaturali esse necessariam ad salutem. Videtur autem clarum et certum, multos esse homines, quibus tale objectum in hac vita non revelatur." Et revera non est credibile singulos homines ita illuminari, ut vi talis illuminationis jam possint habere fidem ad salutem necessariam.

6.° Nonnulli theologi (1) asserunt infideles negativos ita illuminari et incitari a Deo, ut pedetentim perducantur ad verum Deum cognoscendum et colendum; et si his gratiis respondeant, postea etiam pedetentim ad veram fidem stricte talem et ad justificationem pervenirent, si auxiliis a Deo communicatis cooperentur.

7.° Plures theologi cum Suarez (2), Lugo (3), Arriaga (4), Mazzella (Cardinali) (5) aliisque tenent Deum omnibus infidelibus negativis largiri gratiam sufficientem supernaturalem quoad modum, sed entitative naturalem, qua possunt cognoscere Deum et ei cultum naturaliter debitum tribuere, et legem naturalem servare. Si infideles his gratiis tantum supernaturalibus quoad modum cooperentur, Deus suo tempore illos illuminabit per homines vel angelos, vel immediate per se ipsum ita, ut fidem stricte talem et justificationem habere possint. Defensores hujus explicationis docent cooperationem gratiis entitative naturalibus non esse dispositionem positivam, seu aliquid ex se conducens ad gratias entitative supernaturales recipiendas, sed tantum dispositionem negativam, seu non ponentem obstaculum ad recipiendam fidem et justificationem. Ideoque gratia supernaturalis confertur non vi dispositionis, sed ex promissione Dei ratione mortis

(1) Inter quos numerantur P. Valentia, In *1.am, 2.am*, d. 8, q. 3, punct. 4, ad sextum argumentum contra theses ibi propositas; Tournely, *De gratia Christi*, q. 8, a. 3; Viva, *De divina gratia*, d. 1, q. 5 et 9; Wirceburgenses, *De gratia*, d. 5, cap. 2, a. 4, n. 290, et cap. 3, a. 5; Schiffini, *De gratia divina*, d. 5, s. 5, aliique.
(2) *De gratia*, l. 4, c. 15.
(3) *De fide*, d. 12, s. 3.
(4) *De gratia*, d. 41, s. 3, n. 13.
(5) *De gratia*, d. 4, a. 5.

Christi pro salute omnium hominum. Deinde talis dispositio negativa neque est conditio necessaria ad gratiam supernaturalem recipiendam; quia licet, suo tempore gratia supernaturalis detur infallibiliter omnibus facientibus id quod possunt per vires naturales et gratiam entitative naturalem, tamen Deus dat etiam multis, qui non fecerunt quod poterant, gratiam entitative supernaturalem.

THESIS. Infidelibus omnibus tempore opportuno largitur Deus gratiam saltem remote sufficientem ad fidem et justificationem obtinendam (1).

Haec thesis est fere communis theologorum.

535. **Prob. 1.°** *Ex S. Scriptura. Joan.* I, 9, dicitur: "Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum." Et VIII, 12: "Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi." Item *II Cor.* V, 15: "Et pro omnibus mortuus est Christus." Et in *I Timoth.* II, 6 habetur: "Qui dedit (Christus Jesus) redemptionem semeptipsum pro omnibus..." Rursus IV, 10: "Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum maxime fidelium." Denique *I Joan.* II, 2: "Et ipse (Jesus Christus) est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi."

536. **2.°** *Ex PP.* a) *Ex PP. Graecis.* Clemens Romanus dicit (2): "Sanguinem Christi intentis oculis intueamur et cognoscamus, quam pretiosus sit Deo et Patri ejus, qui propter nostram salutem effusus toti mundo paenitentiae gratiam obtulit. Pervenimus ad omnes mundi aetates et discamus, quod in omni generatione volentibus ad ipsum converti Dominus paenitentiae locum concesserit." Et Clemens Alex. (3): "Audite igitur, qui procul. Audite, qui prope estis. Verbum a nemine unquam cela-

(1) Beatus Bellarminus, *De gratia et liber. arbitrio,* l. 2, cc. 5 et 8; Suarez, *De gratia,* l. 4, cc. 8 et 11; Valentia, *In 1. 2.,* d. 8, punct. 4; Salmanticenses, In *1. 2.,* q. 109 et sq, d. 6, dub. 3; Gotti, *In 1am p.,* tractat. 5, q. 2, dub. 3, §. 5; Billuart, *De Deo,* dissert. 7, a. 8, §. 2; Viva, *De gratia,* d. 1, q. 5; Wirceburgenses, *De gratia,* d. 5, c. 3, a. 5; Schiffini, *De gratia divina,* d. 5, s. 5; Beraza, *De gratia Christi,* p. 2, s. 2, *de universalitate gratiae,* a. 3; Pesch (Christianus), *De gratia,* s. 5; Val (Honoratus del), *De gratia,* c. 1, a. 3, §. 3; aliique.
(2) *Ad Cor.,* 7, 4 et sq. (Funk Franc. Xav., *PP. Apostol.*).
(3) *Cohortatio ad gentes,* c. 9 (M. G. 8, 199).

tum fuit, sed quasi publica lux, illucet omnibus hominibus." Et S. Joannes Chrysost. inquit (1): "Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quomodo tot homines non illuminati manent? Quantum in ipso est. Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit quod in tenebris maneat, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est; non judaeum, non graecum, non barbarum, non scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem aversatur; sed omnes similiter admittit, et cum pari vocat honore." Denique S. Gregorius Naz. dicit (2): "Et, ut adhuc majora proferam, communem rationem, legem, prophetas, ipsos Christi cruciatus, per quos, omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus, atque a serpente in fraudem inducti, et per peccatum morte affecti, ac per caelestem Adamum saluti restituti, atque ad vitae lignum, unde excideramus, per ignominiae lignum revocati sumus."

b) *Ex PP. Latinis.* S. Ambrosius inquit (3): "Plena est ergo terra misericordiae Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri jubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit, ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi." Item S. Augustinus (4): 'Venit Redemptor, et dedit pretium: fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quaeritis quid emerit? Videte quid dederit, et invenite quid emerit. Sanguis Christi, pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes?". Item dicit (5) idem S. Doctor: "*Et non est qui se abscondat a calore ejus;* cum autem Verbum etiam caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14), mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor." Rursus idem S. Augustinus, quum *De Genes. contra manichaeos* (6) dixis-

(1) *Homil. 8 in Joan. Evang.* n. 1 (M. G. 59, 65).
(2) *Orat. 33,* n. 9 (M. G. 226).
(3) *In Ps. 118, sermo 8,* n. 57 (M. L. 15, 1388).
(4) *Enarrat. in Ps. 95,* n. 5 (M. L. 37, 1231).
(5) *Enarrat. in Ps. 18,* n. 7 (M. L. 36, 155).
(6) L. 1, c. 3, n. 6 (M. L. 34, 176). Vide supra d. 1, c. 4, a. 5, n. 308; et in hac disp. n. 532.

set *omnes homines posse converti* ad implenda Dei praecepta, in *L. Retract.* se referens ad hunc locum asserit (1): "Non existiment novi haeretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est omnino, omnes homines hoc posse, si velint; sed praeparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere caritatis, ut possint."

Orosius sic loquitur (2): "Mea semper haec est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Caelestio, cui jam apud africanam synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam: sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per ἄτομας et cunctis et singulis ministrare."

Auctor *librorum de vocatione omnium gentium,* quorum libri ab omnibus sunt recepti et probati, dicit (3): "Quae opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae, et voluntatis humanae." Item dicit (4): "Universitati quippe hominum, quod abunde probabimus, ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper et consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuique sit liberum de sua justitia gloriari, cum et illos propria nequitia demergat ad poenam, et istos Dei gratia perducat ad gloriam." Idem Auctor etiam dicit (5): "Elaboratum est enim, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, providentia quidem pari et bonitate generali; sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occulte, sive mani-

(1) L. 1, c. 10, n. 2 (M. L. 32, 599).
(2) *Lib. apologeticus contra Pelagium, de arbitrii libertate,* n. 19 (M. L. 31, 1189).
(3) Lib. 2, c. 26 (M. L. 51, 711).
(4) Eodem loco, cap. 29, col. 715.
(5) Eodem loco, c. 31, col. 716.

feste, ipse est, ut Apostolus ait, *Salvator omnium hominum, maxime fidelium* (I *Timoth.* IV, 10)."

537. 3° *Ex prop. damnatis et ex Pio IX.* Alexander VIII has propositiones damnavit, scilicet 4am (1): "Christus dedit semetipsum nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus." Item 5am (2): "Pagani, judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum : ideoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti." Et Clemens XI propositiones sequentes inter alias damnavit, nempe 26am quae ita se habet (3): "Nullae dantur gratiae nisi per fidem." 27am (4): "Fides est prima gratia et fons omnium aliarum." Item 29am (5): "Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia." Denique Pius VI propositionem 22am synodi pistoriensis damnavit (6), quae ita se habet: "Propositio, quae innuit fidem, a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt", damnata est ut suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea."

Pius IX haec statuit (7): "Notum nobis vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem ejusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat."

538. 4° *Ex S. Thoma,* qui haec dicit (8): *"I Timoth.* II, 4: *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Et ideo gratia Dei nulli

(1) Denz.-Bannwart, n. 1294.
(2) Denz.-Bannwart, n. 1295.
(3) Eodem loco, n. 1376.
(4) Eodem loco, n. 1377.
(5) Eodem loco, n. 1379.
(6) Denz.-Bannwart, n. 1522.
(7) Encycl. *Quanto conficiamur moerore ad Episcopos Italiae,* 10 August. 1863. (Denz.-Bannwart, n. 1677).
(8) *In Epist. ad Hebraeos,* c. 12, lect. 3, §. *Circa primum...* ad finem.

deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat, sicut nec sol deest oculis caecis." Et *De veritate* sic loquitur (1): "Dicendum, quod non sequitur inconveniens posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in silvis vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, *Act.* X." Et *In Epist. ad Rom.* haec habet (2): "Si qui tamen eorum (infidelium) fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis praedicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, *Act.* X,et Paulum Macedonibus, ut habetur *Act.* XVI. Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum. *Tren.* V, 21: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*" Denique alibi asserit (3): "Unde quamdiu manet homini usus liberi arbitrii in hac vita, in qua nondum est confirmatus ad malum, potest se praeparare ad gratiam, de peccato dolendo..."

539. *Ratione theologica.* Deus ita salutem omnium hominum, nullo excepto, vult, ut omnibus et singulis media necesaria ad salutem consequendam largiatur (4); Atqui est medium necessarium ad salutem habere fidem stricte talem et justificationem, et haec sine auxiliis gratiae haberi non possunt. Ergo Deus auxilia gratiae omnibus largitur. Similiter Christus ita est mortuus pro omnibus et singulis hominibus, ut vi hujus mortis omnes, nemine excepto, gratiam sufficientem ad salutem reciperent (5). Ergo re ipsa omnes homines gratiam sufficientem ad salutem obtinendam accipiunt.

540. Corollarium. Ex eo quod Deus omnibus det media necessaria ad salutem consequendam, infertur omnes homines posse servare praecepta et accipere gratiam saltem supernaturalem quoad

(1) Q. 14, a. 11, ad 1.
(2) *Cap. 10, lec. 3,* §. qui incipit *Ad hoc dicendum.*
(3) *In IV Sent.*, d. 20, q. 1, a. 1, solut. 1.
(4) Vide quae dixi in *Tractatu de Deo uno,* d. 4, c. 1, a. 2.
(5) Vide quae dixi in *Tractatu de Verbi divini Incarnatione*, d. 16, a. 5.

modum ad ea implenda; quia ex una parte observantia praeceptorum est medium necessarium ad salutem, et ex altera sine gratia observari nequeunt.

541. Obj. 1.° In *Act.* XIV, 15, legitur: "Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas." Item XVI, 7, habetur: "Tentabant (Paulus et socii) ire in Bithyniam: et non permisit eos Spiritus Jesu." Hoc vero indicare videtur aliquas nationes a Deo relinqui.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam primus textus solum significat israelitas habuisse gratiam et beneficia potiora quam gentiles; minime vero innuit gentiles fuisse prorsus a Deo derelictos, et non habuisse gratiam sufficientem ad vitam aeternam consequendam. Unde Auctor librorum *De vocatione omnium gentium* inquit (1): "Sed ne in praeteritis quidem saeculis haec eadem gratia quae post Domini nostri Jesu Christi resurrectionem ubique difussa est, et de qua scriptum est, *illuxerunt coruscationes tuas orbi terrae* (*Ps.* 76, 19), defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum israeliticum constet electum, omnesque alias nationes suas vias ingredi (*Act.* XIV, 15), hoc est, secundum propriam permissae sint vivere voluntatem, non ita se tamen aeterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret."

Deinde ad alium textum dicendum est Deum non absolute prohibuisse praedicari Evangelium in illis locis, sed tantum ad tempus et pro opportunitate; nam postea illis gentibus re ipsa Evangelium praedicatum est, nec Deus desinit adjuvare illas gentes eo tempore, quo illis Evangelium praedicatum non est.

542. Obj. 2.° Arausicanum II dicit (2): "Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis praecedentibus bonis meritis et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio ea, quae sibi sunt placita, implere possimus." Et Tridentinum similia asserit, scilicet (3): "Per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis." His testimoniis indicatur fidem esse primam gratiam, quae hominibus communicatur. Atqui infideles negativi non accipiunt fidem. Ergo nullam accipiunt gratiam.

Resp. Admitto testimonia Arausicani et Tridentini, et nego ex illis constare fidem esse primam gratiam; et hoc jam constat esse falsum, quia ipsa fides jam requirit principium supernaturale, a quo producatur. Verum utrumque Concilium loquitur de illis gratiis, quae proxime sunt praeparationes ad fidem et ad justificationem; et hoc elucet ex ipsis verbis Conciliorum; quia Arausicanum loquitur de illis gratiis,

(1) L. 2, cap. 4 (M. L. 51, 689).
(2) Can. 25 (Denz.-Bannwart, n. 200).
(3) *Sess.* 6, c. 8 (Denz.-Bannwart, n. 801).

quibus movemur ad baptisma requirendum, et Tridentinum de gratiis disponentibus ad justificationem. Et ante has gratias requiruntur gratiae, quibus infideles moveantur ad cognoscendum verum Deum, cultum ei debitum et veram religionem. Deinde requiruntur gratiae, quae necessariae sunt ad actum fidei stricte talem eliciendum. Gratiae supernaturales, quae praecedunt fidem stricte talem, vocantur *fides lata*, quia sunt dispositiones ad fidem, et etiam quia plures earum testimoniis, quae creaturae dant de Dei existentia et perfectionibus nituntur. S. Augustinus vocat has gratias *inchoationes fidei* (1).

543. Obj. 3.° *Ex S. Augustino.* a) Dicit (2) S. Doctor: "Ab ea vere separati (ab Ecclesia catholica), quamdiu contra illam sentiunt, boni esse non possunt; quia etsi aliquos eorum bonos videtur ostendere quasi laudabilis conversatio, malos eos facit ipsa divisio, dicente Domino: *Qui mecum non est, adversum me est; et qui mecum non colligit, spargit* (*Matth.* XII, 30)." Ergo separati ab Ecclesia catholica, si boni esse non possunt, non accipiunt gratiam sufficientem. Et Conc. Zertense docet (3): "Quisquis ergo ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quamtumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam."

b) Idem S. Doctor asserit (4): "Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propiae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia et ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, poena peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio." Haec autem videntur indicare homines etiam sine gratia esse inexcusabiles, et non omnes gratiam sufficientem habere.

Resp. Nego ex testimoniis allatis deduci aliquos adultos usum rationis habentes omni gratia actuali destitui, et singula declaro.

Ad testimonia allata sub a) dicendum est homines separatos ab Ecclesia catholica non carere gratia actuali, quae illos ad unionem cum vera Ecclesia stimulat; sed carere gratia habituali, dum culpabiliter recusant verae Ecclesiae se subjici.

Ad b) dicendum illos qui ante mortem non liberantur a peccato originali, propter hoc peccatum juste damnari; verum si tantum peccatum originale habent, non subjicientur poenae sensus, sed solum poenae damni. Illi vero, qui sine peccato originali, vel cum ipso habent peccata personalia gravia, et ante mortem non agunt paenitentiam de ipsis juste damnabuntur. Attamen in his nullo modo continetur esse adultos qui non recipiant gratias actuales remotas vel proximas ad paenitentiam et ad conversionem.

544. Obj. 4.° *Iterum ex S. Augustino.* d) Haec dicit (5) S. Doctor: "Fides igitur, et inchoata, et perfecta, donum Dei est: et hoc donum

(1) *Ad Simplicianum*, l. 1, q. 2, n. 2 (M. L. 40, 111).
(2) *Epist. 208 ad Feliciam virginem*, n. 6 (M. L. 33, 952).
(3) *Epist. 141 inter epistolas S. Augustini*, n. 5 (M. L. 33, 579).
(4) *Epistola 194 ad Sixtum*, c. 6, n. 27 (M. L. 33, 883).
(5) *De praedestinatione sanctorum*, c. 8, n. 16 (M. L. 44, 972).

quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissime sacris litteris repugnare." Ac proinde nec fides inchoata omnibus datur. e) Item a S. Doctore asseritur (1): "Et ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei." Igitur potest quis *non vocari*, et nullam gratiam recipere. f) Juxta S. Augustinum a damnatione non liberabuntur, qui poterant dicere se non audisse Evangelium, seu infideles negativi. Haec sunt verba S. Augustini, sc. (2): "Et tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere non se audisse Evangelium Christi..." Ideoque videntur infideles negativi gratiam nullam accipere. h) Denique dicit S. Augustinus (3): "Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna admonitione motus ad fidem." Ergo fides est prima gratia.

Resp. Ex testimoniis adductis nec probatur aliquos homines adultos nullam accipere gratiam, nec fidem esse primam gratiam. Singula declarantur.

d) Quae habentur sub d) ad summum significant non omnes gratiis cooperari, et ita qui recipiunt primas gratias, quibus si cooperarentur, haberent fidem inchoatam seu late sumptam, nec fidem inchoatam habent; quia resistunt auxiliis, quibus ad fidem remote ducerentur.

e) Ea quae dicuntur sub e) nullo modo excludunt omnem vocationem: sed vocationem proximam ad fidem, quam multi non habent; quia vocationi remotae non sunt cooperati.

f) Infideles negativi, quamvis tota vita in ignorantia invincibili verae religionis permanserint, non liberabuntur a damnatone; quia saltem habent peccatum originale, propter quod poenae damni subjicientur. Verum valde difficile est hominem infidelem, qui non est cooperatus gratiae remote sufficienti, habere tantum peccatum originale.

h) Homo incipit credere fide late sumpta, seu per actus supernaturales remote ad fidem ducentes; non autem per ipsam fidem, neque per actus ad fidem proxime ducentes.

Aliae difficultates ex S. Augustino jam solutae sunt supra (4).

545. Obj. 5.° *Ex S. Prospero et S. Fulgentio.* S. Prosper asserit pertinere ad errores semipelagianorum omnes homines vocari ad credendum et ad operandum, his verbis (5): "Ideoque omnem hominem ad credendum et ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de aprehendenda vita aeterna nemo desperet, cum voluntariae devotioni remuneratio sit parata." Idem S. Prosper dicit (6): "Item qui dicit quod non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur quibus Christus anuntiatus non est, non potest reprehendi." Ergo S. Prosper non rejicit illos, qui negant, omnes vocari ad gratiam.

(1) *De dono perseverantiae*, cap. 9, n. 21 (M. L. 45, 1004).
(2) *De correptione et gratia*, c. 7, n. 11 (M. L. 44, 923).
(3) *De diversis quaest. ad Simplicianum*, q. 2, n. 2 (M. L. 40, 111).
(4) D. 2, cap. 3, a. 1, nn. 527 et 528.
(5) *Epist.* 225 inter Epist. S. Augustini, n. 3 (M. L. 33, 1003).
(6) *Responsiones ad capit. gallorum*, p. 2, *sententia super IV* (M. L. 51, 171).

Deinde S. Fulgentius similia dicit (1), scilicet: "Non ergo putemus gratiam Dei omnibus dari." Idem asserunt Episcopi africani his verbis (2): "De gratia vero non digne sentit quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cum non solum non omnium sit fides, sed adhuc nonnullae gentes inveniantur ad quas fidei praedicatio non pervenit."

Resp. Ad primum textum S. Prosperi dicendum est non esse semipelagianum asserere omnes homines remote ad fidem vocari, nec contrarium docet S. Prosper. Est vero semipelagianum affirmare gratiam omnibus aequaliter dari, et gratiam aliquo modo a natura pendere, ut dictum est in expositione systematis semipelagianorum.

Ad secundum textum S. Prosperi dicendum non omnibus dari fidem stricte talem; et hoc tantum significare videtur S. Prosper, nimirum non omnibus dari fidem et justificationem, nec gratias ad fidem et justificationem proxime disponentes.

Ad S. Fulgentium et ad Episcopos africanos dicendum eos agere de gratia fidei et de iis, quae per praedicationem Evangelii habentur; non vero rejiciunt pro omnibus eas gratias, quae tantum disponunt remote ad fidem et ad justificationem.

546. Obj. 6.° Ad *Rom.* X, 14, legitur: "Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?" Ergo oratio jam supponit fidem stricte talem; ac proinde non est medium, ut ad fidem habendam perveniatur.

Resp. Oratio quae fundatur in fide explicita non est medium, ut perveniamus ad fidem consequendam; sed non omnis oratio ordinatur proxime ad fidem et justificationem acquirendam; sed oratio est medium ordinarium et generale ad obtinendas quascumque gratias. Nec Apostolus docet contrarium; sed ibi agit de gratiis jam supponentibus fidem, vel de proximioribus gratiis, quibus accipitur praedicatio Evangelii; agit enim de hac re, et de medio magis idoneo ad fidem suscipiendam.

547. Obj. 7.° Si gratia sufficiens omnibus infidelibus daretur, facile explicari posset, cur alii convertantur, alii non, nimirum quia alii cooperati sunt gratiae, non alii. Atqui S. Augustinus ad hoc explicandum semper ad inscrutabilia Dei judicia recurrit. Ergo nostra sententia est contra S. Augustinum.

Resp. Dist. maj.: si gratia sufficiens omnibus infidelibus daretur, facile explicari posset, cur alii convertantur, alii non, si unica conversionis causa esset cooperatio illi gratiae remote sufficienti, qua omnibus tribuitur, conc.; secus, nego. Verum est omnes cooperantes gratiae receptae, eo ipso facere illam efficacem in actu secundo; attamen a Deo pendet largiri gratiam praevisam efficacem, vel non praevisam efficacem; et ipsi Deo tam facile est largiri unam quam alteram. Ideoque inscrutabile judicium Dei est, cur e duobus aeque gratiae dispositis unus recipiat gratiam praevisam efficacem, alter praevisam inefficacem. Item inscrutabile judicium Dei est, cur unus plenus peccatis gratiam conversionis recipit, alius autem qui multo minus peccavit eam non recipiat; cur

(1) *De veritate praedestinationis*, l. 1, c. 20, n. 42 (M. L. 65, 624).
(2) *Epistola 15*, n. 10 inter epist. S. Fulgentii (M. L. 65, 438).

magno peccatori detur perseverantia finalis, et alteri minori peccatori perseverantia non concedatur, etc.

548. Scholion 1. De modo, quo Deus gratiam sufficientem infidelibus concedit. Supra, n. 534, expositi sunt varii modi, quibus catholici explicant, qua ratione gratia infidelibus communicetur. Ex modis ibi propositis, illi qui n. 6.° et n. 7.° propositi sunt, admittendi sunt ut vere probabiles; tum propter auctoritatem theologorum, qui illos defendunt, tum quia rem hanc convenienter explicare videntur. Ex his vero duobus modis rem explicandi, mihi probabilior est modus sexto loco propositus; nam Christus mortuus est, ut homines redimerentur a peccatis et vitam aeternam consequerentur; haec autem non obtinentur nisi per gratiam stricte supernaturalem. Unde Christus omnibus hominibus usum rationis habentibus, suis temporibus videtur concedere gratias supernaturales, quibus ad verum Deum cognoscendum et veram religionem amplectendam excitentur; et si infideles has gratias recipiunt, dabuntur illis aliae proximiores ad fidem stricte talem et ad justificationem. Et omnibus quidem infidelibus Deus largiri videtur gratias supernaturales remote sufficientes ad fidem et justificationem toto cursu vitae eorum, tempore opportuno, et quoties gratia est necessaria ad praecepta servanda. Et tempus opportunum est quoties infidelis *cogitat de suo fine, de Deo, de religione* et de aliis his similibus. Atque haec illuminatio et excitatio Dei fit sive male viventibus, sive pro viribus legem naturalem servantibus, licet non omnibus aequaliter; quia fit modo omnino gratuito ex parte hominum, sed ex debito propter passionem et mortem Christi pro omnibus nullo excepto. Ideoque homines, etiam infideles negativi, per totam vitam, non singulis momentis, sed tempore opportuno, accipiunt illustrationes et motiones, ut curent verum Deum et veram religionem cognoscere, et proficere usque ad fidem et justificationem et vitam aeternam consequendam. Et revera, si infideles pro viribus respondent gratiis, quas Deus illis largitur; vel ipse Deus immediate, vel per angelum aut hominem ipsos instruet de omnibus necessariis ad salutem consequendam.

Neque ex doctrina posita sequitur infideles peccare graviter, quum gratiis remote sufficientibus resistunt; quia quum sint assueti falsis diis et falsae religioni, non facile est illis cognoscere se vocari ad verum Deum cognoscendum et ad veram religionem amplectendam. Nec ideo talis vocatio est inutilis; quia, licet multi illam non sequantur, possunt tamen illam sequi, quum cognoscant se vocari ad aliquid bonum. Apparet tamen infideles propter gratias remote sufficientes ad fidem et ad justificationem, non exire a statu infidelitatis negativae; quia non perveniunt ad religionem revelatam cognoscendam et ad veram fidem. Unde doctrina proposita non est contraria damnationi propositionis 68 Baii, quae ita se habet: "Infidelitas pure negativa in his, (in) quibus Christus non est praedicatus, peccatum est" (1).

Neque ex doctrina proposita infertur omnes actus bonos, quos infide-

(1) Denz.-Bannwart, n. 1068.

les faciunt esse entitative supernaturales; nam solum sequitur esse actus entitative supernaturales, illuminationes et motiones quas recipiunt infideles ad quaerendum Deum et veram religionem, et responsiones his illuminationibus et motionibus. Item sunt actus supernaturales, qui ponuntur vi auxilii supernaturalis ad servanda mandata, quum sine gratia servari nequeant. Verum, ut probatum est supra (1), dantur actus naturaliter honesti sine ulla gratia.

549. *SCHOLION II. De axiomate, facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam* (2). Plures sunt sententiae circa explicationem hujus auxiomatis (3); verum praecipuae sunt duae; altera quae asserit Deum non negare gratiam facienti quod in se est per vires gratiae; altera vero quae tenet Deum facienti quod est in se per vires naturae etiam dare gratiam, sed non propter opera bona naturalia, sed propter promissionem Dei ex meritis Christi, et opera naturalia concurrere tantum negative, id est, non ponendo impedimenta, qualia fuerint peccata. Atque imprimis dicendum est, Deum facienti quod in se est per vires gratiae supernaturalis, infallibiliter concedere gratiam, ut tenent omnes theologi. Ratio est, quia si ille, qui cooperatur gratiae pro viribus, non acciperet ulteriorem gratiam, non posset salutem consequi; quia salus tantum per gratiam consequi potest, et si cooperatio gratiae pro viribus, non esset medium ad consequendam gratiam necessariam ad salutem, nullum aliud medium assignari potest. Et quum largiri gratias sit proprium solius Dei, si illas non largiretur, non esset verum, quod Deus vere et serio salutem hominum vult; quum non daret id, quod ad salutem obtinendam necessarium est. Atque haec sententia quatenus affirmans, etiam admittenda est a defensoribus alterius sententiae; sed non admittitur, quatenus negat Deum dare etiam suam gratiam facientibus quod est in se per vires naturae.

Altera igitur sententia, si recte explicatur, etiam admitti potest. Haec autem recta explicatio in hoc consistit: 1.° Bona naturalia nullo modo possunt esse meritum aliquod vel dispositio positiva ad gratiam; sed tantum debent concurrere negative, i. e.,

(1) D. 1, c. 3, a. 2.
(2) Suarez, *De gratia*, l. 4, c. 12 et sq.; Lessius, *De gratia efficaci*, c. 10, appendix, n. 19 et sq.; Ruiz de Montoya, *De providentia*, d. 22; Viva, *De divina gratia*, d. 1, q. 9; Billuart, *De gratia*, d. 3, a. 1.
(3) Vide P. Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 1, d. 20, s. 1; Mayr, *De gratia*, d. 1, q. 2, a. 3.

non ponendo impedimentum ad gratiam recipiendam, quale impedimentum possunt esse peccata. 2.° Etiam non faciendo quod est in se viribus naturae, plures gratiam supernaturalem accipiunt; ideoque facere quod in se est per vires naturae, non est conditio necessaria ad gratiam recipiendam. 3.° Non posito impedimento gratiae, Deus illam infallibiliter confert propter voluntatem salvandi omnes homines, et propter promissionem ex meritis Christi; nullo modo ex operibus bonis ordinis naturalis. Et revera si quis infidelis servaret fideliter legem naturalem et non peccaret graviter, Deus suo tempore illi gratiam ad fidem daret. Unde S. Thomas dicit (1): "Si enim aliquis taliter nutritus (in silvis). ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, *Act.* X."

S. Thomas in praesenti quaestione in Commentariis in libros sententiarum videtur tenere sententiam, quae admittit hominem posse praeparare se ad gratiam per fidelem cooperationem legi naturali; nam asserit S. Doctor (2): "Ad quartum dicendum, quod etiam ad fidem habendam aliquis se praeparare potest per id quod in naturali ratione est; unde dicitur, quod si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est faciat, Deus sibi revelabit illud quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo." At in *Summa* sententiam oppositam tenere videtur quum dicat (3): "Ad secundum dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud *Joannis* (XV, 5): *Sine me nihil potestis facere.* Et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo."

550. Scholion III. *De inaequali gratiae distributione* (4). De hac re breviter attingam duplicem quaestionem, alteram de inaequalitate

(1) *De veritate*, q. 14, a. 11, ad 1.
(2) *In 2.* sentent., d. 28, a. 4, ad 4.
(3) *1. 2.*, q. 109, a. 6, ad 2.
(4) Bellarminus, *De gratia et liber. arbitr.*, l. 2, c. 2; Valentia, In *1. 2.*, d. 8, q. 3, punct. 4, prop. 3, paulo ante §. *de gratia efficaci;* A. Bulsano, s. 1. *De gratia Christi*, cap. 4, a. 2, §. 445; Herrmann, *De divina gratia*, p. 1, s. 3, c. 3; Beraza, *De gratia Christi*, p. 2, s. 2, appendix, n. 446 et sq.

gratiarum in diversis subjectis, et alteram de causis hujus inaequalitatis.

Probatur ex S. Scriptura et ex SS. Patribus inaequalitas gratiae.

1.° Ex S. Scriptura. Matth. XIII, 11, dicitur: "Quia vobis datum est nosse mysteria regni caelorum: illis autem non est datum." Et ad *Rom.* XII, 3, habetur: "Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei." Et in *I Cor.* XII, 11: "Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult." Item ad Ephes. IV, 7: "Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi."

2.° Ex PP. S. Augustinus dicit (1): "Cur autem ille sic, ille autem sic adjuvetur, vel non adjuvetur nescio: id tamen Deum summa sibique nota aequitate facere scio." Et idem S. Doctor haec asserit (2): "Cum ergo alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademque res saepe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, aliumque non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?" Rursus S. Augustinus inquit (3): "Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeat ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim quae respondere mihi placeat: *O altitudo divitiarum* (*Rom.* XI, 33)!, et, *Numquid iniquitas apud Deum* (Id. IX, 19)?" Denique sic loquitur (4) S. Doctor: "Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste vocetur, et vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque ad finem, illi non donetur; inscrutabilia sunt judicia Dei."

Et S. Fulgentius inquit (5): "In cujus gratiae largitate quidam, minore rerum consideratione percepta, non leviter errant, existimantes eam omnibus hominibus aequaliter dari."

Et Episcopi africani asserunt (6): "Ipsa vero gratia quibuscumque datur, non aequaliter datur, sed *secundum mensuram donationis Christi.* (*Ephes.* IV, 7), et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei..."

Denique Auctor librorum *De vocatione omnium gentium*, inquit (7): "Quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est, ut Apostolus ait, *Salvator omnium hominum, maxime fidelium* (*I Timoth.* IV, 10). Quae sententia subtilissimae veritatis et validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc de qua agimus controversiam dirimit. Dicendo enim, *Qui est Salvator omnium hominum*, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem, *maxime*

(1) Epist. 95, n. 6 (M. L. 33, 354).
(2) *De diversis quaest. ad Simplicianum*, q. 2, n. 6 (M. L. 40, 119).
(3) *De spiritu et litt.*, c. 34, n. 60 (M. L. 44, 241).
(4) *De dono perseverantiae*, c. 9, n. 21 (M. L. 45, 1004).
(5) *De veritate praedestinationis*, cap. 14, n. 32, (M. L. 65, 619).
(6) In Sardinia exsules *Epist. Joanni et Veneri* inter epist. S. Fulgentii 15, n. 10 (M. L. 65, 439).
(7) L. 2, c. 31 (M. L. 51, 716).

fidelium, ostendit esse partem generis humani quae, merito fidei divinitus inspiratae, ad summam et aeternam salutem specialibus beneficiis provehatur."

Neque haec inaequalitas acceptionem personarum importat, quae apud Deum non cadit, ut dicit Apostolus (ad *Rom.* II, 11): "Non enim est acceptio personarum apud Deum." Ad rem S. Thomas dicit (1): "Dicendum, quod duplex est datio: una quidem pertinens ad justitiam, qua scilicet aliquis dat alicui quod ei debetur; et circa tales dationes attenditur personarum acceptio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui quod ei non debetur, et talis est collatio munerum gratiae, per quam peccatores assumuntur a Deo; et in hac donatione non habet locum personarum acceptio, quia quilibet absque injustitia potest de suo dare quantum vult, et cui vult, secundum illud (*Matth.* XX, 14 et 15): *An non licet mihi quod volo facere? Tolle quod tuum est, et vade.*"

Et hac de causa, quia gratia nemini debetur, non tenetur Deus dare majores gratias, quam illas, quas re ipsa dat; quum sint vere sufficientes, si homines illis cooperari velint.

551. *De causis inaequalis distributionis gratiae.* Causa prima et fundamentalis inaequalitatis gratiae et gloriae inter homines est voluntas Dei. Ex innumeris ordinibus Providentiae possibilibus voluntas divina elegit praesentem ordinem prae quocumque alio; et seligendo praesentem ordinem determinatum, jam eo ipso elegit omnem diversitatem in gratia et in gloria, quam in hoc ordine vidit possibilem, et futuram esse realem, si hic ordo prae quocumque alio eligeretur, ut crearetur et poneretur existens. Quare Deus per electionem hujus ordinis, jam eo ipso vidit salvandos, et sua culpa damnandos intra praesentem ordinem. Cur vero Deus praesentem rerum ordinem prae omni alio elegit, ipse scit, nos prorsus ignoramus, sicut ignoramus causam multarum rerum particularium, quae in hoc ordine habentur, et ad inscrutabilia judicia Dei pertinent.

De hac re dicit Auctor librorum *de vocatione gentium* (2): "Altitudo quippe divitiarum sapientiae et scientiae Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia et investigabiles viae (*Rom.* XI, 33), sic semper misericordiam suam et justitiam temperavit, ut secretissima aeterni consilii voluntate, noluerit in omnibus temporibus super omnes generationes, aut super omnes homines aequales donorum suorum esse mensuras."

(1) 2. 2., q. 63, a. 1, ad 3.
(2) L. 2, cap. 9 (M. L. 51, 694).

Et S. Fulgentius inquit (1): "Sat est ergo nobis, et in his qui salvantur, gratuitam Dei misericordiam, et in his qui condemnatur veram Dei justitiam sine dubitatione credere, et corde contrito atque humiliato misericordiam Domino judiciumque cantare..."

Et S. Thomas haec docet (2): "Unde prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiae consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum."

552. Deinde altera causa inaequalitatis gratiae est diversa cooperatio divinae gratiae; nam constat justos per bona opera supernaturalia augmentum gratiae et gloriae mereri.

Apposite ad hanc rem dicit (3) S. Augustinus: "Illa est enim peccati poena justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet: id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum sit; et qui recte facere cum possit noluit, amittat posse cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animae duo ista poenalia, ignorantia et difficultas."

Et S. Thomas inquit (4): "Si autem quaeris quare unus magis habet de gratia quam alter? Dico, quod hujus rei est causa proxima, et causa prima. Proxima est major conatus istius quam illius. Causa prima est electio divina." Et idem S. Doctor etiam asserit (5): "Deus non dat gratiam homini nisi utatur illa; et ideo quando quis per negligentiam gratia sibi data non utitur, Deus aufert ei, ut patet de talento. *Luc.* XIX, 24: *Auferte ab eo mnam, et date ei qui decem mnas habet.*"

Denique P. Tanner haec dicit (6): "Eodemque modo solet communiter Deus, pro sua pietate, absque tamen certa et infallibili lege, tanto fere uberiora auxilia gratiae excitantis homini conferre, quanto quisque collatis melius usus fuerit: ut in hoc genere habenti detur ad abundantiam, et fidelis servus supra multa constituatur, *Matth.* XXV, 23. Quin etiam juxta Augustinum, *De*

(1) *Epist.* 17, c. 28, n. 55 (M. L. 65, 486).
(2) *1. 2.*, q. 112, a. 4.
(3) *De natura et gratia*, c. 67, n. 81 (M. L. 44, 287).
(4) *In Matth.*, cap. XXV, v. 15.
(5) *In Ps.* 38, v. 1.
(6) *De gratia*, q. 1, dub. 3, n. 43.

natura et gratia, c. 6, potest homo etiam nondum justificatus, post primam gratiam excitantem, aliquo modo se disponere ad sequentes, quae ulterius necessariae sint, recipiendas, si quod in se est cum illa faciat, maxime petendo et orando."

APPENDIX

De gratiis gratis datis (1)

553. Praemittenda. Quid sit *gratia gratis data* jam supra declaratum est (2). Ibidem definitum est quid sit *gratia gratum faciens*. Utraque est vera gratia, et utraque est gratis data (3); sed gratia gratum faciens per se et primario ordinatur ad sanctificationem subjecti quod illam possidet, et gratia gratis data per se et primario ordinatur ad sanctificationem aliorum, non subjecti quod illam recipit. Dixi *per se et primario;* quia gratia gratum faciens potest conducere ad sanctificationem aliorum per bona exempla virtutum; et gratiae gratis datae possunt concurrere ad sanctificationem subjecti, in quo habentur, si exerceantur per actus caritatis Dei et proximi. Gratia gratis data habet ut proprium nomen, quod etiam ut commune convenit gratiae gratum facienti; sicut nomen animal convenit homini et bruto, sed simpliciter sumptum est nomen proprium animalis irrationalis. Gratia gratis data a gratia gratum faciente non solum ratione finis discriminatur, sed etiam ex aliis capitibus. Nimirum gratiae gratis datae possunt convenire peccatoribus; sed gratia gra-

(1) S. Thomas, 1. 2., q. 111, aa. 1 et 4; Bellarminus, *De gratia et libero arbitr.*, l. 1, cc. 2 et 10; Suarez, *De gratia*, prolegomen. III, cc. 4 et 5; Valentia *In 1. 2.*, d. 8, *De gratia*, q. 3, punct. 1; Ripalda, *De ente supernaturali*, d. 101, s. 2; Frassen, *De divinae gratiae beneficio*, d. 2, a. 3, s. 1; Gotti (Cardinalis), *De divina gratia*, q. 2, dub. 1; Billuart, *De gratia*, dissert. 5, a. 1; Wirceburgenses, *De gratia*, c. 4, a. 1, n. 150; Cornely, *In I Cor.*, c. 12, v. 8 et 17; Mazzella (Card.), *De gratia Christi*, d. 1, a. 1, n. 16 et 17; Beraza, *De gratia Christi*, p. 1, cap. 2, n. 18 et sq.; Herrmann, *De gratia*, sect. praev., c. 1, n. 9 et 19.

(2) D. 1, c. 1, a. 1, n. 9.

(3) Ut dicit P. Suarez, loco antea citato, c. 4, n. 2, aliqui theologi ante Trident. vocabant *gratiam gratis datam* omne donum liberaliter datum et non formaliter sanctificans, licet esset donum mere naturale. Et alii etiam ex antiquioribus asserebant quidem tum gratiam gratis datam, tum gratum facientem esse donum supernaturale; verum sub nomine gratiae gratis datae complectebantur omne donum supernaturale non sanctificans, et ita gratia gratum faciens solum continebat gratiam formaliter sanctificantem. Sic affirmat ipse P. Suarez, eodem loco, n. 4.

tum faciens, prout est formaliter sanctificans, nonnisi justis convenit. Item gratia gratis data non est singulis individuis necessaria; sed gratia gratum faciens est singulis individuis necessaria, ut salutem consequi possint.

Apostolus novem gratias gratis datas his verbis enumerat (*I Cor.* XII, 8 et sq.): "Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum."

554. Declarantur breviter singulae gratiae gratis datae, quae sic ab Apostolo enumerantur. Solum adducentur opiniones, quae probabiliores videntur.

Sermo sapientiae. Hoc donum consistere videtur in facultate explicandi fidelibus mysteria fidei, ut Trinitas, Incarnatio, etc. (1). Hoc donum Apostoli maxime callebant.

Sermo scientiae. Hoc donum consistere videtur in facultate explicandi mysteria et veritates fidei ab omnibus credenda, et ad hunc scopum adhibendi scientias humanas, exempla, comparationes etc., et ita quidem, ut explicatio sit apta, ut etiam rudiores amplectantur et retineant doctrinam fidei.

Fides. Haec non est fides theologica, quae supponitur, et est simpliciter gratia gratum faciens. Verum fides ut est gratia gratis data dicit quamdam fidei excellentiam ratione certitudinis et aliorum, qua subjectum redditur aptum ad habendam fiduciam etiam certam miraculorum patrandorum (2). Haec autem fides distinguitur a *gratia sanitatum* et ab *operatione virtutum*, quia hae non consistunt in fide et fiducia, sed in facultate faciendi mira vel in corpore humano, vel extra illud. Haec autem fides ita se habet ut etiam per solas sanctorum reliquias cum fide adhibitas patrentur miracula.

Gratia sanationum et operatio virtutum. Gratia sanationum, ut ipsum nomen indicat, est facultas sanandi morbos; et *operatio virtutum* est potestas patrandi alia miracula distincta a morbis, ut resurrectio mortuorum, multiplicatio panum etc. Potestas

(1) Hic sensus indicatur cap. II, v. 6, et cap. XIII, v. 2.
(2) Hic sensus indicatur in *Matth.* XVII, 13, et in *Luc. XVII*, 5 et sq.; *Epist.* I *Cor.* XIII, 2.

sanandi morbos, licet ad omnes morbos se extendere possit, non videtur tamen necessarium; et idem dicatur de operatione virtutum.

Prophetia. A S. Paulo *prophetia* sumitur (*I Cor.* XIV, 3) pro locutione aedificationis, exhortationis et consolationis pro fidelibus; dicit enim: "Qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem." Per hoc vero S. Paulus alia munera prophetarum non excludit, praesertim prophetarum V. T., quorum munus etiam erat conservare veram doctrinam et pietatem populi, et non solum praedicere futura, praesertim circa Messiam. Etiam in N. T. prophetae vaticinantur. Sic dicitur de propheta Agabo *Act.* XI, 27; et XXI, 11.

Discretio spirituum. De hoc charismate sic loquitur P. Beraza (1): "Facultas scilicet discernendi veros a falsis prophetis, spiritum bonum a malo, inspirationes Dei a dolis daemonis, angelum bonum ab angelo malo, motus gratiae a motibus naturae. Donum hoc discretionis ordinarie simul cum dono prophetico conferebatur, ita ut exhortatio unius prophetae a ceteris prophetis judicaretur." Et S. Joannes Chrysost. de hoc charismate dicit (2): "Quid sibi vult illud *discretiones spirituum?* Scire quis sit spiritualis, quis non spiritualis; quis propheta, quis deceptor."

Genera linguarum (glossolalia). Hoc charisma consistit in dono loquendi linguas ignotas; et ita quidem ut loquens has linguas, non posset illas loqui nisi per donum a Deo acceptum. Circa hoc donum notandum est Apostolum non agere de illo, nisi quatenus in congregatione fidelium habentes hoc donum, per illud Deum laudabant et precabantur. Certe Apostolus, licet de hoc non loquatur, non excludit donum linguarum, quatenus est valde aptum ad praedicandum Evangelium infidelibus, qui linguam praedicatori ignotam loquuntur. Glossolalos seu donum linguarum habens debet loqui articulate et intelligibiliter, saltem per interpretem; dicit enim S. Paulus (*I Cor.* XIV, 8-9): "Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis: quomodo

(1) *De divisionibus gratiae generatim sumptae,* n. 25.
(2) *Homil. 29 in 1^am ad Cor.,* n. 3 (M. G. 61, 245).

scietur id, quod dicitur? eritis enim in aera loquentes." Hoc donum linguarum variis modis exprimitur, ut *linguae* (XIII, 8); *loqui lingua* (XIV, 2); *loqui linguis* (XIII, 1), etc.

Interpretatio sermonum. Est donum interpretandi id, quod loquentes linguis dicunt. Certe hoc donum interpretationis potest haberi simul cum dono linguarum. Et ita S. Joan. Chrysost. de his duobus donis dicit (1): "Nam ille quidem sciebat quid ipse diceret, alteri vero id interpretari non poterat: alius vero haec ambo possidebat, vel alterutrum."

555. Nunc breviter quaesitis declarantur nonnulla dubia.

Quaeres 1.° Utrum novem charismata memorata sint numerus eorum completus?

Resp. Negative cum B. Bellarmino (2), Ripalda (3) multisque aliis; nam ipse S. Paulus alia charismata enumerat (*I Cor.* XII, 28 et sq.; *Rom.* XII, 6 et sq.; *Ephes.* IV, 11 et sq).

Quaer. 2.° Utrum novem charismata recensita sint habitus?

Resp. Secundum B. Ballarminum (4) quinque sunt habitus seu ad modum habitus, quatenus sunt res permanentes, scilicet *sermo sapientiae, sermo scientiae, fides, genera linguarum et interpretatio sermonum;* alia quatuor sunt motiones transeuntes, videlicet, *gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum.* Ratio, quam B. Bellarminus dat, est, quia ex quinque donis hic prius enumeratis habens illa, utitur eisdem, quum vult; et pro aliis quatuor ad utendum ipsis specialis motio est necessaria.

Quaer. 3.° Utrum gratia gratis data sit excellentior gratia gratum faciente?

Resp. Negative, sed e contra gratia gratum faciens est excellentior vel dignior gratia gratis data. Nam Apostolus (*I Cor.* XII, 31) inquit: "Aemulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro." Haec vero charismata meliora et via excellentior, ut ex cap. XIII elucet, sunt caritas et ceterae virtutes theologicae, quae ad gratiam gratum

(1) Loco proxime citato.
(2) *De gratia et lib. arbitr.*, l. 1, c. 10, quaer. 4.°.
(3) *De ente supernat.*, l. 5, d. 101, s. 2, n. 10.
(4) Loco proxime citato, quaer. 1.°.

facientem pertinent. Ratio S. Thomae est (1): "Respondeo dicendum, quod unaquaeque virtus tanto excellentior est, quanto ad altius bonum ordinatur. Semper autem finis potior est his quae sunt ad finem. Gratia autem gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis; gratiae autem gratis datae ordinant hominem ad quaedam praeparatoria finis ultimi, sicut per prophetiam et miracula et alia hujusmodi homines inducuntur ad hoc, quod ultimo fini conjungantur. Et ideo gratia gratum faciens est multo excellentior quam gratia gratis data."

Quaer. 4.° Utrum sermo sapientiae et sermo scientiae sint idem ac donum sapientiae et donum scientiae.

Resp. Negative. Nam donum sapientiae et donum scientiae sunt gratiae gratum facientes et ordinantur ad sanctificationem subjecti, in quo reperiuntur; et sermo sapientiae et sermo scientiae per se et primario ordinantur ad utilitatem aliorum.

(1) *1. 2.*, q. 111, a. 5.

DISPUTATIO III

De gratia formaliter sanctificante [1]

CAPUT I

De dispositionibus ad gratiam formaliter sanctificantem

Articulus I

Utrum fides sit necessaria ad justificationem

556. Praemitt. 1.° Agendum est in hoc articulo de praeparatione per fidem ad justificationem recipiendam. Praeparatio ad justificationem solum requiritur in adultis, non autem in parvulis et usu rationis carentibus. Justificatio dicitur divina operatio, qua infunditur gratia formaliter sanctificans; seu ut dicit Tridentinum (2): "Est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et *adoptionis filiorum* (*Rom.* VII, 15) Dei per secundum Adam, Jesum Christum, Salvatorem nostrum." Et idem Tridentinum etiam dicit (3): "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio (can. 11), sed et sanctifi-

(1) S. Thomas, l. 2, q. 110 et q. 113; *De veritate*, q. 28; Suarez, *De gratia*, a. l. 6 usque ad l. 11 inclusive; B. Bellarminus, *De justificatione*, libri quinque; Valentia, *In 1. 2.*, d. 8, punct. 5; Ruiz de Montoya, *De Providentia*, d. 17 et sq.; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 6, disp. ultima; Gonet, *De gratia*, tract. 9, d. 1; Joannes a S. Thoma, *In 1. 2.*, q. 113; Salmanticenses, *De justificatione impii*; Gotti, *In 1. 2., De gratia habituali et de justificatione peccatoris;* Frassen, *De gratia*, d. 3; Henno, *De Christi gratia, de justificatione;* Billuart, *De gratia*, dissert. 7; Wirceburgenses, *De gratia*, disp. 6; Beraza, *De gratia Christi*, p. 3; Pesch (Christianus), *De gratia*, p. 2; Val (Honoratus del), *De gratia Christi*, c. 2; Schiffini, *De gratia divina*, d. 3, s. 6 et 7; Lahousse, *De gratia divina*, 2.ª p.; Mendive, *De divina gratia*, diss. 3; Van Der Meersch, *De divina gratia*, p. 2.; Herrmann, *De divina gratia*, p. 2.ª; Tabarelli, *De gratia Christi*, p. 3.ª; Einig, *De gratia divina*, p. 2.ª.

(2) *Sess. 6*, c. 4 (Denz.-Bannwart, n. 796).

(3) Eodem loco, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).

catio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit *heres secundum spem vitae aeternae* (*Tit.* III, 7)." Quocirca sanctificatio formaliter sumpta est donum gratiae habitualis seu permanentis, quo a peccato mundamur, et efficimur filii Dei adoptivi, ipsi grati et amici, et jus ad vitam aeternam acquirimus. Hoc donum saepe vocatur gratia habitualis, et dicitur formaliter justificans seu sanctificans, ut distinguatur ab aliis donis, quae etiam sunt gratia habitualis seu permanens, ut sunt virtutes per se infusae, seu entitative supernaturales.

557. Praemitt. 2.° Quid sit praeparatio ad gratiam sanctificantem recipiendam. Praeparatio alia est physica, alia moralis. Praeparatio physica, si daretur, esset qualitas aliqua, quae manens in anima hanc ipsam ad gratiam sanctificantem disponeret; dispositio vel praeparatio moralis consistit in actibus deliberatis transeuntibus, qui ad modum meriti ad gratiam sanctificantem disponunt. Haec praeparatio moralis omnino admittenda est, ut dicetur. Praeparatio autem physica rejicienda videtur (1). Nam talis praeparatio non requiritur pro qualibet gratia habituali; quia ita in infinitum procederetur; una enim gratia habitualis aliam requireret ut praeparationem; haec aliam, et ita porro sine ullo fine. Nec requiritur, ut gratia sanctificans recipiatur; quia nulla est ratio, neque indicium sive ex Scriptura, sive ex Traditione, sive ex doctrina theologica ad talem physicam praeparationem ponendam (2). Nec dici potest actum liberum, qui transitorius est, disponere physice pro re permanente; praesertim quum neque physice influat in gratiam sanctificantem, neque aliquem habitum supernaturalem producat.

558. Praemitt. 3.° Falsa doctrina haereticorum (3). Haeretici triplicem fidem distinguunt, sc. *historicam, miraculorum,* et *promissionum. Fidem historicam* dicunt illam, qua credimus vera esse ea, quae in Scripturis continentur, ut, vgr., *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei* (*Hebr.* XI, 3). *Fidem*

(1) Contrarium sentiunt Salmanticenses (*De justificatione impii*) cum aliis; verum diversitas re ipsa non videtur esse nisi de modo loquendi.
(2) Vide P. Suarez, *De gratia habituali*, l. 8, c. 5; P. Beraza, *De gratia habituali*, s. 1, cap. 3.
(3) B. Bellarminus, *De justificatione*, l. 1, c. 4; Beraza, *De gratia habituali*, c. 1, n. 644 et sq.

miraculorum appellant illam, qua miracula fiunt secundum illud: "*Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam* (*I Cor.* XIII; 2)". Denique *fides promissionum*, dicunt illam, quae fertur in promissiones divinas de remissione peccatorum, qualis est illa, *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI, 16). Haec fides promissionum ab haereticis in *generalem* et *specialem* dividitur. *Generalis* est illa, qua creditur promissam esse credentibus salutem; et *specialis*, qua unusquisque sibi divinam promissionem applicans credit et confidit peccata omnia per Christum sibi esse dimissa. Lutherus ponit fidem in firma fiducia de remissione peccatorum propter merita Christi; nam sic definit fidem secundum B. Bellarminum: "Est certa, altissimeque animo insidens, divinae bonitatis et gratiae per verbum Dei cognitae atque manifestae fiducia." Et in articulo 15 damnato Lutheri asseritur: "Sed si credant et confidant, se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos." Calvinus a Luthero nonnihil differre videtur, quia in fide ponit etiam cognitionem certam; sed cum Luthero convenit, quatenus nititur divina benevolentia. Sic Calvinus fidem definit (1): "Justa fidei definitio nobis constabit, si dicamus esse divinae erga nos benevolentiae firmam certamque cognitionem, quae gratuitae in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris et cordibus obsignatur."

Verum nec Lutherus, nec Calvinus tribuunt fidei aliquid boni subjective, sed fides solum habet vim quatenus sibi applicat merita Christi; ideoque justificatio est aliquid homini extrinsecum, quum secundum protestantes fiat per fidem. Nec aliter sive Lutherus, sive Calvinus sentire possunt; nam uterque statuit omnia opera, etiam meliora, esse peccata. De Luthero constat ex articulis ipsius 31 et 32 damnatis. 31 dicit: "In omni opere bono justus peccat." Et 32: "Opus bonum optime factum est veniale peccatum" (2). Et Calvinus asserit (3): "Habemus, nec unum a sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem."

559. Praemitt. 4.° Secundum doctrinam autem catholicam

(1) *Institutio christianae religionis*, l. 3, c. 2, n. 7, ad finem.
(2) Denz.-Bannwart, nn. 771, 772.
(3) *Institutio christianae religionis*, l. 3, c. 14, n. 9.

Fides, quae ad justificationem requiritur ita a Conc. Vaticano declaratur (1): "Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera asse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest." Et Ecclesia catholica, ut pertinentem ad virtutem fidei theologicae, non cognoscit aliam fidem, quam modo definitam a Conc. Vaticano, et eam solam profitetur esse necessariam ad justificationem. Et asserit idem Vaticanum (2): "Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divitus revelata credenda proponuntur." Atque haec fides est assensus intellectus, quum per illam res admittantur ut verae, quod profecto ad intellectum spectat. Quare in Ecclesia catholica nulla potest dari controversia respectu veritatum, quae ab eadem Ecclesia proponuntur ut divinitus revelatae; sed ab omnibus ut tales admittendae sunt.

THESIS I. Fides est necessaria ad justificationem obtinendam; et hæc fides debet esse supernaturalis

Haec thesis est de fide quoad ejus primam partem, ut ex probationibus constabit; et quoad 2.am aliquo modo etiam est de fide, ut constat ex Tridentino dicente (3): "Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: A. S." (4).

560. Prob. 1.a p. 1.o *Ex Scriptura. Marc.* XVI, 16, dicitur: "Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur." Et *Hebr.* XI, 6: "Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit."

(1) *Sess.* 3.a, cap. 3 (Denz.-Bannwart, n. 1789).
(2) Eodem loco, Denz.-Bannwart, n. 1792.
(3) *Sess.* 6, can. 3 (Denz.-Bannwart, n. 813).
(4) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 8, c. 7, n. 8; item, quae supra dicta sunt, d. 1, c. 4, a. 2.

561. 2.° *Ex Conciliis.* Concilium Tridentinum dicit (1): "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem *ex auditu* (*Rom.* X, 17) concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt..." Et inferius idem Tridentinum docet (2): "Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem *per fidem* et *gratis* (*Rom.* III, 22, 24), ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quam perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, *sine qua impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6), et ad filiorum ejus consortium pervenire..."

Et Conc. Vaticanum asserit (3): "Quoniam vero *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6) et ad filiorum ejus consortium pervenire, ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio..."

562. 3.° *Ex PP.* Origines dicit (4): "Impossibile est salvari sine fide." Et S. Ambrosius (5): "Hinc ergo cognoscimus quod ante omnia fides nos commendare Deo debeat." Item S. Hieronymus inquit (6): "Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi anima ante omnia fidei susceperit veritatem." Denique S. Fulgentius (7): "Gaudeo quidem quod pro fide vera, sine ullo perfidiae vitio custodienda, sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imo nec esse, conversio. Apostolica quidem dicit auctoritas, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6). Fides est namque bonorum omnium fundamentum. Fides est humanae salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertinere: quia sine ipsa nec in hoc saeculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam (8)."

563. **2.ª p.** *Fides est supernaturalis* (9). Haec pars jam est

(1) Eodem loco, cap. 6 (Denz.-Bannwart, n. 798).
(2) Cap. 8 (Denz.-Bannwart, n. 801).
(3) *Sess. 3*, cap. 3 (Denz.-Bannwart, n. 1793).
(4) *Homilia 26, in Num.* n. 2 (M. G. 12, 772).
(5) *De Cain et Abel*, l. 2, n. 8 (M. L. 14, 362).
(6) *Commentarium in Evang. Matth.*, l. 4, c. 28, v. 19 (M. L. 26, 218).
(7) *De fide ad Petrum, in Prologo* (M. L. 65, 671).
(8) Vide Tabarelli, *De gratia Christi*, p. 3.ª, q. 1, a. 4; item Clericus a Bellibero apud cursum theologiae Migne, tom. 10 *de gratia, pars dogmatica*, l. 4, c. 1, a. 1.
(9) Vide S. Thomam, *1. 2.*, q. 109. a. 6; q. 112, aa. 2 et 3.

probata supra (1), ubi probatum est actus intellectus et voluntatis conducentes ad salutem debere esse supernaturales quoad substantiam; jam vero actus intellectus et voluntatis praeparantes ad justificationem, conducunt ad salutem, quum praeparent ad gratiam sanctificantem, quae tribuit jus ad vitam aeternam; ideoque debent esse supernaturales, et quidem quoad substantiam. Hoc ipsum etiam constat ex eo, quod actus salutares debent esse supernaturales quoad substantiam, ut supra probatum est (2); quare, quum actus disponentes ad justificationem sint salutares, eo ipso debent esse supernaturales quoad substantiam. Ideoque hoc ipsum est dicendum de omnibus actibus disponentibus ad justificationem, sive sint actus intellectus, sive voluntatis; alii vero actus, quum sint sensuum, sunt materiales, nec possunt esse supernaturales quoad substantiam.

THESIS II. Fides necessaria ad justificationem est illa, qua revelata a Deo credimus esse vera propter auctoritatem Dei revelantis; non autem fiducia illa vel cognitio, qua firmiter nobis persuademus peccata nobis non imputari seu esse remissa.

Sensus theseos elucet ex dictis in praemittendis. Utraque pars est de fide. 1.ª pars ex Conc. Tridentino adducto in thesi proxima (3); et 2.ª p. ex can. 12 dicente (4): "Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur: A. S."

564. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex S. Scriptura.* a) Ex textibus indicantibus fidem necessariam ad salutem esse illam, qua credimus esse vera, quae a Deo revelata sunt. *Marc.* XVI, 15 et sq, dicitur: "praedicate Evangelium omni creaturae... Qui vero non crediderit, condemnabitur." Et *Joann.* XX, 31: "Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus." Item *Act. A.* VIII, 36 et sq.:

(1) D. 1, c. 1, a. 4, n. 49 et sq.
(2) D. 1, c. 4, a. 2, n. 245 et sq.
(3) *Sess. 6.ª*, cap. 6.
(4) Eadem *Sessione* (Denz.-Bannwart, n. 822).

"Et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum... et baptizavit eum." Rursus ad *Rom.* X, 9 et sq.: "Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur." Denique ad *Hebr.* XI, 6: "Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit."

b) Ex *Epist, ad Hebr.* XI, 1. ubi legitur: "Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium." Et textus graecus dicit: "Ἔστιν δὲ πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων." Verum antequam argumentum instituatur, nonnihil notandum est. Imprimis ἐλπιζομένων potest sumi passive, et significat in genitivo *sperandarum rerum;* et ita accipitur a Vulgata et a PP. Graecis; speciatim S. Chrysostomus dicit (1): "Nam quoniam quae sunt in spe non videntur posse consistere, fides eis donat substantiam; vel potius non donat, sed hoc ipsum est eorum essentia: ut exempli causa, non advenit resurrectio, neque est in substantia, id est non consistit, sed spes facit ut ea consistat in nostra anima. Hoc est rerum quae sperantur substantia." Hoc verbum ἐλπιζομένων S. Augustinus sumit sensu activo, quum dicit (2): "Est autem fides sperantium substantia, convictio rerum quae non videntur (3)." Attamen sive sumatur sensu passivo, sive activo vis probationis est eadem; nam sensu passivo significatur fidem esse fundamentum vel basim ad res sperandas, vel esse substantiam, existentiam per se stantem, subsistentiam rerum sperandarum; et sensu activo significatur sperantes habere fundamentum suae spei in fide. Potest autem vocabulum ἐλπιζομένων sumi utroque sensu, quia potest esse participium passivum et medium indicativi. Praeterea vox ὑπόστασις accipi potest pro substantia, subsistentia, existentia per se stante. fundamento, basi; sed quaecumque ex his significationibus seli-

(1) *Homil. 21 in Epist. ad Hebr.* n. 2 (M. G. 63, 151).
(2) *Tractatus 79 in Joan.,* n. 1 (M. L. 35, 1837).
(3) Eodem modo S. Doctor fidem declarat *Sermon.* 126, c. 2, n. 3 (M. L. 38, 699); et *De peccator. meritis et remiss.,* l. 2, c. 31, n. 50 (M. L. 44, 181).

gatur, vis probationis non minuitur (1). Denique ἔλεγχος est *argumentum, convictio, demonstratio, persuasio,* quae significationes pro nostro scopo idem valent.

His praenotatis instituitur probatio. Apostolus (*Hebr.* XI, 1) declarat fidem necessariam ad justificationem. Sed haec fides est assensus intellectus. Ergo fides necessaria ad justificationem est assensus intellectualis. Major probatur: tum quia non potest esse certum fundamentum rerum sperandarum, nisi media justificatione; tum quia v. 6 dicitur agi de ea fide, sine qua impossibile est placere Deo; tum denique quia agitur de eadem fide, de qua sermo est cap. 10, v. 38; et haec fides est illa, per quam *justus vivit,* ac proinde est fides necessaria ad vitam justi, seu ad justificationem. Et de hac ipsa fide est sermo ad *Rom.* I, 17, et ad *Galat.* III, 11. Deinde probat min. Quia fides non aliter est fundamentum rerum sperandarum, nisi quatenus propter assensum fidei firmissime admittuntur ut vere futurae. Item quia fides est *argumentum non apparentium; argumentum* vero ad intellectum pertinet, et hic juxta omnes argumentum sumitur ut gignens convictionem. Rursus v. 6 asseritur credendam esse divinam existentiam et Deum esse remuneratorem; haec vero credere intellectus proprium est. Denique v. 3 dicitur *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei;* hoc autem ad intellectum spectat. Quod vero fides nitatur auctoritate attestantis, non intrinseca rei veritate, hoc est proprium fidei ut distinctae a cognitione evidendi. Atque in praesenti haec auctoritas debet esse Dei; quia non alia potest dare perfectam certitudinem fidei, praesertim respectu rerum supernaturalium.

565. 2.° *Ex symbolis,* in quibus proponuntur veritates necessario credendae, et ideo necessariae ad justificationem; et in illis tantum proponuntur veritates credendae et nihil in illis habetur de firma fiducia vel cognitione de eo, quod peccata jam sint remissa, vel quod non imputabuntur. Thesis etiam constat ex Conc. Tridentino adducto n. 561, et ex Vaticano n.559. Item Vaticanum statuit (2): "Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad

(1) Ab aliquibus modernis ὑπόστασις accipitur pro *firma expectatione;* sed haec significatio non habet fundamentum in PP. neque graecis, neque latinis; neque in interpretibus catholicis antiquis.

(2) *Sess.* 3.ª, cap. 3, can. 2 (Denz.-Bannwart, n. 1811).

fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur: A. S."

566. 3.° *Ex PP.* S. Cyrillus Hier. docet (1): "Ad fidem veram vos vocat et hodierna lectio, viam vobis designans, per quam vos quoque oportet placere Deo: ait enim sine fide impossibile esse placere. Quando enim apud se statuet homo Deo servire, non credens illum remuneratorem fore? Quando virginitatis propositum arripiet puella, vel castus erit juvenis, nisi esse credat immarcessibilem castitatis coronam? Fides oculus est conscientiam omnem illuminans, et intelligentiam pariens; dicit enim propheta: *et si non credideritis, non intelligetis* (*Is.* VII, 9 juxta LXX)." Et S. Gregorius Naz. dicit (2): "Baptizabo te, docens, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Nomen porro unum tribus commune, Deitas. Intellige, tum ex ipsa rerum specie, tum ex verbis ipsis, te omnem impietatem rejicere, et cum tota Deitate conjungi. Crede, mundum universum, tam qui oculis cernitur, quam qui oculorum obtutum fugit, a Deo ex nihilo creatum esse, et Creatoris providentia gubernari..." Et sequitur proponendo alia dogmata fidei, quae a baptizando credenda sunt, et nihil de fiducia remissionis peccatorum vel huic rei aliquid simile docet.

S. Augustinus ita loquitur (3): "Satis est christiano rerum creatarum causam, sive caelestium, sive terrestrium, sive visibilium, sive invisibilium, nonnisi bonitatem credere Creatoris, qui est Deus unus et verus; nullamque esse naturam quae non aut ipse sit, aut ab ipso: eumque esse trinitatem, Patrem scilicet, et Filium a Patre genitum, et Spiritum Sanctum ab eodem Patre procedentem, sed unum eumdemque Spiritum Patris et Filii." Denique S. Leo Magnus docet (4): "Quia sicut fidelia erant testimonia, quae in eo majestatem invisibilis Deitatis assererent, ita probatissimum esse debebat Verbum carnem factum, et sempiternam illam essentiam Filii Dei, hominis veram suscepisse naturam... quum justificari omnino non possent, nisi qui Dominum Jesum et verum Deum et verum hominem credidissent."

567. **Prob. 2.ª p.** 1.° *Ex Tridentino* (5) jam adducto in con-

(1) *Catech.* 5, n. 4 (M. G. 33, 510).
(2) *Oratio XL in Sanctum baptisma*, n. 45 (M. G. 36, 423).
(3) *Enchiridion, sive de fide, spe et caritate*, c. 8 (M. L. 40, 235).
(4) *Sermo 35, in Epiphaniae solemnitate serm.* 4, cap. 3 (M. L. 54, 247).
(5) *Sess.* 6, can. 12.

sura theseos. Etiam ex eodem Tridentino ad hanc 2.am partem probandam faciunt canones 13 et 14 ejusdem Sessionis sextae (1). Canon 13 est: "Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necesserium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa. A. S." Et in can. 14 habetur: "Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi et justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici: A. S."

Denique S. Scriptura, symbola et PP. non aliam fidem proponunt, nisi illam, qua credimus ut vera illa, quae sunt a Deo revelata: et nihil dicunt de firma fiducia circa remissionem peccatorum, ut peccata non imputentur, vel remittantur; neque de fide, qua quis credat peccata sibi esse remissa.

568. 3.° *Ratione.* Imprimis fiducia illa, qua sine haesitatione credimus peccata esse nobis remissa non requiritur ad justificationem ex natura rei, quia nullum est fundamentum ad id asserendum, neque ipsi haeretici hoc dicunt; sed neque ex alio capite requiritur. Ergo, Prob. min. Quia si illa fiducia non ex ipsa natura rei, sed aliunde esset ad justificationem requisita, hoc constaret vel ex Scriptura vel ex Traditione; ea enim quae ad supernaturalia spectant, nonnisi ex divina revelatione, quae in sacris Titteris vel in Traditione continetur, nobis innotescere possunt. Atqui neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione necessitas talis fiduciae constat; etenim nihil quod illam probet afferri potest; quae autem afferuntur, facilem habent solutionem. Ergo. Neque dici potest, sententiam haereticorum niti in fide, qua firmiter credamus peccata nobis esse remissa seu non imputari; quia talis fides sine speciali privilegio, quod de lege ordinaria non conceditur, est impossibilis. Atqui quod est impossibile non est requisitum ad justificationem; nam secus esset hominibus impossibilis ipsa salus. Ergo. Prob. maj. Ut fides illa esset possibilis, oporteret ut haberetur revelatio *peccata nobis esse remissa;* quia nihil fide divina credi potest, nisi sit revelatum. Atqui illa revelatio non existit; nam divinae de hac re revelationes solum dicunt

(1) Denz.-Bannwart, nn. 823, 824.

vel esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata, vel peccata remitti ponenti debitam dispositionem; quod vero aliquis in particulari posuerit debitam dispositionem, nec est revelatum, nec modo certo sciri potest, ut inferius probabitur. Ergo (1).

569. Obj. 1.° (2). *In cap. XI*, 1, *Epist. ad Hebr.* vocabulum *substantia* vertendum est expectatio, i. e., expectatio certa divinae misericordiae, ut eruitur ex Ps. XXXVIII, 8, in quo secundum septuaginta dicitur: "*Quae est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea* (i. e. expectatio mea; graece ὑπόστασις μου) *apud te est.*" His autem verbis significatur firma expectatio in divinam misericordiam. Atque hic ipse sensus confirmatur ex eadem *Epist. ad Hebr.* III, 6, 14, ubi legitur, v. 6: "Christus vero tamquam Filius in domo sua: quae domus sumus nos, si fiduciam, et gloriam spei (i. e., gloriari se spe) usque ad finem, firmam retineamus." Et v. 14: "Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiae ejus (graece ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως) usque ad finem firmum retineamus." Et in hoc v. 14 *initium substantiae ejus* debet verti *initium fiduciae ejus;* nam id ipsum quod v. 3, applicatur fiduciae, v. 14 dicitur de initio substantiae ejus. Quare fiducia et substantia pro expectatione firma, vel pro firma fiducia accipi debent.

Resp. Imprimis sensus v. 8 psalmi, sive secundum lectionem hebraeam, (3) sive secundum lectionem graecam Septuaginta est idem sensus, videlicet Psalmistam ponere totam suam expectationem in Deo; ideoque nihil dicitur de firma fiducia vel persuasione circa remissionem peccatorum. Praeterea licet ὑπόστασις in Psalmo 38 vertatur *expectatio;* tamen ad *Hebr.* XI, 1 secundum PP. et interpretes antiquiores non est vertendum *expectatio,* sed *substantia,* vel *existentia per se stans,* vel subsistentia.

Ad Confir. sensus v. 6, cap. III est nos esse domum Christi, dummodo retineamus liberam et intrepidam seu cum confidentia, sine timore, confessionem fidei (graece παρρησίαν) et gloriari de spe. Et sensus v. 14 est, effecti sumus Christi participes per justificationem, dummodo fidem, quae est initium justificationis, sive renovationis interioris et novae creaturae, firmam usque ad finem vitae retineamus. Non igitur in vv. 6 et 14 de fiducia seu firma persuasione haereticorum sermo est.

Accedit quod, licet permittatur adversariis in locis citatis ex *Epist. ad Hebr.* agi de fiducia seu expectatione, non sumitur, ut est manifestum, fiducia seu expectatio respectu remissionis aut non imputationis peccatorum; sed respectu constantiae in fide et spe, et consecutionis vitae aeternae. Praesertim ὑπόστασις in v. 1, c. XI, si significaret fiduciam, sumeretur pro fiducia vel expectatione consequendi res sperandas, quae praecipuae sunt vita aeterna et resurrectio corporis, ut indicatur a S. Paulo dicente (*Rom.* VIII, 23-24): "Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus." Et ad

(1) Vide plura apud B. Bellarminum, *De justificat.*, l. 1, c. 10; et apud P. Mendive, *De gratia habituali*, c. 3, a. 2, n. 328, 4.°.

(2) Vide B. Bellarminum, *De justificat.*, l. 1, c. 11; Beraza, *De gratia habituali*, n. 653 et sq.

(3) Textus hebraeus ad litteram dicit: "Et nunc quid expecto, Domine? expectatio mea in te."

Titum (II, 13) : "Expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi."

570. Obj. 2.° Ad *Rom.* IV, 3, dicitur : "Credidit Abraham Deo : et reputatum est illi ad justitiam." Ubi *credidit* idem est, ac si diceretur fiduciam habuit divinae misiricordiae. Nam eodem capite de ipso Abrahamo dicitur, v. 18 : "Qui contra spem in spem credidit..." Et inferius, v. 20 : "In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia...". Etiam in aliis locis fides ponitur pro fiducia seu confidentia. Ita *Marc.* XI, 24, dicitur : "Propterea dico vobis, omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis." Ubi *credite* idem est ac confidite ; non enim credere fide divina possumus nos res omnes esse accepturos, quas petimus. Item *Jac.* I, 6 : "Postulet autem in fide nihil haesitans." Et II *Paral.* XX, 20 : "Et credite in Domino Deo vestro, et securi eritis..."

Resp. Imprimis verba illa *qui contra spem in spem credidit*, ut elucet ex contextu, significant Abrahamum firmiter credidisse se futurum esse *patrem multarum gentium*, et hoc contra id, quod naturaliter eventurum erat, quum ipse et uxor ejus jam essent senes, et ipsa praeterea sterilis. Deinde *non haesitavit diffidentia*, i. e., nullum habuit dubium contra divinam revelationem, qua illi promiserat Deus ipsum futurum esse patrem multarum gentium ; nam in textu graeco pro diffidentia habetur ἀπιστία, seu incredulitas, quae opponitur fidei, non fiduciae. Et ratio, cur fides Abrahae esset omnino firma, indicatur ab Apostolo, quum dicit (vv. 20-21) : "Confortatus est fide, dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est, et facere." Deinde in locutione non *haesitavit diffidentia*, licet *diffidentia* accipiatur ut sonat, i. e., ut oppositum confidentiae seu fiduciae, nihil pro haereticorum sententia habetur ; nam haec fiducia, quae ex firmitate fidei exurgeret, non esset fiducia remissionis vel non imputationis peccatorum ; sed firma fiducia filii nascituri.

Ad textum S. Marci, XI, 24, dicendum est, ibi revera agi de fide, qua consequimur id quod petimus, dummodo petamus modo debito et ea, quae nobis sint convenientia. Nam ex contextu elucet agi de fide, dicitur enim v. 22 et sq. : "Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei." Hic agitur de ea fide tam firma, quae gignit fiduciam obtinendi miracula. Atque haec fides miraculorum, non est alia a fide proprie tali, qua credimus ea, quae a Deo revelata sunt propter auctoritatem ipsius Dei revelantis. Sic huic fidei attribuuntur miracula apud *Marcum* XVI, 17 et sq., quum dicitur : "Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur..." Et S. Paulus *I Cor.*, XIII, 2, dicit : "Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam..." Quare fides miraculorum non distinguitur ab alia fide proprie tali, nisi quatenus requirit specialem firmitatem, quae faciat eam aptam ad concipiendam fiduciam de consecutione miraculorum.

Textus S. Jacobi agit de fide, quae non modo excludit incredulitatem, sed etiam diffidentiam consequendi id, quod petitur. Ideoque exigitur fides talis, qua creditur Deum facere posse id quod petitur, et speratur illum esse hoc facturum, sicut legitur in *Matth.* IX, 28 : "Creditis quia hoc possum facere vobis? (sc. dare visum)."

Denique textus ex Paralipomenon de fide etiam loquitur: nam post verba allata, sequitur *credite prophetis;* prophetis vero debetur fides propter divinam revelationem quam accipiunt, non propter fiduciam.

571. Obj. 3.° In *Matth.* VIII, 26 legitur: "Et dicit eis Jesus: quid timidi estis modicae fidei?" Et inferius XIV, 30 et sq.: "Videns vero (Petrus) ventum validum, timuit; et cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum; et ait illi: modicae fidei, quare dubitasti?" In his locis fides dicitur modica propter timorem exortum; sed timor non opponitur fidei, sed fiduciae; ideoque fides, cui timor opponitur, videtur pro fiducia sumi. Hoc ipsum indicatur apud eumdem S. *Matth.* VI, 30; XVI, 8. Praeterea fortitudo tribuitur fidei ut *Hebr.* XI, 34, *1.ª Petr.* V, 9 etc.; sed videtur tribuenda fiduciae, et idcirco fides pro fiducia est accipienda.

Resp. Imprimis fides dicitur etiam modica, quia sit minus firma, et consequenter non impediat timorem; nam fides gignit fiduciam, et sic fides est radix fiduciae, et opponitur saltem mediate timori. Similiter magna fides tribuit fortitudinem, et disponit hominem ad magna facienda propter Christum.

572. Obj. 4.° Ad *Rom.* IV, 16, dicitur: "Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio..." Haec verba referuntur ad fiduciam de remissione vel non imputatione peccatorum. Ut autem habeatur haec remissio peccatorum vel non imputatio, necesse est, ut acceptetur ab illo, cui applicatur, sicut ut donatio sit valida, debet acceptari ab illo cui fit donatio. Et si quis non confideret sibi remitti peccata, faceret Deum mendacem secundum illud *S. Joannis* (*Epist. 1.ª* c. 5, v. 10): "Qui non credit Filio, mendacem facit eum..."

Resp. Conc. testimonium Pauli ad *Rom.* IV, 16: sed neg. ea, quae ex verbis S. Pauli deducuntur. Nam promissio non est specialis misericordiae, nec circa remissionem peccatorum; sed est promissio generalis respiciens omnes, ut omnes justificari possint propter merita Christi. Post verba enim citata, hoc dicitur: "Firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, qui pater est omnium nostrum... ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quae non sunt." Et promissio est firma non propter fiduciam remissionis peccatorum; sed ut dicitur v. 21, quia plenissime sciebat (Abraham), Deum posse facere, quae promisit. Promissio vero erat benedictio omnium gentium per semen Abrahae. Testimonium *S. Joannis* (V, 10) se refert ad illos, qui testimonium Dei non admittunt. Promissiones factae Abrahae habentur *Gen.* XII, 2 et sq.; XVIII, 17 et sq.; XXII, 16 et sq.

537. Obj. 5.° Fides non justificat, ut respicit in verbo Dei rerum gestarum historiam; quia talis fides non docet qua ratione ab ira Dei liberemur, sed potius auget pavores et desperationem inducit. Nec justificat, ut est comminatio poenarum; quia haec fides potius absterret, et a Deo fugere compellit; et fides justificans facit ad Deum accedere eumdemque quaerere. Nec justificat fides respiciens praecepta et leges; quia haec fides potius in desperationem ducit. Denique neque justificat fides promissionum generalium, quia tales promissiones non afferunt pacem, nisi

singulis applicentur. Sola igitur illa fides justificat, quae respicit promissionem salutis in speciali.

Resp. Nulla est fides vi cujus remittantur aut non imputentur peccata, dummodo firme confidatur aut quis sibi persuadeat peccata sibi esse remissa aut non imputanda. Protestantes eam fidem asserunt, sed eam in divina revelatione contineri non ostendunt. Potest quis certo credere sibi peccata esse remissa, si Deus vel Christus sibi hoc revelet, ut fecit cum paralytico (*Matth.*, IX, 2), et cum Maria Magdalena (*Luc.* VII, 47). Fides vero sive historica, sive minarum, sive mandatorum, sive promissionum generalium variis modis juvare potest ad justificationem consequendam; et omnino falsum est sive fidem factorum, sive minarum, sive mandatorum, sive promissionum generalium gignere pavores, desperationem, aversionem a Deo etc.

574. Obj. 6.° Christus remissionem peccatorum et salutem fiduciae tribuit. Nam in *Matth.* IX, 2, dicit Christus paralytico: "Confide fili, remittuntur tibi peccata tua." Et ibidem, v. 19, dicit etiam Christus mulieri fluxum sanguinis patienti: "Confide filia, fides tua te salvam fecit." Item in *Luc.*, XVII, 19, cuidam leproso dicit Christus: "Surge, vade: quia fides tua te salvum fecit." Praeterea in *I Joan.* V, 13, dicitur: "Haec scribo vobis: ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei."

Resp. Portantes paralyticum et ipse paralyticus sanitatem corporalem quaerebant, et ideo fidem dogmaticam habebant de potestate Christi ad sanandum, et ex Christi benignitate miraculum sperabant. Verum Christus ante largitionem sanitatis corporis, voluit dare paralytico sanitatem animae, et ad hoc beneficium recipiendum, excitabit illum ad confidentiam talis beneficii recipiendi. Sed hic nihil habetur de firma fiducia, qua secundum haereticos peccata remittuntur. Credendum est Christum excitasse paralyticum ad dolorem peccatorum, et ad habendam convenientem dispositionem, ut peccata ei remitterentur.

Factum mulieris fluxum sanguinis habentis, et leprosi ad rem non faciunt; quia agitur de miraculo, non de peccatis dimittendis.

Ad illud vero ex *Joan. vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei* dicendum est, habere vitam aeternam in spe, et re ipsa eam habituros esse, si credunt perseveranter, et eo modo, quo ad vitam aeternam consequendam credere oportet. Ibi autem, ut est manifestum, non agitur de fide circa peccatorum remissionem.

575. SCHOLION. *De his, quae ad justificationem consequendam credenda sunt.* De hac re dicit Conc. Vaticanum (1): "Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur." Profecto haec non ita accipienda sunt, ut

(1) *Sess. 3*, cap. 3 (Denz.-Bannwart, n. 1792).

requiratur fides explicita de singulis veritatibus revelatis; talis enim obligatio non ostenditur; aliunde esset impossibilis pro maxima parte fidelium, qui multa revelata ignorant, nec hanc ignorantiam depellere possunt. Tamen implicite omnes veritates revelatae ab omnibus credendae sunt; et qui veram fidem habent, implicite credunt omnia revelata; nam veritates revelatae propter idem motivum sunt credendae, scilicet propter auctoritatem Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Ideoque, qui unam veritatem revelatam credit, implicite credit omnia; quia eodem motivo omnes nituntur.

De necessitate medii duo certo credenda sunt, nimirum Deum *esse*, et remuneratorem esse. Innocentius XI enim hanc propositionem damnavit (1): "Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris."

Necessitate vero praecepti debent credi explicite, saltem quoad substantiam, Symbolum Apostolorum, oratio dominicalis et salutatio angelica, praecepta decalogi et Ecclesiae, et sacramenta, quae sunt necessaria.

Articulus II

Præter fidem ad justificationem alia requiruntur

576. Praemitt. 1.° Iam n. 557 actum est de dispositione seu praeparatione ad recipiendam gratiam sanctificantem; et ibidem haec dispositio divina est in physicam et moralem, et utraque declarata est. De physica dictum est non esse admittendam, et contrarium de morali, quae omnino admittenda est, ut probatur, quum ostenditur, quinam actus ad justificationem requiruntur. Dispositio in genere definiri potest, aliquid, quo subjectum perfecte vel imperfecte ponitur in statu convenienti ad recipiendum illud ad quod disponitur. Praeter divisionem in dispositionem physicam et moralem dividitur etiam in negativam et positivam. Dispositio negativa est illa, quae removet impedimenta ad recipiendum id ad quod ponitur praeparatio; et dispositio positiva est illa, quae in subjecto aliquid ponit physice vel moraliter, quod exigitur aliquo modo ad id,

(1) Prop. 22.ª (Denz.-Bannwart, n. 1172).

ad quod apponitur praeparatio. Item alia dispositio est proxima, alia remota (1). Dispositio proxima dicitur, quae perfecte disponit subjectum ad formam recipiendam, et ideo eodem instanti, in quo datur, recipitur forma. De hac loquitur Conc. Tridentinum, quum dicit (2): "Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur..." Et dispositio remota est illa, quae est insufficiens, ut forma recipiatur, nisi alia dispositio addatur. Attritio est dispositio remota, de qua dicit Tridentinum (3): "Et quamvis sine sacramento paenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat..." Dispositio remota est duplex: altera, quae per se requiritur in adultis ad justificationem consequendam, ut sunt actus fidei et spei; altera, quae per se non requiritur neque in adultis, sed si adsit, juvat ad justificationem obtinendam, ut sunt actus eleemosynae, aliique.

577. Praemit 2.° Concilium Tridentinum ad justificationem obtinendam plures actus enumerat (4), videlicet: "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem *ex auditu* (*Rom.* X, 17) concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, *per redemptionem, quae est in Christo Jesu* (*Rom.* III, 24); et, dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam paenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata."

578. Praemitt. 3.° *Sententia haereticorum et catholicorum.* Haeretici saeculi decimi sexti, ut docet B. Bellarminus, omnes in hoc consentiunt, quod sola fides justificat, licet in aliquibus ad

(1) Vide S. Thomam, *1. 2.*, q. 112, a. 2, ad 1.
(2) *Sess.* 14, *De paenitentia*, cap. 4 (Denz.-Bannwart, n. 898).
(3) Loco paulo antea citato.
(4) *Sess.* 6, cap. 6 (Denz.-Bannwart, n. 798).

justificationem aliquo modo spectantibus differant: B. Bellarminus in tribus eos differre asserit. Verum, quum Lutherus et Calvinus doceant, ut dictum est supra n. 558, omnes actus hominis lapsi esse peccata saltem venialia, nullus actus hominis potest esse dispositio ad justificationem. Catholici vero admittunt necessitatem fidei, ut jam probatum est; sed praeterea requirunt etiam actus voluntatis.

THESIS I. Ad justificationem consequendam sola fides non sufficit; sed præterea actus voluntatis requiruntur

Prima pars hujus theseos est de fide ex Conc. Tridentino dicente (1): "Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi: A. S." Et 2.ª pars saltem est omnino certa ex eodem Tridentino, cap. 6, transcripto n. 577.

579. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex Scriptura. Jac.* II, 14 et sq. dicitur: "Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?... Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa... Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?... Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est." Et *I Cor.* XIII, 2: "Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum." *Eccli.* I, 27, legitur: "Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari." Item *Ezech.* XVIII, 21: "Si autem impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium, et justitiam: vita vivet, et non morietur." Et *Luc.* XIII, 3: "Sed nisi paeni-

(1) *Sess.* 6.ª, can. 9 (Denz.-Bannwart, n. 819).

tentiam habueritis, omnes similiter peribitis." Rursus *Act. A.* II, 38: "Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum." Denique ad *Galatas* V. 6, dicitur: "Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per caritatem operatur."

580. 2.° *Ex Conciliis.* Conc. Tridentinum docet (1): "Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, *fidem sine operibus mortuam* (*Jac.* II, 17 et sq.) et otiosam esse..." Et Conc. Senonense vel Parisiense, decreto 16 statuit (2): "Fide quidem vivimus, et sine hac impossibile est placere Deo. Si quis nihilominus habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, caritatem autem non habuerit, nihil est. Fide justificamur, sed spe salvi facti sumus... Quandoquidem fides sine operibus mortua est. Tum demum utilis est ad salutem, cum per dilectionem operatur."

581. 3.° *Ex PP.* S. Gregorius Naz. dicit (3): "Decimo et postremo loco, super hoc dogmatum fundamento bona opera extrue; quandoquidem *fides sine operibus mortua est*, quemadmodum et opera, si fides absit." Et S. Cyrillus Alex. (4); "Nec enim, o homo, dixeris tecum ipse: dives sum fide, agnovi eum qui natura vereque Deus est et Dominus, explicui me a diaboli retibus et daemoniaca fraude, purgavi crimina idololatriae. Licet mihi tuto de benevolentia Dei gloriari. Memineris nempe dicentis: "Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?"

Similiter S. Hieronymus inquit (5): "Frustra nobis in eo plaudimus, cujus mandata non facimus. Scienti bonum, et non facienti illud, peccatum est. *Quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est.* Nec grande putemus unum Deum nosse, cum et daemones credunt et contremiscunt."

(1) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 800).
(2) Mansi, *S. Conciliorum nova et ampliss. collectio*, tom. 32, col. 1177. Hoc Concilium inchoatum fuit anno 1527.
(3) *Orat.* 40, *in Sanctum Baptisma*, n. 45 (M. G. 36, 426).
(4) *Homil. paschalis 11* (M. G. 77, 646).
(5) *L. 2 contra Jovinianum*, n. 2 (M. L. 23, 283).

Et S. Augustinus ita loquitur (1): "Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem." Et iterum ipse S. Doctor (2): "Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non est prodesse." Denique ipse S. Augustinus haec habet (3): "Homines autem non intelligentes, quod ait ipse Apostolus (*Rom.* III, 28), *arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis;* putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, et bona opera non habeat. Quod absit ut sentiret Vas electionis: qui cum dixisset quodam loco, *in Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium;* mox addidit, *sed fides quae per dilectionem operatur* (*Gal.* V, 6). Ipsa est fides quae fideles Dei separat ab immundis daemonibus: nam ipsi, sicut dicit apostolus Jacobus, *credunt et contremiscunt* (*Jac.* II, 19); sed non bene operantur. Non ergo habent istam fidem ex qua justus vivit, id est, quae per dilectionem operatur, ut reddat ei Deus vitam aeternam secundum opera ejus."

582. Prob. 2.ª p. *Requiritur timor.* Imprimis timorem esse utilem ad justificationem constat ex Tridentino. Hoc Concilium statuit (4): "Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: A. S." Et idem Concilium etiam decernit (5): "Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis *recogitat annos suos in amaritudine animae suae* (*Is.* XXXVIII, 15), ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium: A. S."

In testimoniis allatis loquitur Tridentinum de timore poenae. Timor, de quo hic agitur, est actus voluntatis liber, fugiens malum quod imminet vel ut imminens apprehenditur. Timor in hoc loco solum accipitur, quatenus aliquo modo timetur Deus. Hic

(1) *Sermo 119*, c. 11, n. 13 (M. L. 38, 923).
(2) *De Trinitate*, l. 15, c. 18, n. 32 (M. L. 42, 1083).
(3) *De gratia et libero arbitrio*, c. 17, n. 18 (M. L. 44, 892).
(4) *Sess. 6*, can. 8 (Denz.-Bannwart, n. 818).
(5) *Sess. 14*, can. 5 (Denz.-Bannwart, n. 915).

timor dicitur *simpliciter servilis*, si ita fugit malum poenae, ut non includat neque implicite voluntatem peccandi, si poena abesset. Hic timor est licitus et honestus, ut eruitur ex testimoniis Tridentini allatis. Timor vero serviliter servilis est ille, qui magis fugit a poena quam a culpa, ideo est malus, quum voluntatem peccandi includat. Timor dicitur *filialis*, si fugit a culpa quatenus est offensa Dei; et si non continet fugam a poena, sed tantum a culpa, dicitur timor *filialis perfectus;* si vero etiam continet fugam a poena, dicitur timor *filialis imperfectus* (1).

Prob. necessitas timoris. Haec necessitas indicatur in *Eccli.* I, 27, supra adducto, ubi asseritur: "Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari." Et in *Proverb.* XIV, 27, dicitur: "Timor Domini fons vitae." Et Tridentinum inter actus ad justificationem concurrentes ponit (2) timorem. S. Augustinus dicit (3): "Rarissime quippe accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus." Et idem S. Doctor etiam dicit (4): "Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est." Iterum S. Augustinus inquit (5): "Opus est ergo ut intret timor primo, per quem veniat caritas." Et S. Gregorius M. ita loquitur (6): "Quia nimirum prava mens si non prius per timorem evertitur ab assuetis vitiis, non emundatur."

Denique admitti nequit, quod docebant Lutherus et Calvinus, videlicet nulla opera posse esse dispositiones ad justificationem, quia omnia opera hominis lapsi sint saltem peccata venialia; nam sola ratio naturalis demonstrat hominem esse liberum, ideoque naturaliter posse bene et male agere. Ex eo autem, quod libertate careat, sequitur hominem esse impeccabilem, et posse se omnibus vitiis tradi.

Animadvertendum est timorem non esse ita necessarium, ut sine illo justificatio haberi non possit; nam quis cum fide perfectam caritatem habere potest sine transitu per timorem. Ideoque justi-

(1) Vide S. Thomam, 1. 2., q. 25 et sq.; q. 41 et sq.; 2. 2., q. 19, et q. 125; et 3 p., q. 85, a. 5. Vide etiam Wirceburgenses, *De spe*, cap. 2, a. 2, n. 262.
(2) *Sess. 6*, cap. 6 (Denz.-Bannwart, n. 718).
(3) *De catechizandis rudibus*, cap. 5, n.9 (M. L. 40, 316).
(4) *Enarrat. in Ps.* 127, n. 8 (M. L. 37, 1682).
(5) *Tractatus IX in Epist. 1am. S. Joannis*, n. 4 (M. L. 35, 1048).
(6) *Homil. in Evangelia*, l. 2, *homil.* 34, n. 6 (M. L. 76, 1249).

ficari potest sine timore; quia perfectae caritati infallibiliter conjungitur gratia sanctificans. Et sic Conc. Tridentinum dicit (1): "A divinae justitiae timore, quo *utiliter* concutiuntur..." Hoc vocabulum *utiliter* videtur excludere necessitatem absolutam timoris ad justificationem consequendam,

583. *De aliis actibus ad justificationem concurrentibus* (2): *De spe.* Concilium Tridentinum indicat necessitatem spei, quum illam ponit (3) inter actus, qui ad justificationem concurrunt. Et paulo inferius (4) dicit: "Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit." Et eadem sessione etiam dicit (5): "Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: A. S." Rursus sess. 14 asserit (6) contritionem *cum fiducia divinae misericordiae* debere conjungi, et attritionem, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum.* Et hoc ipsum innuit S. Scriptura. In *Ps. XXXVI*, 40, dicitur: "Et salvabit eos: quia speraverunt in eo." Item *Ps. XC*, 14: "Quoniam in me speravit, liberabo eum." Et *Matth.* IX, 2: "Confide fili, remittuntur tibi peccata tua." Ad *Rom.* VIII, 24: "Spe enim salvi facti sumus." Denique *I Joan.* III, 3: "Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est."

Id ipsum suadent PP. S. Ambrosius inquit (7): "Nemo enim potest bene agere paenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam." Et S. Augustinus (8): "Cantando aedificatur (domus Dei), credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur." Item ipse S. Augustinus (9): "Quidquid narras ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet."

Ratio id ipsum suadet: quia, quum homo sciat suis viribus justificationem et vitam aeternam non posse consequi, non serio conabitur justificationem et vitam aeternam consequi, nisi sincere speret

(1) *Sess. 6*, cap. 6 (Denz.-Bannwart, n. 798).
(2) S. Thomas, *1. 2.*, q. 113, a. 5.
(3) Eodem loco proxime citato.
(4) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 800).
(5) Can. 3 (Denz.-Bannwart, n. 813).
(6) Cap. 4 (Denz.-Bannwart, nn. 897, 898).
(7) *De paenitentia*, l. 1, c. 1, n. 4 (M. L. 16, 486).
(8) *Sermo XXVII*, cap. 1, n. 1 (M. L. 38, 178).
(9) *De catechizandis rudibus*, c. 4, n. 8 ad finem (M. L. 40, 316).

Deum illi daturum esse justificationem et vitam aeternam et omnia media necessaria ad id consequendum.

Ex dictis sequitur spem requiri ad justificationem consequendam. Verum potest per caritatem suppleri; nam si quis antequam actum spei eliciat, ex bonitate Dei eliciat actum amoris Dei super omnia, et ex eodem amore peccatum detestetur, certe justificabitur sine actu formali spei. Non tamen sine virtuali, qui in caritate continetur; nam qui amat Deum super omnia, et eo ipso detestabitur peccatum ut contrarium Deo, et implicite et virtualiter sperabit justificationem a Deo, quum propter Deum omnia relinquere paratus sit. Actus amoris Dei super omnia sub directione fidei ad justificationem sufficit; verum qui talem Dei amorem habet, si suorum peccatorum recordetur, ex eodem amore ea detestabitur. Nihilominus in conversione infidelis ad fidem vix concipitur, ut fiat sine formali actu spei. Facilius hoc evenire potest in conversione peccatoris veram fidem habentis (1).

584. *De dilectione caritatis.* Dicitur in *Evang. S. Lucae*, VII, 47: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum." Et in *Joan.*, XIV, 21: "Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum." Et eodem loco, v. 23: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud faciemus." Item *I Cor.* XIII, 2, reperitur: "Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem non habuero, nihil sum." Rursus *Galat.* V, 6: "Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per caritatem operatur." Denique *I Joan.* IV, 7, habetur: "Omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est." Ex testimoniis allatis infertur caritatem non modo ad justificationem disponere, sed cum ipsa justificatione conjungi; nam de diligente Deum, asseritur ipsum a Patre diligi, et in illo mansionem facturos esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

De paenitentia. Ezech. XVIII, 21, dicitur: "Si autem impius

(1) Suarez, *De gratia*, l. 8, c. 19; Valencia, In I. 2., d. 8, q. 5, punct. 4, §. 1; Tanner, *De gratia*, d. 6, q. 4, dub. 3, n. 66; Salmanticenses, *De gratia, De justificatione impii*, d. 3, dub. 1, § 4; Gonet, *De gratia*, d. 1, *de justificatione*, a. 7, n. 165; Muniessa, *De gratia*, d. 20, s. 3, n. 22; Herrmann, *De divina gratia*, p. 2, s. 2, cap. 2, n. 937, etc.,

egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium, et justitiam: vita vivet, et non morietur." Et *Luc.* XIII, 5: "Sed si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis." Item *Act. Ap.* II, 38: "Paenitentiam agite (dicit S. Petrus), et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum Spiritus Sancti." Et eodem loco, XI, 18: "Ergo et gentibus paenitentiam dedit Deus ad vitam." Rursus *II Cor.* VII, 10: "Quae enim secundum Deum tristitia est, paenitentiam in salutem stabilem operatur." Denique *Apoc.* II, 5: "Memor esto itaque unde excideris: et age paenitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi paenitentiam egeris (1)."

Denique requiritur *propositum suscipiendi baptismum, inchoandi novam vitam et servandi mandata;* quia ille, qui justificatur ad haec facienda obligatur; et nisi haberet, saltem implicite et in dispositione, voluntatem haec omnia praestandi, inveniretur in statu peccati, et justificari non posset. Atque in statu Novae Legis requiritur etiam sacramentum paenitentiae, saltem in voto, pro illis, qui jam sunt baptizati, et post susceptionem baptismi graviter peccarunt. Haec omnia requiri constat ex testimonio *Ezech.* XVIII, 21, paulo antea adducto. Et in *S. Joan.* XIV, 23 dicitur: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit..."

585. Actus enumerati, scilicet fides, timor, spes, caritas, paenitentia, propositum non peccandi, novae vitae instituendae et servandi mandata, communiter dantur et requiruntur in justificatione ordinaria; tamen absolute omnes hi actus non requiruntur. De timore et spe jam dictum est. Caritas perfecta non est necessaria pro illis, qui justificantur per susceptionem sacramenti baptismi vel paenitentiae. Deinde propositum non peccandi, novae vitae instituendae et servandi mandata continentur virtualiter in amore perfectae caritatis. Fides semper est necessaria, et similiter caritas perfecta, si quis extra sacramentum justificetur. Paenitentia vero formalis est etiam semper necessaria, nisi detur casus, in quo quis eliciat actum perfectae caritatis, et non cognoscat se habere

(1) Vide S. Thomam, *3.ª, p.*, q. 86, a. 2; *Contr. gent.*, l. 3, c. 158; *De veritate*, q. 28, a. 5, ad 1.

peccatum mortale; si hoc eveniat, justificabitur sine formali paenitentia. Verum si quis peccatum detestetur ex perfecto amore caritatis, non est necessaria alia paenitentia ad justificationem acquirendam.

THESIS II. Fides et reliqui actus concurrentes ad justificationem sunt veræ dispositiones ad illam; et libere debent elici

586. Nota. Thesis duas partes complectitur. 1.ª pars, est actus ad justificationem requisitos non se habere tantum negative, seu ut removentes impedimenta, neque ut merae conditiones sine praeparatione et dispositione vere positiva; sed revera facere subjectum aptum et praeparatum ad gratiam sanctificantem recipiendam; non certe ex condigno, vel ex justitia; verum utique ex vera congruitate et convenientia, et ideirco ex quadam exigentia, quae ab actibus dispositionis provenit. 2.ª pars est, actus ad justificationem disponentes libere esse eliciendos. Utraque pars theseos est de fide. 1.ª p. ex Conc. Tridentino dicente (1): "Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praepari atque disponi: A. S." De 2.ª p. etiam ex eodem Tridentino constat, quum docet (2): "Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: A. S."

587. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex Scriptura.* Hoc probant testimonia supra adducta, ut textus *Eccli.* I, 27; *Ezech.* XVIII, 21: *I Joan.* III, 3. Nam in loco laudato ex Ecclesiastico dicitur *timor Domini expellit peccatum,* quod certe verum influxum significat ad peccatum expellendum, et consequenter in gratiam justificantem, qua peccatum expellitur. Similiter in *Ezech.*, paenitentia et alia bona opera indicantur esse causam moralem vitae, et ideo justificationis. Et in *I Joan. spei* tibuitur sanctificatio, ac proinde esse causam

(1) *Sess. 6.* can. 9 (Denz.-Bannwart, n. 819).
(2) *Eadem sessione 6.ª*, can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 814).

moralem ipsius. Iterum de paenitentia dicitur (*Act. A.* XI, 18): "Ergo et gentibus paenitentiam dedit Deus ad vitam." Et de dilectione elucet ex *Luc.* VII, 47, ubi reperitur: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum." Et de fide simul et de caritate ex *Gal.* V, 6: "Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per caritatem operatur." Unde similiter arguitur in favorem propositi novae vitae instituendae et servandi mandata; atque hoc ipsum infertur pro oratione, eleemosyna ceterisque virtutum actibus, quibus homo ad justificationem praeparetur.

Speciatim de fide ostenditur eam verum influxum in justificationem habere. Ad *Rom.* III, 28-30, legitur: "Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis (mosaicae)... Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem." Et V, 1: "Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum." Item ad *Ephes.* II, 8: "Gratia enim estis salvati per fidem..." Jam vero praepositiones *ex* et *per* applicatae fidei, hujus veram causalitatem in re praesenti, licet moralem tantum, significant. Id ipsum suadetur ex Epist. ad *Hebr.* XI, 33, ubi habetur: "Qui (antiqui patriarchae et prophetae) per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum..." Et iterum *Rom.* IV, 5: "Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam..."

588. 2. *Ex PP.* Fidem et alios actus ad justificationem concurrentes verum influxum in illam habere probant PP. adducti nn. 562, 581 et 583. Id ipsum confirmatur ex S. Ignatio dicente (1): "Fides autem vestra vos sursum trahit, caritas vero via deducens ad Deum." Et Clemens Romanus inquit (2): "Videamus, justos omnes bonis operibus ornatos fuisse... totis nostris viribus opus justitiae operemur." Item eodem loco (3): "Beati sumus, dilecti, si praecepta Domini in caritatis concordia impleverimus, ut per caritatem peccata nostra nobis remittantur." S. Ambrosius ita loquitur (4): "Peccatum non tollitur nisi lacrymis et paeniten-

(1) *Epist. ad Ephes.*, c. 9, n. 1 (Funk), *PP. Apostolici*, pag. 221.
(2) *Epist. ad Cor.*, c. 33, nn. 7 et 8, *PP. Apostolici* (Funk, pag. 141, edit. 2.ª).
(3) Cap. 50, n. 5, pag. 165.
(4) *Epist. 51 ad Theodosium*, n. 11 (M. L. 16, 1212).

tia." Denique S. Leo M. (1): "Quamvis enim magnum sit habere fidem rectam sanamque doctrinam, et multa laude digna sit circumcisio gulae, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudae sunt tamen omnes sine caritate virtutes..."

589. 3.° *Ex Conc. Tridentino.* Hoc Concilium (2) asserit per actus virtutum homines ad justificationem disponi; hoc vero vocabulum, aliquid positivum significat respectu justificationis. Et idem Concilium dicit (3): "Hanc dispositionem seu praeparationem (per varios virtutum actus) justificatio ipsa consequitur,.."; ideoque ipsa justificatio ponitur ut effectus moralis actuum ad ipsam disponentium. Denique eadem sessione (4) repetit hominem praepari et disponi ad justificationem. (5).

590. 2.ª p. seu *actus, quibus homo ad justificationem se praeparat, debent esse liberi.*

1.° *Ex S. Scriptura. Prov.* XVI, 1, dicitur: "Hominis est animam praeparare." Et *Is.* XXXI, 6: "Convertimini sicut in profundum recesseratis Filii Israel." Item *Ezech.* XVIII, 30: "Convertimini, et agite paenitentiam..." Rursus *Joel.* II, 12: "Convertimini ad me in toto corde vestro..." Similiter *Zach.* I, 3: "Convertimini ad me, ait Dominus exercituum." Iterum *Matth.* III, 2: "Paenitentiam agite..." Denique ex *Apoc.* id ipsum probatur. III, 20: "Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum..."

591. 2.° *Ex S. Augustino et ratione.* S. Augustinus inquit (6): "Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem." Ratione etiam suadetur. **1.°** Natura humana praedita est libertate et postulat in suis actionibus, libere agere. Ergo in actionibus, quibus ad justitiam praeparamur, quae homini ut tali conveniunt, liber esse debet. **2.°** Peccatum ab homine libere committitur. Ergo ejus conversio ad Deum libera debet esse, sicut fuit recessio. **3.°** Per justificatio-

(1) *Sermo 48, c.* 3 (M. L. 54, 293).
(2) *Sess. 6, cap.* 5, (Denz.-Bannwart, n. 797); Et *eadem Sess.*, cap. 6, n. 798.
(3) *Eadem sessione*, cap. 7, n. 799.
(4) Can. 4 et can. 9 (Denz.-Bannwart, nn. 814 et 819).
(5) Haec 1.ª p. theseos inferius sub alio aspectu iterum probabitur, sc. quatenus possumus justificationem mereri de congruo.
(6) *Sermo 169, c.* 11, n. 13 (M. L. 38, 923).

nem homo amicitiam cum Deo contrahit. Amicitia vero oportet, ut sit voluntaria et libera (1).

592 Obj. 1.° S. Paulus asserit hominem sine operibus legis justificari. Dicit enim (*Rom.* III, 20): "Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo." Et eodem loco, v. 28: "Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis." Et idem affirmat ad *Galat.* II, 16. Immo simpliciter excludit opera a justificatione, quum dicit (*Rom.* IV, 2): "Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non aput Deum." Et XI, 6: "Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia (2)." Accedit quod ad *Rom.* III, 27, innuit hominem justificari non per *legem factorum*, sed per legem fidei. Jam vero haec omnia ex S. Paulo adducta significare videntur, opera justificationi non inservire.

Resp. 1.° Nullo modo S. Paulus excludit alia opera supernaturalia praeter fidem ut ad justificationem concurrentia; nam dicit (*I Cor.* XIII, 2): "Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum." Et alibi (*Gal.* V, 6): "Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per caritatem operatur." Profecto S. Paulus S. Scripturas ut omnino veraces admittebat, et ex S. Scriptura constat omnes actus, quos Tridentinum ut conducentes ad justificationem recenset, revera esse tales, ut antea de singulis probatum est. S. Paulus opera, quibus lex custoditur, bona esse indicat. Sic dicit (*Rom.* II, 13): "Factores legis justificabuntur." (3). Et inferius, v. 26: "Si igitur praeputium (i. e. habens praeputium) justitias legis custodiat: nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur?" Item eodem loco, cap. VIII, v. 4: "Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum." (4). In his autem testimoniis opera hominis probantur ut bona a S. Paulo, et quibus lex observatur. Quod si illa opera, quae supponuntur supernaturalia, sunt bona post justificationem, similiter, quum sint supernaturalia, erant bona ante justificationem, et ad ipsam disponentia, licet non essent meritum condignum.

Resp. 2.° In illis testimoniis, in quibus asseritur hominem non justificari ex operibus legis, excluduntur ea opera, quae sint naturalis observantia legis mosaicae sine gratia: minime vero excluduntur opera gratiae, quum ipse Apostolus dicat (*Rom.* III, 24): "Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu..." Et *I Cor.* XV, 10: "Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum..." Deinde textus illi, in quibus excluduntur *opera* pro justificatione, excluduntur omnia opera ordinis naturalis, sive sint secundum legem mosaicam, sive non. Justificatio vero dicitur fieri per fidem, hoc est, per fidem, quam

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 113, aa. 3 et 5; Suarez, *De gratia*, l. 8, c. 8; Tanner Disp. 6, *de gratia*, q. 4, dub. 3, nn. 74 et 75.
(2) Hoc ipsum indicatur *Rom.* IV, 4; IX, 12; *Ephes.* II, 8, 9; *II Tim.* I, 9; *Tit.* III, 5.
(3) Vide S. Augustinum, *De spiritu et littera*, c. 26, n. 45 (M. L. 44, 228).
(4) Vide commentarium P. Cornely in *Epist. ad Rom.* III, 13 et 26; VIII, 4.

docuit Jesus Christus, in qua doctrina speculativa et practica continetur. Unde Apostolus dicit (*Rom.* V, 18): "Et per unius (Jesu Christi) justitiam in omnes homines in justificationem vitae." Et *Act. A.* IV, 12: "Et non est in alio aliquo salus." Quod vero doctrina Christi sit speculativa et practica ex Evangeliis manifestissimum est (1).

S. Augustinus opera, quae ab Apostolo excluduntur, intelligit esse opera, quae fidem praecedunt, et non fiunt ex gratia. Sic dicit (2): "Ea enim ipsa opera quae dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnae vires et cursus celerrimus praeter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, et intentionem fides dirigit." Et ipse Augustinus sic loquitur (3): "Quoniam ergo haec opinio (de fide sine operibus) tunc fuerat exorta, aliae apostolicae epistolae, Petri, Joannis, Jacobi, Judae, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer astruant fidem sine operibus non prodesse: sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: *et fides*, inquit, *quae per dilectionem operatur* (*Gal.* V, 6)" (4).

Ratio, cur justificatio fidei tribuitur, secundum Tridentinum est (5): "Quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, *sine qua impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6)." Et S. Augustinus hanc rationem (6) tribuit Apostolo, nimirum: "Ex fide autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus (*Gal.* II, 16), quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur (7)."

Denique id quod additur de *lege factorum* et de lege fidei; accipiendum est de *lege operum* (8), et de ipsa fide, et de iis, quae sub fide speculative et practice continentur. Hoc jam sequitur ex dictis. Apostolus vero asserit gloriationem judaeorum excludi per legem fidei; quia homines non justificantur per legem mosaicam, de qua gloriabantur judei, sed per fidem et gratiam Christi. B. Bellarminus hanc rem secundum doctrinam (9) S. Augustini ita explicat (10): "Lex igitur factorum apud Apostolum est ea, quae jubet quid sit faciendum: lex fidei est ipsa fides, quae impetrat gratiam faciendi, quod lex factorum jubet. Itaque utraque lex requirit opera, sed lex factorum continet praeceptum, lex fidei auxilium. Lex

(1) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 8, c. 22.
(2) *Enarratio in Ps. 31, sermo ad plebem*, n. 4 (M. L. 36, 259).
(3) *De fide et operibus*, c. 14, n. 21 (M. L. 40, 211).
(4) Vide *De gratia et liber. arbit.*, cap. 7, n. 16 (M. L. 44, 891).
(5) *Sess. 6*, c. 8 (Denz.-Bannwart, n. 801).
(6) *De praedestinatione sanctorum*, cap. 7, n. 12 (M. L. 44, 969).
(7) P. Beraza, de hac re sic loquitur (*De gratia Christi*, p. 3.ª, s. 1, cap. 2, n. 665): "Multiplex est ratio cur justificatio in Sacris Litteris potissimum adscribatur fidei: a) quia fides demonstrat Christum, qui est via, veritas et vita. b) Quia fides est initium salutis, justificationem inchoans. c) Quia fides est fundamentum, totam justificationis fabricam sustentans. d) Quia fides est radix, in qua quasi in germine continetur nostra justitia, et sub cujus influxu crescit et maturatur haec planta. e) Quia reliquae dispositiones ex fide sponte sua nascuntur."
(8) Graece pro *factorum* habetur ἔργων.
(9) *De spiritu et littera*, c. 13, n. 21 et sq. (M. L. 44, 213).
(10) *De justificatione*, l. 1, c. 19.

factorum praestat, ut cognoscamus, lex fidei facit, ut faciamus. Lege factorum dicit Deus, fac quod jubeo, lege fidei dicimus Deo, da quod jubes. Denique lex factorum est littera, quae occidit jubendo, et non juvando, lex fidei est spiritus qui vivificat opem ferendo, ut justificatio legis impleatur in nobis. Ex quo sequitur, ut non solum lex Moysis, sed etiam lex Christi, quatenus aliquid imperat, sit lex factorum, et lex fidei sit spiritus fidei, non solum quo nos christiani, sed etiam Patriarchae et Prophetae et omnes antiqui justi Dei gratiam impetrarunt, et justificati gratia per eamdem gratiam legis mandata servarunt."

593. Obj. 2.° Sunt plura testimonia in quibus sine ulla operum mentione salus et justificatio tribuitur fidei. Sic *Matth.* IX, 22, *Luc.* VII, 50, dicitur: "Fides tua te salvam fecit." Item *Luc.* XVII, 19, et XVIII, 42: "Fides tua te salvum fecit." Et *Rom.* V, 1: "Justificati ex fide."

Sunt etiam alia testimonia, in quibus salus et justificatio tribuitur *credenti*. *Luc.* VIII, 50, legitur: "Noli timere, crede tantum, et salva erit." *Joan.* I, 12: "Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus." Et iterum *Joan.* III, 15: "Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam." *Act. A.* X, 43: "Remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum." Rursus *Act. A.* XIII, 39: "In hoc (in Christo) omnis, qui credit, justificatur." *Rom.* I, 16: "Virtus enim Dei est in salutem omni credenti..." Item *Rom.* X, 11: "Dicit enim Scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur." Denique *I Joan.* V, 1: "Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est."

Sunt quoque alii textus, quibus indicari videtur per fidem accipere incrementum justificationem. *Rom.* I, 17: "Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: justus autem ex fide vivit." Et haec ipsa phrasis repetitur *Hab.* II, 4: *Gal.* III, 11; *Hebr.* X, 11.

Resp. 1.° Nullus ex textibus allatis, ut consideranti illos erit manifestum, loquitur de fide in sensu haereticorum. In nonnullis textibus ex allatis sermo est de miraculis, non de peccatis dimittendis, nec de justificatione. *Luc.* VIII, 50, ubi reperitur vocabulum *tantum*, agitur de miraculo patrando per suscitationem puellae; Christus vero ad hoc miraculum efficiendum solam fidem exigere potuit.

2.° Etiam aliis virtutibus, non tantum fidei, tribuitur salus vel justificatio sine aliarum virtutum mentione. *Tob.* IV 11, legitur: "Quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat..." *Eccli.* I, 27: "Timor Domini expellit peccatum..." *Luc.* VII, 47: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum." *Rom.* 8, 24: "Spe enim salvi facti sumus." Et *Tit.* III, 5: "Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis..." Tamen ex his non colligitur eleemosynam, timorem, dilectionem, spem, baptismum ad justificationem sine fide sufficere.

3.° Quum variae causae ad eumdem effectum concurrunt, S. Scriptura effectum jam uni, jam alteri causae tribuit; verum inde non recte deducitur illam solam causam sufficere; sed tantummodo illam causam ad effectum producendum tendere, et illum producere, si alia necessaria adsint. Ratio vero cur Apostolus fidei tribuit saepius justificationem, jam antea posita est. Quare, quum Apostolus dicit *omnis qui credit, justificatur* vel

alia his similia, nullo modo significatur sufficere fidem ad justificationem, quum ipsa fides doceat alia praeter ipsam esse necessaria. Sic legitur *Eccli.* II, 11: "Nullus speravit in Domino et confusus est." Et nemo inde inferet solam spem salvare. Idcirco *omnis qui credit, justificatur*, ideo dicitur, quia fides est omnino necessaria ad justificationem, et si cum illa conjungantur alia, quae ipsa fides requirit, re ipsa erit justificatio. Apposite (1) S. Augustinus: "Multi enim dicunt, *credo;* sed fides sine operibus non salvat." Et ipse S. Augustinus dicit (2): "Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium... gratuitum donum Dei esse fateamur..." Juxta S. Augustinum igitur fides non est nisi *initium* justificationis, non tota ipsius ratio.

Denique textus ille, sc.: "Justitia enim Dei in eo (credenti) revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: justus autem ex fide vivit"; variis modis exponitur. S. Augustinus sic illum declarat (3): "*Justitia*, inquit, *Dei manifesta est*: non dixit, justitia hominis, vel justitia propriae voluntatis; sed, *justitia Dei*, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium." Et inferius: "Et haec est fides, ex qua et in quam revelatur, ex fide scilicet annuntiantium, in fidem oboedientium: qua fide Jesu Christi, id est, quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, pleniusque futurum esse quod juste vivimus." Haec interpretatio S. Augustini, quatenus justitiam Dei accipit de illa justitia, quam Deus homini in ejus justificatione communicat, admittenda esse videtur. Verum respectu illorum verborum *ex fide in fidem* videtur probabilior illa explicatio, quae illa verba declarat per progressum a fide imperfecta ad fidem perfectiorem non solum per fidem, sed etiam per bona opera. Item illa verba *justus ex fide vivit* videntur accipienda, quatenus sub directione fidei vitam et conservat et auget. Fidem autem vitam habentem conjungi cum operibus necesse est: nam *Jac.* II, 17, asseritur fidem sine operibus esse mortuam (4).

594. Obj. 3 "Homines justificantur gratis, ut dicit Apostolus (*Rom.* III, 24): "Justificati gratis per gratiam ipsius..." Ergo justificatio nulla opera requirit.

Resp. Conc. ant. et dist. cons.: justificatio nulla opera ordinis naturalis requirit, conc.; nulla requirit opera ordinis supernaturalis, neg. Jam probatum est ad justificationem requiri fidem, quae est quoddam opus supernaturale, et praeter fidem alia quoque opera esse necessaria. Justificatio dicitur fieri gratis; tum quia prima gratia omnino datur gratis, quum opera naturalia ad justificationem nihil valeant; tum quia ad justificationem non datur meritum condignum, seu ex quadam justitia, sed dispositiones positivae, quae justificationem non requirunt nisi ex quadam convenientia et congruentia. Unde Conc. Tridentinum dicit (5): "Gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justifica-

(1) *Tractat. 10 in Epist. 1am Joann.*, n. 1 (M. L. 35, 2054).
(2) *Epist. 194 ad Sixtum*, cap. 3, n. 9 (M. L. 33, 877).
(3) *De spiritu et litt.*, cc. 9 et 11, nn. 15 et 18 (M. L. 44, 209, 211).
(4) Vide plura apud R. Bellarminum, *De justificatione*, l. 1, cc. 20 et 22; apud F. Suarez, *De gratia*, l. 8, c. 21.
(5) *Sess. 6*, c. 8 (Denz.-Bannwart, n. 801).

tionem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur."

595. Obj. 4.° Salus tribuitur verbo Dei; sed verbum Dei suscipitur credendo, sive per fidem. Ergo sola fides justificat. Prob. Maj. *Ps.* CVI, 20. dicitur: "Misit verbum suum, et sanavit eos." Et *Joan.* XV, 3: "Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis (1)." Dicitur etiam fidem exinaniri, et evacuari a Christo, si ex lege vel in lege fiat justificatio. Ideoque sola fides justificat. Assertum prob. Dicitur enim *Rom.* IV, 14: "Si enim qui ex lege, heredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio." Et *Galat.* V, 4: "Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini. (2)."

Resp. Ad primum argumentum, dist. maj.: salus tribuitur verbo Dei, praecise illud audiendo tantum, neg.; illud audiendo, et exercendo quod illud postulat, conc. Ad min. etiam dist.: verbum Dei suscipitur credendo, sed ita ut non sufficiat ad salutem tantum credere, sed ulterius necesse sit ponere ea opera, quae a verbo Dei seu S. Scriptura exiguntur, conc.; aliter neg. Jam probatum est ad justificationem requiri fidem et alia opera. Dicit Christus apud *Matth.* XIX, 17: "Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata." Et apud *Joan.* XIV, 15: "Si diligitis me, mandata mea servate."

Ad alterum argumentum dicendum Apostolum non admittere justificationem ex lege vel in lege, quia lex ex se et opera mere naturalia nullam ad justificationem vim habent; sed vera justificatio debet esse ex redemptione et meritis Christi, et idcirco prout exigitur a doctrina Christi.

596 Obj. 5.° *Ex PP.* opponuntur contra doctrinam propositam Origenes, Hilarius, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alex., Leo M., Theophilactus et Bernardus (3).

Resp. P. Suarez generatim ita respondet (4): "Tam multipliciter tamque evidenter docent (PP.) in aliis locis necessitatem aliarum dispositionem ultra fidem intellectus, ut de vero sensu unius vel alterius vocula, quam in aliis locis addunt vel omittunt, nemo prudens dubitare possit... Generaliter autem, pro his qui addunt particulam *sola*, dicimus nunquam per illam excludere voluisse alias internas dispositiones necessarias ad justitiam, quas aliis locis requirunt, sed aliquid aliud quod secundum circumstantiam loci judicandum est." Speciatim vero afferam singula PP. testimonia, quae opponuntur, et illa succincte declarabo.

Origenes ait (5): "Et dicit (Apostolus) sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo, justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum." His verbis Origenes non affirmat solam fidem formaliter sumptam sufficere ad justificationem; nam inferius (6) dicit: "Propterea ergo in alio Scripturae loco (*Jac.* II, 21 et sq.) dicitur de Abraham, quod ex operibus fidei justificatus sit: quia certum est eum qui vere

(1) Similia dicuntur *Rom.* I, 16; *I Cor.* XV, 1; *Jac.* I, 21.
(2) Hoc ipsum indicatur *Rom.* IV, 16; *Galat.* III, 10.
(3) Citavi PP. eo ordine, quo B. Bellarminus eos citat (*De justificatione*, l. 1, cap. 25).
(4) *De gratia*, l. 8, c. 21, n. 14 et sq.
(5) *Comment. in Epist. ad Rom.*, l. 3, n. 9 (M. G. 14, 952).
(6) L. 4, n. 1, col. 961.

credit, opus fidei, et justitiae, et totius bonitatis operari..." Item dicit (1): "Et puto quod prima salutis initia, et prima fundamenta fides est: profectus vero augmenta aedificii spes est: perfectio autem et culmen totius operis caritas: ideo *major omnium* dicitur (*I Cor.* XIII, 13) caritas." Rursus dicit (2): "Ita ergo et credentibus quidem Christo, nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis injustis, fides reputari non potest ad justitiam." Origenes igitur per verbum *solius* videtur excludere, ut dicit B. Card. Bellarminus, necessitatem absolutam operum externorum; item ea omnia etiam excludere videtur, quae in fide non fundentur.

S. Hilarius asserit (3): "Et remissum est ab eo (Jesu Christo), quod lex laxare non poterat; fides enim sola justificat." Hîc vocabulum *sola* ponitur, ut contraponatur legi mosaicae ita, ut sensus sit, lex mosaica nullatenus justificat; sed hoc soli fidei ex Christo convenit. Et ipse S. Hilarius affirmat (4): "Salus gentium omnis ex fide est, et in praeceptis Domini vita est universorum."

S. Basilius haec habet (5): "Verum sola in Christum fide justificatum esse." S. Basilius per vocem *sola* vult excludere omnia non fundata in fide, et ideo nos non debere gloriari in nostris operibus naturalibus, sed in solo Deo, a quo sunt dona fidei, quae naturae debita non sunt. Hanc esse Basilii mentem apparet ex contextu, dicit enim: "Haec est enim perfecta et integra in Deo gloriatio, cum quis non ob suam justitiam extollitur, sed novit destitui se quidem vera justitia; verum sola in Christum fide justificatum esse. Atque in hoc gloriatur Paulus, quod justitiam suam contemnat: quaerat vero eam, quae per Christum est, quae ex Deo est, justitiam in fide..."

Ex Ambrosio plura objiciuntur ex ejus *Comment. in Epist. ad Rom.* Verum illa commentaria, sicut cetera in Epist. S. Pauli attributa S. Ambrosio, non videntur esse S. Ambrosii. Verum cujuscumque auctoris sint, in illis ponitur sola fides sufficere ad justificationem, ad excludenda opera legalia, et opera non fundata in fide, et necessitatem absolutam operum externorum; non vero ad statuendum solam fidem formaliter sumptam ad justificationem sufficere.

Chrysostomus dixit (6): "Latro autem credidit dumtaxat, et justificatus est (*Luc.* XXIII, 40-43)." Verum iste sermo non est S. Joan. Chrysostomi. Auctor illius, verbis allatis, solum excludit opera externa, non autem interna. At S. Joan. Chrysostomus dicit (7): "Si enim fidei credis, cur alia inducis, ac si fides non sufficiat ad justificandum?" His verbis S. Joan. Chrysostomus non excludit opera salutaria, sed opera et caerimonias legis mosaicae, ut ex contextu elucet. S. Joan. Chrysostomus plura habet, quibus rejicitur solam fidem formaliter sumptam ad

(1) Eodem loco, n. 6, col. 981.
(2) Eodem loco, n. 7, col. 986.
(3) *Comment. in Matth.*, cap. 8, n. 6 (M. L. 9, 961).
(4) Eodem loco, cap. 7, n. 4, col. 955.
(5) *Homil. de humilitate*, n. 3 (M. G. 31, 530).
(6) *Sermo de fide et lege naturae*, n. 1 (M. G. 48, 1082).
(7) *Homil. 3 in Epist. ad Titum*, n. 2 (M. G. 62, 679).

salutem sufficere. Ita dicit (1): "Deinde ne hi in sola fide spem haberent, de judicio et poena pravorum operum edisserit, hortaturque nondum credentes ad amplectendam fidem, credentes vero ad vitam recte instituendam. Indumentum enim sunt vita et opera... Vocatio quidem et purgatio ex gratia sunt; vocatum autem et puris indutum vestibus manere, et haec servare, id ex vocatorum cura et studio proficiscitur. Vocamur autem non ex merito, sed ex gratia. Oportebat enim gratiae vicem rependere oboedientiam, non per tantam post honorem acceptum nequitiam."

Ex S. Augustino objicitur (2): "Quantaelibet fuisse virtutis, antiquos praedices (Julianus) justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit." Et alibi (3): "Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec praecedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit; nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur." Verum S. Augustinus omnino recte sentit, ut ex ejus testimoniis, n. 581 allatis, est manifestum. Prius testimonium hic oppositum solum significat etiam justos Veteris Testamenti salutem per fidem Mediatoris Christi esse consecutos, sed hoc secundum doctrinam Christi, quae praeter fidem requirit etiam opera. Alterum testimonium non est accipiendum de fide sine operibus, ut ex ipso contextu elucet.

Objiciunt quoque S. Cyrillum Alexandrinum; at ipse S. Doctor recte prorsus sentit. Dicit (4) enim: "Meminerit enim studiosus auditor quod, cum dilectionis in Christum rationem indagaremus, et quaenam esset quove pacto fieret perscrutaremur, duplicem viam continere diximus, per fidem nimirum omni ex parte inculpabilem atque operosam illam et in agendo positam, quae et per sinceram caritatem inducitur."

S. Leo M. ita loquitur (5): "Hoc enim est quod justificat impios, hoc quod ex peccatoribus facit justos, si uno eodemque Domino nostro Jesu Christo et vera Deitas, et vera credatur humanitas." His verbis S. Leo solum significat fidem ad salutem concurrentem debere esse veram. Ipse S. Leo dicit (6): "Haec virtus (eleemosyna) omnes facit utiles virtutes, quae ipsam quoque fidem, ex qua justus vivit, et quae sine operibus mortua nominatur, sui admixtione vivificat: quia sicut in fide est operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo."

Theophylactus dicit (7): "Ostendit jam nunc quod vel fides sola justificat, non lex..." At his verbis Theophylactus solum significat extra fidem Christi non dari justificationem.

Denique S. Bernardus ita loquitur (8): "Vide etiam ne forte ob hoc Salvator cum diceret: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*:

(1) *Homil.* 69 vel 70 in *Matth.*, n. 2 (M. G. 58, 650).
(2) *Contra duas epistolas pelagianorum*, l. 1, c. 21, n. 39 (M. L. 44, 569).
(3) *De diversis quaestion. 83*, quaest. 76, n. 1 (M. L. 40, 88).
(4) *In Joan. evangelium*, l. 10, c. 15, v. 7 (M. G. 74, 366).
(5) *Sermo 34, de Epiphania* 4, cap. 1 (M. L. 54, 245).
(6) *Sermo 10*, cap. 2 (M. L. 54, 166).
(7) *Expositio in Epist. ad Galat.*, cap. 3, vv. 11, 12 (M. G. 124, 987).
(8) Ad Hugonem de S. Victore *epistola, seu tractatus de baptismo aliisque quaestionibus ab ipso propositis*, c. 2, n. 8 (M. L. 182, 1036).

caute et vigilanter non repetierit, *Qui vero baptizatus non fuerit*: sed tantum: *Qui vero*, inquit, *non crediderit condemnabitur* (*Marc.* XVI, 16): nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, et sine illa sufficere nihil." Verum particula *solam* hic non excludit nisi necessitatem baptismi in re, non vero in voto, ut ex contextu elucet. Idem S. Bernardus haec asserit (1): "Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit et sitit justitiam, credat in te qui justificas impium, et solum justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum." S. Doctor loquitur de fide viva, quae opera includit; hoc enim significant illa verba, sc. quisquis pro peccatis compunctus esurit et sitit justitiam. Aliunde ipse S. Bernardus docet (2): "Vides quod non faciat hominem rectum fides etiam recta, quae non operatur ex dilectione." Et paulo inferius: "Si ergo nec fides sine operibus, nec opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem; nos qui in Christum credimus, fratres, rectas studeamus facere vias nostras et studia nostra."

(1) *Sermo 22 in cantica*, n. 8 (M. L. 183, 881).
(2) *Sermo 24 in cantica*, n. 8 (M. L. 183, 992 et sq.).

CAPUT II

De infusione gratiæ sanctificantis et de ipsius natura

Articulus I

De infusione gratiæ sanctificantis, et de ipsius ordine

597. Praemitt. 1.° Jam dictum est supra requiri dispositionem moralem ad gratiam sanctificantem recipiendam, et etiam supra numerati sunt actus liberi et supernaturales, quos Conc. Tridentinum ut dispositiones designat (1). Similiter dictum est hos actus extra sacramentum, si perfecta dilectio Dei et perfecta contritio excipiantur, non esse dispositionem proximam ad gratiam sanctificantem recipiendam, sed requiri ulteriorem dispositionem, sc. vel sacramentum, vel dilectionem Dei perfectam, quae potest esse amor Dei sine formali detestatione peccati, vel contritio ex amore Dei. Ut jam supra dictum est, quum habentur omnia requisita ad gratiam infundendam, seu praeparatio proxima, statim infunditur gratia.

598. Praemitt. 2.° Quaestio inter theologos disputata est, utrum ultima dispositio ad gratiam sanctificantem recipiendam sit, necne, ab ipsa gratia sanctificante tanquam a causa efficiente. Agitur tantum de ultima dispositione, seu de illa, quae tempore est simul cum gratia sanctificante, non autem de illa, quae solum est dispositio remota, et potest a gratia sanctificante separari. Gonet affirmat (2) et ut ipse indicat generatim PP. ordinis S. Dominici eamdem sententiam sequuntur. Verum P. Billuart (3) asserit inter PP. ordinis S. Dominici haberi de hac re tres opiniones diversas: in-

(1) *Sess. 6*, cap. 6.
(2) *De justificatione*, d. 1, a. 8.
(3) *De gratia*, dissert. 7, a. 4, §. 4.

ter illos tamen sententia affirmativa est communior. Ex nostris sententiam affirmantem defendunt Valentia (1) et Vazquez (2). Sententiam negantem sequitur multo communior opinio nostrorum cum P. Suarez (3). Sententiam hanc ultimam amplectuntur quoque Joannes a S. Thoma (4) et Card. Gotti (5).

THESIS I. Posita ultima dispositione, in eodem instanti gratia sanctificans infallibiliter infunditur; justificatio vero adæquate sumpta, seu pro omnibus requisitis ad gratiam sanctificantem recipiendam ordinarie necessariis, non ponitur in instanti; sed absolute poni posset.

Thesis quoad omnes suas partes est certa.

599. Prob. 1.ª p. Quia ultima dispositio requirit formam, et non est ratio, cur ejus productio differatur. Ergo statim posita ultima dispositione producitur. Praeterea ostensum est in adultis gratiam sanctificantem non haberi sine eorum praevia dispositione; quocirca si posita illa dispositione non conferretur infallibiliter gratia sanctificans, non esset penes hominem eam consequi, ac proinde neque salutem adipisci; haec enim sine gratia sanctificante nullatenus obtinetur (6).

600. Prob. 2.ª p. Quia justificatio accepta pro omnibus requisitis, quae ad eam consequendam sunt necessaria, incipit a divina inspiratione, cui homo cooperatur. Haec autem cooperatio modo ordinario non producitur ad ultimam seu proximam dispositionem ad gratiam sanctificantem recipiendam, nisi successive; quia iste est modus ordinarius operandi hominum, et Deus communiter se accommodat conditioni naturae humanae. Haec porro successio, ut patet, major in illo erit, qui primo ad fidem convertatur, quam in alio, qui jam fidem habeat.

601. Prob. 3.ª p. Quia actus immanentes intellectus et voluntatis, quum non importent successionem, in instanti fieri possunt;

(1) L. 2. d. 8, q. 5, punct. 6.
(2) *In 1. 2.* d. 211.
(3) *De gratia*, l. 8, c. 12.
(4) *In 1. 2.* q. 113, d. 28, a. 2.
(5) *De justificatione peccatoris*, q. 2, dub. 4, §, 6.
(6) S. Thomas, *1. 2*, q. 113, a. 7; Suarez, *De gratia* l. 8, c. 23, n. 5.

aliunde vero quum Dei potentia infinita sit, non est cur repugnet Deum ita illuminare et movere hominem atque ipsius roborare potentias, ut in instanti omnes ponat actus, qui necessarii sunt ad infusionem gratiae sanctificantis. Ergo. Vide S. Thomam. (1).

THESIS II. Actus fidei est prior natura actu spei et caritatis; et actus spei est prior actu caritatis; et actus caritatis in Deum est prior actu detestationis peccati. Denique infusio gratiæ sanctificantis est prior remissione peccati.

602. Nota. Actus memorati sunt alii priores aliis, si formaliter et realiter distincti dentur; aliter enim solum virtualiter prioritatem inter se habebunt. Prioritas naturae nihil aliud est, quam independentia non mutua unius ab alio tamquam a causa: et ex adverso posterioritas naturae nihil aliud est, quam dependentia non mutua unius ab alio tamquam a causa. Itaque omnis causa est prior natura effectu suo; quia et illum a se pendere facit tamquam a dante illi esse physice vel moraliter. De aliis prioritatibus hic non agitur, sed tantum de prioritate in ratione causae (2). Thesis quoad omnes suas partes certa videtur.

603. Prob. 1.ª p. Quia fides est fundamentum spei, dirigitque tum ad actum spei, tum ad actum caritatis eliciendum. Ergo.

604. Prob. 2.ª p. Intellecta de eo, quod regulariter contingit. Nam spes disponit ad caritatem; ex eo enim quod aliquis sit nobis valde bonus et a nobis ametur hac ratione, facilius inducitur ad illum propter se amandum.

605. Prob. 3.ª p. 1.º Quia amor est natura sua prior odio, ideo enim aliquid odio habemus, quia nos bono privat, quod diligimus. Sed actus caritatis in Deum est actus amoris, et detestatio est actus odii peccati, quod privat nos summo bono. Ergo. **2.º** In contritione perfecta habetur detestatio peccati propter Deum amatum; ac proinde dilectio Dei est causa detestationis peccati, atque ideo prior est illa.

(1) *1.* 2. q. 109, a. 6, ad 3.
(2) P. Suarez, *Metaph.*, d. 26, s. 2, n. 18.

606. Prob. 4.ª p. Infusio gratiae sanctificantis est causa formalis remissionis peccati, sicut productio unius formae est causa expulsionis alterius. Atqui causa est prior suo effectu. Ergo.

THESIS III. Ultima dispositio, seu actus caritatis et contritionis perfectæ constituentes dispositionem proximam, sunt natura priores gratia habituali; possunt tamen dici posteriores eadem gratia sanctificante quatenus sunt informati per illam.

Haec thesis quoad priorem partem defenditur ut probabilior: 2.ª p. est certa, quia gratia sanctificans vere est causa dispositionis proximae, non ut sit, sed ut gloriam aeternam mereatur simul cum ipsa gratia sanctificante.

607. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex S. Thoma.* Dicit (1) S. Doctor: "Quilibet motus voluntatis in Deum, potest dici conversio in ipsum. Et ideo triplex est conversio in Deum. Una quidem per dilectionem perfectam, quae est creaturae jam Deo fruentis; et ad hanc conversionem requiritur gratia consummata. Alia conversio est, quae est meritum beatitudinis, et ad hanc requiritur habitualis gratia, quae est merendi principium. Tertia conversio est per quam aliquis praeparat se ad gratiam habendam; et ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis (*Thren.* V, 21): *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*" Ubi praeparatio ad gratiam sanctificantem non ponitur ut effectus gratiae habitualis, sed ut causa. Idem S. Doctor etiam dicit (2): "Dicendum, quod illa objectio procedit de gratia habituali, ad quam requiritur aliqua praeparatio, quia omnis forma requirit susceptibile dispositum. Sed hoc quod homo moveatur a Deo, non praeexigit aliquam aliam motionem, cum Deus sit primum movens: unde non oportet abire in infinitum." Et idcirco, si ad gratiam habitualem recipiendam, subjectum jam debet esse dispositum, dispositio etiam ultima non potest esse effectus gratiae habitualis.

608. 2.º *Ratione.* Dispositio ad gratiam sanctificantem est hujus causa moralis; nam, ut supra probatum est,

(1) *1. p.*, q. 62, a. 2, ad 3.
(2) *1. 2.*, q. 109, a. 6, ad 3.

dispositiones ad gratiam sanctificantem vere exigunt illam. Sed causa est natura sua prior effectu; quia effectus dependet a causa et non vice versa. Ergo. Item gratia sanctificans non potest poni a parte rei, nisi dependenter a suis causis. Atqui dispositiones sunt causae morales gratiae sanctificantis. Ergo hae necesse est ut dentur, quum gratia sanctificans ponitur, et ita quidem ut natura sua gratiam sanctificantem praecedant. Id ipsum ex Conc. Tridentino confirmatur, quod asserit gratiam sanctificantem communicari *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem*. Ergo dispositio et cooperatio secundum Tridentinum est causa mensurae infusionis gratiae; ideoque dispositio et cooperatio infusionem gratiae sanctificantis, non quidem tempore, sed natura praecedunt. Atque in hoc sensu dispositio ita est prior, ut nullatenus sit posterior; quia gratia sanctificans a dispositionibus pendet aliquo modo in esse, et non vice versa. Gratia sanctificans respectu dispositionum ad summum est causa finalis.

609 Prob. 2.ª p. Quia actus quatenus formatus seu dignificatus gratia est aliquo modo effectus ipsius gratiae sanctificantis eamque jam praesupponit in subjecto. Hic quaeri posset, utrum actus ut formatus sit prior, an posterior peccati remissione. Huic dubio cum distinctione respondendum est. Si enim actus dicitur formatus praecise quia conjunctus cum gratia sanctificante, sic prius intelligitur actus formatus quam peccatum remissum; quia infusio gratiae sanctificantis est natura prior remissione peccati; et ideo prius intelligitur gratia infusa et conjuncta cum actu dispositionis quam peccatum remissum. Sin autem actus dicitur formatus, quia meritorius vitae aeternae et est in subjecto jam amico Dei praerequiritur peccati remissio.

610. Obj. S. Thomas oppositum sentire videtur; nam dicit (1) S. Doctor: "Inter ea (quae in instanti justificationis habentur) naturali ordine primum est gratiae infusio; secundum motus liberi arbitrii in Deum; tertium est motus liberi arbitrii in peccatum; quartum vero est remissio culpae." Verum non certo constat per infusionem gratiae intelligere S. Thomam praecise infusionem gratiae habitualis, et non etiam infusionem gratiae actualis, quae quidem necessaria est pro dispositionibus (2). Nam ipse S.

(1) *1. 2.*, q. 113, a. 8.
(2) Vide Joannem a S. Thoma, in *1. 2.*, disp. 28, a. 2. n. 11.

Thomas paulo inferius asserit: "In quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis; secundum autem est dispositio materiae, sive motus ipsius mobilis; ultimum vero est finis vel terminus motus ad quem terminatur motio moventis." Jam vero motio moventis potest esse ipsa gratia actualis, et non sola gratia habitualis. Item dicit (1) S. Thomas: "Dicendum est, quod sicut supra dictum est (q. 111, a. 2), gratia dicitur dupliciter: quandoque quidem ipsum habituale donum Dei; quandoque autem auxilium Dei moventis ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, praeexigitur ad gratiam aliqua gratiae praeparatio, quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita. Sed si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla praeparatio requiritur ex parte hominis, quasi praeveniens divinum auxilium." Ex quibus constat tum S. Thomam sumere gratiam etiam pro auxilio Dei moventis ad bonum; tum ad gratiam actualem non requiri aliquam praeparationem, quod non staret in sententia affirmante; quia requireretur gratia habitualis pro productione dispositionum (2).

Articulus II

Quid sit justificatio, justitia et gratia sanctificans

611. Praemitt. 1.° Quum justificatio tot modis possit esse, quibus justitia, imprimis quid sit justitia declarare oportet. Justitia generatim quamdam rectitudinem et aequitatem significat; unde quum plura rectitudinem et aequitatem participent, inde variae justitiae acceptiones exurgunt. 1.° Sumitur pro lege, quia haec dictat quod rectum et aequum est: ita in *Ps.* XVIII. 9, legitur: "Justitiae (i. e. leges) Domini rectae, laetificantes corda." 2.° Pro jure, quatenus opus est, ut hoc sit justum et rectum: in hac acceptione dicitur in *Is.* V, 23: "Et justitiam justi aufertis ab eo!" 3.° Proprie significat perfectionem illam, quae jus et rectitudinem servat. Justitia vero sic accepta dividitur in universalem et parti-

(1) In *1. 2.*, q. 112, a. 2.
(2) Vide Sylvium (Franciscum), in *1. 2.*, q. 113, a. 8.

cularem; in divinam et humanam; in actualem et habitualem. Justitia universalis potest sumi pro complexu omnium virtutum, et sic justitia particularis est quaelibet virtus, sive sit ad alterum, sive non. Item justitia universalis sumitur etiam abstractive, videlicet quatenus dicit aliquid commune omnibus speciebus justitiae. Et secundum hanc acceptionem sunt justitiae particulares justitia commutativa, distributiva et legalis. At justitia legalis quatenus membra communitatis ad totam communitatem ordinat, vocatur quoque justitia generalis; et justitia commutativa ordinans membra communitatis inter se, et distributiva respiciens debitam distributionem commodorum et onerum, vocantur particulares.

Deinde justitia divina est illa, quae viribus creatis obtineri non potest; et humana seu acquisita est illa, quae viribus humanis consequi potest. Utraque potest esse actualis et habitualis. Justitia divina actualis consistit in actibus virtutum supernaturalibus, qui quidem possunt esse alicujus virtutis particularis, vel ex complexu actuum omnium virtutum, non certe simul, sed successive. Et justitia divina habitualis est habitus per se infusus a Deo, vel complexus habituum per se infusorum. Justitia autem humana actualis habetur per actus virtutum non superantes vires humanas, et habitualis est habitus virtutis acquisitus, vel collectio habituum virtutum acquisitorum.

612. Praemitt. 2.° Ex variis justitiae speciebus nominatis ad rem nostram facit justitia divina. De hac justitia dicit (1) Concilium Tridentinum: "Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam *Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 11), et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem." Haec Dei justitia potest esse vel sola gratia sanctificans, vel gratia sanctificans cum virtutibus theologicis, vel gratia sanctificans cum virtutibus theologicis et moralibus. Juxta aliquos etiam est gratia sanctificans cum habitu caritatis (2).

(1) *Sess. 6, cap. 7* (Denz.-Bannwart, n. 799).
(2) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 7, cap. 6.

613. Praemitt 3.° Justificatio vel justificare dupliciter accipitur, sc., pro declaratione justitiae alicujus, vel pro communicatione justitiae. Sic dicitur *Prov.* XVII, 15: "Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum." Pro altera acceptione dicitur *Rom.* III, 24: "Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu." Haeretici non admittunt nisi primam acceptionem; catholici vero, licet concedant primam acceptionem etiam in S. Scripturis reperiri, secundam acceptionem habent ut potiorem. Justificatio in hoc secundo sensu sumpta potest intelligi de prima justificatione, et de augmento justificationis receptae, secundum illud *Apoc.* XXII, 11: "Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc." Jam justificatio accepta pro prima justificatione potest esse a carentia justitiae ad infusionem ipsius, ut factum est in angelis et in Adamo; vel, ut fit in praesenti, a statu peccati ad statum justitiae. Justificatio, quum ad justitiam ordinem dicat, tot modis accipi potest, quot justitia. In praesenti accipitur pro communicatione justitiae facta a Deo per infusionem gratiae, et praesertim pro prima justificatione.

614. Praemitt. 4.° *Errores haereticorum.* Praecipuus error Lutheranorum et Calvinistarum, etiam modernorum, est gratiam sanctificantem nihil esse homini intrinsecum et inhaerentem, sed totam justitiam esse homini extrinsecam, et peccata non proprie deleri, sed non imputari. B. Card. Bellarminus quinque protestantium sententias praecipuas enumerat (1) his verbis: "Ex his, quae hactenus dicta sunt, errores de justificatione quinque numerari posse videntur. Unus est, formalem causam justificationis esse fidem. Id enim (saltem verbo) tum in Lutheri scriptis, tum in Augustana confessione reperimus. Alter, formalem causam justificationis esse Christi oboedientiam et justitiam nobis imputatam. Id enim Illyricus, et plerique alii docent. Tertius, formalem causam justificationis esse justitiam Dei essentialem nos inhabitantem. Id enim docuit Hosiander. Quartus, formalem justificationem sitam esse proprie in sola remissione peccati. Id enim Calvinus affirmat, quamvis non neget (ut diximus) ad justificationem requiri imputationem justitiae Christi. Quintus, formalem causam jus-

(1) *De justificatione*, l. 2, cap. 1.

tificationis duplicem esse, justitiam nostram inhaerentem, et Christi justitiam imputatam." Verum auctor hujus sententiae postremae justitiam nostram inhaerentem ponit imperfectam et insufficientem, eamque reddi perfectam, per justitiam Christi nobis imputatam. Pauci catholici, inter quos Pighius, hanc sententiam amplexati sunt, sed manserunt semper valde ab haereticis distantes, quia semper judicium Ecclesiae Catholicae submiserunt. (1).

615. Praemitt. 5.° Sententia catholicorum in praesenti quaestione proponitur a Conc. Tridentino (2), cujus aliqua verba supra (3) adducta sunt, quibus asseritur unicam causam justificationis nostrae formalem esse justitiam Dei, qua nos justos facit, et qua a Deo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, qua vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes. Et idem Tridentinum addit (4): "Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito *per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus* (*Rom.* V, 5) eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret; unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, nec corporis ejus vivum membrum efficit."

Atque ad majorem rei declarationem transcribo alia ex eodem cap. 7 (5): "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit *heres secundum spem vitae aeternae* (*Tit.* III, 7). Hujus justificationis causae sunt, finalis quidem: gloria Dei et Christi ac vita aeterna, efficiens vero: misericors Deus, qui gratuito *abluit* et *sanctificat* (*I Cor.* VI, 11) *signans* et ungens *Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae* (*Ephes.* I,

(1) Vide P. Pesch (Christianus), *De gratia*, p. 2, sect. 2; Einig (Petrus), *De gratia habituali*, cap. 2, th. 24; Herrmann, *De ipsa gratia sanctificante*, s. 1, cap. 1, a. 1.
(2) *Sess. 6*, cap. 7.
(3) N. 612.
(4) Eodem loco (Denz.-Bannwart, n. 800).
(5) Denz.-Bannwart, n. 799.

13 et sq.) ; meritoria autem : dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui *cum essemus inimici* (*Rom.* V, 10), *propter nimiam caritatem, qua dilexit nos* (*Ephes.* II, 4), sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit ; instrumentalis item : sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio."

THESIS. Justitia vel gratia sanctificans est donum homini intrinsecus inhærens, et ex se permanens

616. **Nota.** Quid sit justitia vel gratia sanctificans constat ex dictis in praemittendis (1). Dicitur esse *donum intrinsecus inhaerens,* ut significetur justitiam vel gratiam sanctificantem in nobis intus figi, non esse rem nobis non infixam, seu rem nobis externam et ad nos non pertinentem. *Ex se permanens,* quia nisi per peccatum mortale rejiciatur, jugiter perseverat. Thesis duas habet partes : 1.ª pars, justitia seu gratia sanctificans est donum homini intrinsecus inhaerens ; et 2.ª pars, ex se permanens. 1.ª pars est de fide ex Conc. Tridentino dicente (2) : "Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei : A. S." Quamvis in hoc canone non ponatur vocabulum *donum,* implicite habetur, quia secundum omnes gratia et caritas sunt donum Dei. Similiter implicite ponitur justitia, et consequenter gratia sanctificans, quia justificari est communicari justitiam, ut dictum est (3) supra. 2.ª pars, licet aperte definita non sit, est tamen omnino certa, et opposita temeraria, ut hoc saltem, ex probationibus constabit.

617. **Prob. 1.ª p. 1.º** *Ex S. Scriptura.* a) Per acquisitionem justitiae sive gratiae sanctificantis *creamur, nascimur, vivimus, regeneremur, renovamur.* Atqui haec omnia significant receptio-

(1) NN. 612 et 615.
(2) *Sess.* 6, can. 11 (Denz.-Bannwart, n. 821).
(3) NN. 612, 613, 615.

nem doni supernaturalis intrinsecus inhaerentis. Ergo. Prob. min. Significant donum supernaturale a Deo communicatum; quia, ut ex probatione majoris constabit, in illis locis agitur de his, quae ad vitam aeternam ordinantur; et ideo sunt res homini a Deo specialiter donatae. Deinde *creari, nasci, vitam accipere, regenerari, renovari* rem homini inhaerentem denotant. Ergo. Prob. maj. *Sumus creati. Ephes.* II, 10, dicitur: "Ipsius (Dei) sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis..." *II Cor.* V, 17: "Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova." *Galat.* VI, 15: "In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura." *Nati. Joan.* III, et sq.: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est." *I Joan.* III, 9: "Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit..." *Vivêre. Rom.* VIII, 10: "Spiritus vero vivit propter justificationem." *Regeneramur et renovamur. Tit.* III, 4 et sq.: "Cum autem benignitas, et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei... salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti..."

b) Ratione justitiae seu gratiae sanctificationis dicimur accipere vitam, habere semen Dei, signari a Spiritu Sancto. Haec vero aliquid homini intrinsecum significant. Dicitur enim *Joan.* X, 10: "Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant." *I Joan.* III, 9: "Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet..." *II Cor.* I, 21 et sq.: "Et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris." Item *Ephes.* I, 13 et sq.: "In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestrae) in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae..."

c) In Scriptura ratione justitiae seu gratiae sanctificantis dicimur *justificati* et constituendi justi; haec autem verba aliquid intrinsecum significant. *Rom.* V, 9. legitur: "Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsam." Item v. 19: "Sicut enim per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboeditionem, justi constituentur multi."

d) Fieri conformes imagini Filii Dei et ipsius imaginem porta-

re requirunt aliquid homini intrinsecum. Sed juxta S. Scripturam per justitiam vel gratiam sanctificantem homines fiunt conformes imagini Filii Dei et ipsam portant. Ergo. Etenim *Rom.* VIII, 29, reperitur: "Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus." Et *I Cor.* XV, 49: "Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis."

613. 2° *Ex PP.* (1) a) Ex S. Augustino. Dicit S. Doctor (2): "Nam hinc sequitur et adjungit (Apostolus), dicens, *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi,* hoc est, per fidem, qua creditur in Christum. Sicut autem ista fides Christi dicta est non qua credit Christus: sic et illa justitia Dei non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur." Iterum ipse S. Doctor (3): "Quid est hoc, justitia Dei et justitia hominis? Justitia Dei hic dicitur, non qua Justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum." Rursus docet (4): "Quid est autem aliud justitia, cum in nobis est, vel quaelibet virtus qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo? Et certe secundum hanc pulchritudinem magis quam secundum corpus, facti sumus ad imaginem Dei." Denique asserit (5): "Hanc imaginem (*Colos.* III, 10) in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum; quam recipimus per gratiam justitiae; non spirituale atque immortale corpus, in quo ille nondum fuit, et in quo erunt omnes sancti, resurgentes a mortuis (6)."

b) Ex aliis PP. S. Basilius inquit (7): "Et sicut cernendi vis est in oculo sano, sic operatio Spiritus in anima purgata... Et quemadmodum ars est in eo qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus in eo qui recepit eam, semper quidem praesens, at non perpetuo operans." S. Cyrillus Alex. ita loquitur (8): "Formatur autem

(1) Vide P. Beraza. *De gratia Christi, de gratia habituali,* cap. 3, nn. 709, 711.
(2) *De Spiritu et litt.,* cap. 9, n. 15 (M. L. 44, 209).
(3) *In Joann. Evang.,* tract. 26, n. 1 (M. L. 35, 1607).
(4) *Epist. 120,* cap. 3, n. 20 (M. L. 33, 462).
(5) *De genesi ad litt.,* l. 6, c. 27 (M. L. 34, 355).
(6) Calvinus, quum sanctitatem intrinsecam rejiciat, nec sententiam S. Augustini recipit, et de illa dicit (*Institut.,* l. 3, c. 11, n. 15: "Ac ne Augustini quidem sententia, vel saltem loquendi ratio, per omnia recipienda est. Tametsi enim egregie hominem omni justitiae laude spoliet; gratiam tamen ad sanctificationem refert, qua in vitae novitatem per Spiritum regeneramur."
(7) *De Spiritu Sancto,* c. 26 (M. L. 32, 179).
(8) *In Is.,* l. 4, orat. 2, in cap. 44, vv. 21 et 22 (M. G. 70, 935).

in nobis Christus, Sancto Spiritu nobis divinam quamdam formam, per sanctificationem et justitiam indente. Sic enim, sic in animis nostris elucet, character substantiae Dei ac Patris: reformante, ut dixi, Sancto Spiritu nos per sanctificationem in ipsum." Et S. Cyprianus (1): "Sed postquam undae genitalis auxilio superioris aevi labe detersa in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam caelitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia..." Denique S. Ambrosius haec docet (2): "Utrum igitur secundum corpus, an secundum animam justificatio tibi conferri videatur, quaeso respondeas. Sed dubitare non potes, cum justitia, unde justificatio derivata est, mentis utique non corporis sit. Pictus est ergo, o homo, et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia."

Ex testimoniis PP. adductis elucet juxta ipsos justitiam seu gratiam sanctificantem esse nobis intrinsecam; nam secundum S. Augustinum et alios PP. per justitiam seu gratiam sanctificantem efficimur *justi*, recipimus in nobis *justitiam, imaginem Dei in nobis impressam;* item gratia sanctificans in eo, qui eam accipit, se habet sicut ars in eo, qui illam est adeptus, est *forma divina* nobis indita, *secunda nativitas,* pictura in nobis impressa.

619. 3.° *Ex Conc. Tridentino.* Gratiam sanctificantem esse quid homini intrinsecum abunde probant testimonia allata in censura theseos et in praemittendis (3). Sed praeterea idem Tridentinum dicit (4): "Quae enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum." Et Catechismus Concilii Tridentini hoc Concilium interpretans dicit (5): "Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum poena anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsas animas pulchriores et splendidiores reddit."

(1) *Ad Donatum, cap 4* (Hartel G., p. 6).
(2) *Hexaemeron*, l. 6, c. 8, nn. 46 et 47 (M. L. 14, 276).
(3) Ex *sess. 6*, can. 11, et cap. 7.
(4) Eadem *sess. 6*, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(5) Pars. 2.ª, de Baptismo, n. 50.

620. 4.° *Ratione theologica.* Deus diligit hominem in ordine ad finem supernaturalem, et vult eum talem fidem consequi, nisi homo impedimentum ponat. Atqui id quod Deus diligit est verum bonum. Ergo homo habet verum bonum respectu ordinis supernaturalis, nisi ipse homo impediat; atque ideo, quum tale bonum non possit esse communicatum nisi a Deo, ab eo tale bonum accipitur (1). Nec dicatur Deum aliquando amare conditionate, et aliquando amare id quod dandum est, non id quod jam datum est; ac proinde ex eo, quod Deus aliquid diligit, non sequitur illud bonum dari a parte rei. Nam haec objectio non concludit; quia imprimis Deus homini absolute ad finem supernaturalem destinavit, et vult talem finem obtineri, nisi ipse homo impediat. Deinde Deus vult hominem in praesenti statu in finem supernaturalem tendere, et idcirco jam debet homo habere bonum, quo in finem suum tendere possit. Quare ratio proposita confirmatur; quia Deus vult hominem in finem suum ultimum tendere; dicitur enim *Joan.* XIV, 21: "Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum." Ergo Deus tribuit homini bonum intrinsecum ad servanda mandata modo salutari, et consequenter bonum supernaturale.

621. Prob. 2.ª p. 1.° *Ex S. Scriptura.* Ut constat ex 1.ª parte, n. 617, in S. Scriptura ratione justitiae seu gratiae sanctificantis dicimur *creari, nasci, vivere, regenerari, renovari, accipere semen Dei, signari a Spiritu Sancto, constitui justos, esse conformes imagini Filii Dei, eamdemque portare.* Haec vero omnia significant aliquid permanens. Et hoc ipsum confirmatur, quia per gratiam sanctificantem efficimur *consortes divinae naturae* et *filii Dei.* Dicitur enim *II Petr.* I, 3-4: "Qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae..." Item *Rom.* VIII, 16: "Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei." Et similiter *Galat.* IV, 6: "Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater." Jam vero per *consortes divinae naturae* et *filiationem* aliquid permanens significatur.

(1) Vide S. Thomam, *In 1. 2, q. 110, a. 1*; et P. Suarez, *De gratia*, l. 6, cap. 1, n. 11 et sq.

622. **2.°** *Ex Conc. Tridentino.* a) Nam secundum Concilium Tridentinum parvuli sunt baptizandi (1), et ex altera parte baptismus omnibus, qui baptizantur, gratiam impertit; dicit (2) enim: "Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur...", ubi nulla fit exceptio. Et idem Tridentinum statuit (3): "Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta (loquitur de omnibus, nullo excepto) semper et in omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus: A. S." Parvuli ergo in Baptismo accipiunt gratiam, et non actualem, quia non sunt ipsius capaces: ergo habitualem; ac proinde baptismus ex se gratiam tribuit. b) Idem Concilium asserit (4): "Demum unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes..." Esse autem *vere justum*, *recipere justitiam*, *renovari* aliquid permanens seu habituale significant. Et etiam dicit (5): "Si quis dixerit, homines justificari... exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat... A. S." *Inhaerere* autem aliquid permanens indicat. c) Ex eodem Concilio constat justum posse conservare justitiam acceptam (6), et in ea perseverare (7); item posse in illa crescere (8); et per peccatum mortale gratiam amittere (9). Haec autem manifeste denotant gratiam esse aliquid permanens.

Card. Pallavicinus inquit (10): "Denique observare par est, mentem Concilii fuisse statuere speciatim habitum infusum justitiae, et non generatim meram interiorem justitiam, nihil definiendo, eane sit actus, an habitus, uti placuit Gabriel Vazquez. Quod exploratum mihi fit: quoniam quibusdam postulantibus, ut expressius declaretur, fieri justitiam per habitum infusam, delec-

(1) *Sessione* 5, can. 4 (Denz.-Bannwart, n. 791).
(2) Eadem *sess.* can. 5 (Denz.-Bannwart, n. 792).
(3) *Sess.* 7, can. 7 (Denz.-Bannwart, n. 850).
(4) *Sess.* 6, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799, 800).
(5) *Eadem sess.*, can. 11 (Denz.-Bannwart, n. 821).
(6) *Sess.* 6, can. 24 (Denz.-Bannwart, n. 834).
(7) Cap. 11 et cap. 13 (Denz.-Bannwart, nn. 804, 806).
(8) Eadem *sess.* cap. 10 et can. 32 (Denz.-Bannwart, nn. 803, 842).
(9) Eadem *sess.* can. 23 (Denz.-Bannwart, 833).
(10) *Historia Conc. Tridentini*, l. 8, c. 14, n. 3.

ti Patres ad id responderunt, id satis explicari per vocem *inhaeret*, quae stabilitatem significat, et habitibus non actibus congruit."

623. 3.° *Ex PP.* Id constat ex PP. allatis in 1.ª parte, n. 618; nam illi PP. gratiam sanctificantem vocant *justitiam, imaginem Dei*, comparant *arti*, quae est in illo, qui illam possidet, *formae inditae, secundae nativitati;* hisce autem verbis aliquid permanens significatur. Id confirmatur ex S. Chrysostomo dicente (1): "At cur, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, non lavacrum remissionis peccatorum, non lavacrum purgationis, sed lavacrum regenerationis vocatur? Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed ita id praestat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, et format, non ex terra rursus effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura, creans; non enim vas simpliciter abstergit, sed totum conflat denuo." Item ex S. Cyrillo Alex. (2): "Quomodo naturae divinae consortes, juxta sanctorum voces (qui Spiritus participes fiunt), si in creaturarum numero collocatur, ac non potius ex ipsa natura divina in nos pervenit, sed, ut ita dicam, qualitas veluti quaedam deitatis est in nobis, et in sanctis habitat, manetque semper, si suae mentis oculum per omne probitatis genus purgantes, et per virtutis juge et indefessum studium gratiam sibi conservent."

624. 4.° *Ratione theologica.* Nam Deus jugiter amat hominem in ordine ad ultimum finem, et vult ipsum in talem finem tendere. Ergo Deus jugiter ponit in homine bonum, quo in finem supernaturaliter ordinetur ipse homo et in illum tendere possit, ideoque in illo bonum permanens immittit.

625. Corollarium. Ex dictis sequitur sententias haereticorum memoratas n. 614 esse prorsus rejiciendas; etenim probatum est justitiam seu gratiam sanctificantem consistere in dono Dei intrinseco homini; et omnes haereticorum sententiae, saltem principaliter, reponunt justificationem in dono homini extrinseco.

626. Obj. 1.° *Ex Epist. ad Rom.* a) Cap. IV, 3, dicitur: "Credidit Abraham Deo: et reputatum est illi ad justitiam." Ideoque non habuit veram justitiam, sed reputatam. Et eodem cap. v. 7-8 habetur: "Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum." Tegi autem peccata et non

(1) *Ad illuminandos catech.*, 1, n. 3 (M. G. 49, 227).
(2) *In Joan.*, l. 9, cap. unicum in cap. XIV, vv. 16, 17 (M. G. 74, 259).

imputari non est deleri. b) *Rom.* V, 18, legitur: "Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae." Ubi asseritur justitiam Christi ita se habere respectu nostri ad justificationem, sicut delictum Adami ad condemnationem. Verum delictum Adami non est formaliter in nobis; ergo nec justitia Christi est nobis intrinseca. Atque hoc ipsum ex cap. XIII, 14 eruitur quum dicatur: "Induimini Dominum Jesum Christum..." Indumentum autem est quid extrinsecum. c) Cap. X, 3, dicitur: "Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti." His verbis Apostolus eos reprehendere videtur, qui justitiam Dei ignorant, et suam statuere quaerunt; hoc autem fit ab illis, qui justitiam Dei nobis imputatam rejiciunt.

Resp. Ad a) Admitto textum Apostoli, et nego quod ex illo infertur; nam *reputatum* non potest significare justitiam tantum existimatam, et non vere existentem; quia abunde probatum est justitiam esse donum permanens et intrinsecum justificato. Deinde ad illud de peccatis tegendis et non imputantibus dicendum est, respectu Dei peccata non posse tegi et non imputari, nisi revera deleantur; non enim potest Deus non videre peccata, quae actu dentur, ideoque nec potest ea non imputare. Unde S. Justinus inquit (1): "Quapropter si paenitentiam agant, licet omnibus, quicumque voluerint, misericordiam a Deo consequi, eosque beatos Scriptura praedicat his verbis: *Beatus cui non imputaverit Dominus peccatum.* Id autem hanc vim habet ut, peccatorum paenitentiam agendo, peccatorum a Deo remissionem accipiat, nequaquam autem ut vosmetipsos decipitis, et alii quidam vobis in hac re similes, qui dicunt etiamsi peccatores sint, Deus tamen, modo eum cognoscant, non imputaturum illis peccatum."

Ad b) respondendum peccatum physicum et personale Adami ad ceteros homines non transmitti: transmitti vero quatenus illud peccatum moraliter fuit singulorum et omnium hominum, excepto Christo et Beata Virgine Maria. Quare singuli, quum existere incipiunt, contrahunt illud peccatum, quod in Adamo moraliter commiserunt, ut dicit Apostolus, *Rom.* V, 12: "In quo omnes peccaverunt." Justitia vera ipsa Christi nullo modo transmittitur. Verum Christus sua justitia infinita satisfecit pro peccatis omnium hominum, seu dedit pro illis pretium infinite superabundans, et meruit ut omnes homines aliquando existentes et alii sine fine justificari possent. Quare inter transmissionem peccati Adami et communicationem justitiae Christi non datur prefecta paritas; quia transmittitur ipsum peccatum ab Adamo commissum, quatenus moraliter erat posterorum; justitia vero ipsa Christi nullatenus transmittitur, sed communicantur satisfactio et meritum Christi, quibus omnes et singuli homines remissionem peccatorum et justificationem consequi possunt.

Illud aliud, scilicet *induimini Dominum Jesum Christum*, non ponitur ad significandum justitiam hominis esse externam, sed ad indicandum esse imitandas virtutes et bona opera Christi; ponitur *induimini Dominum*

(1) *Dialog. cum Tryphone*, n. 141 (M. G. 6, 798).

Jesum Christum per oppositionem ad vitia et mala opera, ut ex contextu apparet. Et in Scriptura verbum *induere* adhibetur ad rem internam denotandam, ut in *Ps.* 92, v. 1, ubi legitur: "Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem..." Item ad *Colos.* III, 12: "Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam..." Et S. Thomas dicit (1): "Dicitur autem induere Christum qui Christum imitatur; quia sicut homo continetur vestimento, et sub ejus colore videtur; ita in eo qui Christum imitatur, opera Christi apparent. Per hoc ergo induimur arma lucis, quando induimur Christum."

Ad c) dicendum est ibi per *justitiam Dei* non intelligi justitiam, quae est in ipso Deo; sed justitiam, quam Deus per fidem Christi ponit in nobis; et haec justitia opponitur justitiae, quam judaei ex lege mosaica sine ordine ad Christum habere volebant; et ideo justitiae Dei non subjiciebantur, i. e., justitiae, quam Deus per fidem Christi tribuebat. Dicit S. Augustinus (2): "Si enim nullam sibi homo faceret justitiam, non diceret idem Apostolus de judaeis: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Inde erant isti qui panem de caelo descendentem non intelligebant, quia sua justitia saturati, justitiam Dei non esuriebant. Quid est hoc, justitia Dei et justitia hominis? Justitia Dei hic dicitur, non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum. Quae autem erat illorum justitia? Qua de suis viribus praesumebant, et quasi impletores legis se ipsos ex sua virtute dicebant."

627. Obj. 2° *Ex Epistolis ad Cor. et ad Ephes.* In *I Cor.* I, 30, legitur: "Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio..." Et in *II Cor.* V, 21: "Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso." His textibus innuitur justitia, sanctificatio nostra non esse nobis intrinseca. Et etiam ad *Ephes.* indicatur nos non placere Deo nisi in ipso Christo, I, 6; asseritur enim: "In laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo." Ergo non est admittenda justificatio intrinseca homini. Atque his addendum est, id quod in *Act. A.* dicitur XIII, 38, videlicet: "Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc (Jesum Christum) vobis remissionem peccatorum annunciatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur." His verbis videtur significari justitiam nostram non esse nisi Christum et remissionem peccatorum.

Resp. Ad singulos textus. Ad *I Cor.* I, 30. Sensus est christianos per baptismum esse Christo incorporatos, et per Christum ut causam efficientem accepisse sapientiam christianam, et justitiam, et sanctificationem a peccatis; haec omnia quidem propter meritum Christi accepisse formaliter et intrinsece.

(1) *Comment. in Epist. ad Rom.* cap. XIII, lect. 3.
(2) *Tract. 26 in Joan.*, n. 1 (M. L. 35, 1607).

Ad II Cor. V, 21. Sensus textus magis probandus videtur hic, nimirum Christus, qui nec peccavit nec poterat peccare, a Deo factus est victima pro peccato, ut nos possemus per satisfactionem et merita Christi formalem et intrinsecam justitiam accipere. Vide *Lev.* IV, 24; *Os.* IV, 8; *Ezech.* XLIV, 29. Praeter adductam interpretationem dantur aliae duae: alia dicit *fecit peccatum*, i. e., fecit Christum similem carni peccatrici, quia illum passibilem et mortalem constituit. Tertia interpretatio est, Deus fecit Christum oneratum peccatis alienis, ita ut insignis peccator videretur. Hanc interpretationem habet S. Joannes Chrysostomus (1). S. Augustinus *peccatum fecit*, constanter interpretatur sacrificium fecit (2).

Interpretationem vero de justitia et sanctificatione extrinseca constat admitti non posse ex probatione theseos.

Ad illud *ex Ephes.* I, 6, dicendum est sensum esse Deum propter merita Christi seu in dilecto Filio suo (3) fecit esse nos ipsi gratos seu gratiosos: et nullo modo significatur Deum habuisse nos gratos, quia erit illi gratus Filius suus; nam nec verbum latinum gratifico, nec graecum χαριτόω faciunt talem sensum.

Ad *Act. A.* XIII, 38 respondetur ibi non indicari justificationem externam, nec remissionem peccatorum non veram; sed veram remissionem et internam justificationem propter satisfactiones et merita Christi; neque textus ullo modo cogit ad illum de remissione peccatorum tantum existimata et de justitia externa explicandum, neque ita explicari potest propter dicta in probatione theseos. Dicitur autem in lege Moysi non *potuistis* justificari; quia lex Moysi de se non habet talem vim, ut asseritur *Rom.* III, 20, et *Galat.* III, 11.

628. Obj. 3.° *Ex PP.* S. Ambrosius inquit (4): "Dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris (*Is.* XL, 25, 26)." Et sequitur S. Doctor: "Quicumque ergo dicit iniquitates suas Deo, justificatur..." Ideoque S. Ambrosius videtur justificationem in sola peccatorum remissione reponere. Et S. Augustinus videtur asserere in praesente vita justitiam potius consistere in remissione peccatorum, quam in perfectione virtutum, quum dicit (5): "Ipsa quoque nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum." Denique S. Bernardus inquit (6): "Justum me dixerim, sed illius justitia. Quaenam ipsa? *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Denique *qui factus est nobis*, inquit, *justitia a Deo Patre* (*I Cor.* I, 30). Quae ergo mihi justitia facta est?" Quibus verbis S. Bernardus videtur indicare nos formaliter justificari per ipsam Christi justitiam (7).

Resp. Ad S. Ambrosium dicendum esse S. Doctorem non excludere alia

(1) *Homil. 11* in *II Cor.* cap. V, v. 21, n. 3 (M. G. 61, 478).
(2) Saepe S. Augustinus memoratam interpretationem tradit, ut *Epist. 140 ad Honoratum*, cap. 30, n. 73 (M. L. 33, 570); *De peccato originali*, c. 32, n. 37 (M. L. 44, 403); *Contra duas epist. pelagianorum*, c. 6, n. 16 (M. L. 44, 600), etc.
(3) Graece habetur tantum *in dilecto*.
(4) *Expositio in Ps.* CXVIII, *serm. 3*, n. 10 (M. L. 15, 1291).
(5) *De civitate Dei*, l. 19, cap. 27 (M. L. 41, 657).
(6) *Tractatus de erroribus Abaelardi*, cap. 6 (M. L. 182, 1066).
(7) Vide B. Card. Bellarminum, *De justificatione*, l. 2, c. 13.

necessaria ad justificationem, id est, gratiam sanctificantem et virtutes. Et hoc expresse constat, sc., aliquid positivum dari in justificatione ex testimonio ipsius Sancti Doctoris allato n. 618.

S. Augustinus similiter non excludit in justificatione requiri aliquid positivum praeter remissionem peccatorum; et hoc manifeste constat ex testimoniis ipsius allatis n. 618.

S. Bernardus nullo modo ponit justitiam nobis externam: sed solum intendit significare nostram justitiam non esse a nobis, sed communicatam nobis a Deo propter merita Christi. Unde post verba adducta, prosequitur: "Si mea traducta culpa, cur non et mea indulta justitia? Et sane mihi tutior donata, quam innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum: illa autem, cum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi nisi in Domino." Et inferius (1) Abaelardum reprehendens dicit: "Ergo docuit justitiam, et non dedit; ostendit caritatem, sed non infudit; et sic rediit in sua?"

Etiam ex S. Bernardo objicitur, quod asserit de Christo, videlicet (2): "Sapientia (factus est Christus) in praedicatione, justitia in absolutione peccatorum..." Et inferius (3): "Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris (*Ps.* XXIV, 7), et justus sum." Iterum ita loquitur (4): "Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi." Et paulo inferius: "Non peccare, Dei justitia est; hominis justitia, indulgentia Dei." Verum, in his locis, licet non agat de dono distincto a remissione peccatorum, illud non excludit; et ipsa gratia sanctificans, ut inferius probabitur, est, quae peccatum expellit. In eodem sermone (5) S. Bernardus indicat dari donum a remissione peccatorum distinctum, quum dicit: "Tam validus denique est ad justificandum, quam multus ad ignoscendum." Et inferius de Magdalena loquens: "Sic tactus a peccatrice justus justitiam impertit, non perdit; nec sorde peccati, qua illam mundat, se inquinat." Et de S. Petro ibidem dicitur: "Cucurrit Petrus, qui lapsus *flevit amare* (*Luc.* XXII, 62), quatenus culpam dilueret, recuperaret justitiam."

629. Obj. 4° *Ex Ratione.* Justitia humana est imperfecta et non est sufficiens ad respondendum Deo. Ergo non est admittenda. Item si nobis justitiam intrinsecam tribuimus, Christo injuriam facimus; quia implicite asserimus justitiam Christi non sufficere. Praeterea adoptio, quae fit per justificationem nihil intrinsecum requirit. Neque est aliqua necessitas gratiae habitualis, quum actualis gratia sufficere possit.

Resp. Ad 1um Justitia humana seu acquisita viribus naturalibus est imperfecta, immo nulla in ordine ad vitam aeternam. Sed justitia habitualis a Deo infusa tollit omnia peccata mortalia, et dat jus ad vitam aeternam. Actus vero supernaturales a peccato immunes sunt et ad finem supernaturalem dirigunt.

Ad 2um Justitia nobis intrinseca a Deo communicata per merita Chris-

(1) Cap. VII, col. 1067.
(2) *Sermon.* 22 in cantica, n. 6 (M. L. 183, 880).
(3) Eodem loco, n. 8, col. 882.
(4) *Serm.* in cant. 23, n. 15, col. 892.
(5) 22, nn. 8 et 9.

ti nullo modo injuriam Christo infert; sed illum maxime extollit, quia tribuit illi meritum abundans ad omnes homines, intrinsece justificandos et ad omnia peccata vere delenda.

Ad 3um Adoptio humana fit sine mutatione physica intrinseca; sed adoptio Dei in Filium non fit sine nova regeneratione et nativitate, et ita non sine mutatione physica intrinseca.

Ad 4um Gratia habitualis est necessaria, ut homo intrinsece et constanter in finem supernaturalem ordinetur, et ut habeat vires internas a Deo speciatim communicatas ad agendum supernaturaliter. Homo enim in praesenti statu per suas operationes in finem supernaturalem tendit; et sic ad hoc vires debet habere, quas, quum naturaliter non habeat, debet eas per infusionem a Deo factam recipere.

630. SCHOLION I. *Spiritus Sanctus non est gratia sanctificans* (1). Petrus Lombardus docuit (2) Spiritum Sanctum esse ipsam caritatem, et quum juxta eumdem auctorem caritas sit ipsa gratia sanctificans (3), inde infertur Spiritum Sanctum esse gratiam sanctificantem. Verum haec sententia omnino rejicienda est, et opposita habenda ut theologice certa, quum ex principiis theologicis certo deducatur, ut probationes ostendent.

Prob. 1° *Ex S. Scriptura.* Per gratiam sanctificantem (4) *creamur, nascimur, vivimus, regeneramur, renovamur,* habemus *signum Spiritus Sancti* et *imaginem Filii Dei.* Atqui haec a Spiritu Sancto formaliter praestari non possunt. Ergo. Prob. min. Quia Spiritus Sanctus nobis illa praestare non potest, si non uniatur physice nobiscum; quia sine physica unione, Spiritus Sanctus formaliter non immutaret physice hominem, ideoque non faceret, ut homo crearetur, nasceretur etc. At neque hoc faceret formaliter per physicam unionem; nam si haec esset substantialis, hominem faceret Deum, quod est absurdum, sc. per justificationem singulos homines fieri verum Deum. Si vero unio esset accidentalis, Deus physice inhaereret creaturae, quod Deo certo repugnat, quum hoc Deum dedeceat.

2.° *Ex Conc. Tridentino.* Dicit hoc Concilium (5): "Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos

(1) S. Thomas, in *I. sent., d. 17*; in *II*, d. 26; *1. 2*, q. 110, a. 3; *2. 2*, q. 23, a. 2; B. Bellarminus, *De gratia et liber. arb.*, l. 1, c. 8; Mazzella (Camillus), *De gratia Christi*, d. 5, a. 3; Herrmann, *De divina gratia*, p. 2, s. 1, cap. 1, a. 1, § 2; Beraza, *De gratia Christi*, p. 3, s. 2, disp. schol., cap. 1, a. 5.
(2) L. 1, dist. 17.
(3) L. 2, dist. 26.
(4) Vide supra, n. 617.
(5) *Sess. 6.ª*, cap. 7, (Denz.-Bannwart, n. 799).

justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque secundum mensuram, quam *Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult* (*I Cor.* XII, 11), et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem." In hoc testimonio asseritur justitiam nostram non esse ipsam justitiam Dei, sed illam, qua Deus nos justos facit; per illam *nos renovari*, eamdemque Spiritum Sanctum *partiri* singulis prout vult. Haec autem personae Spiritui Sancto non conveniunt, qui est ipsa Dei justitia, et non renovat nos formaliter et physice, nec se ipsum singulis partitur. Praeterea idem Conc. in eodem loco (1) et in can. 11 (2) asserit gratiam et caritatem nobis inhaerere: nihil autem increatum nobis inhaeret.

3.° *Ex PP.* Hoc probant PP. allati nn. 618 et 623. Illis addo novum testimonium S. Augustini dicentis (3): "Sed quantum interest inter lumen quod illuminat et quod illuminatur, tantum inter sapientiam quae creat et istam quae creata est; sicut inter justitiam justificantem, et justitiam quae justificatione facta est."

4.° *Ratione theologica.* Nam gratia sanctificans augeri potest, ut docet Tridentinum (4). Atqui Spiritus augeri formaliter non potest. Ergo. Item gratia sanctificans est inaequalis in diversis subjectis, et in eodem subjecto in diversis temporibus. Sed Spiritus formaliter sumptus semper est idem. Ergo.

631. Obj. 1.° *In S. Scriptura* videtur indicari Spiritum Sanctum esse gratiam sanctificantem. Nam in *Deut.* XXX, 20, legitur: "Ipse (Deus) est vita tua." Ergo Deus est formaliter vita hominis; ac proinde Spiritus Sanctus, cui opera amoris tribuuntur. Item *I Joan.* IV, 16, dicitur: "Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo." Ubi asseri videtur caritatem esse ipsum Deum. Rursus *I Cor.* VI, 17, habetur: "Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est." Ideoque Spiritus Sanctus fit unus cum illis, qui Deo adhaerent.

Resp. Ad 1um Deus dicitur vita hominis efficienter, non formaliter, ut ex contextu est manifestum; nam ibi, v. 16, promittitur homini vivere et multiplicari, si Domini praecepta observet. Ad 2um Deus est quidem caritas, quia essentialiter est caritas; sed non est formaliter ipsa caritas nostra. Verum caritatis creatae Deus est causa efficiens, exemplaris et finalis. Et ipse S. Joannes, eodem loco, v. 7, innuit caritatem nostram

(1) Denz.-Bannwart, n. 800.
(2) Denz.-Bannwart, n. 821.
(3) *Confess. l. 12, c. 15, n. 20* (M. L. 32, 833).
(4) *Sess. 6, cap. 10, et cc. 24 et 32* (Denz.-Bannwart, nn. 803, 834, 842).

esse a Deo effectam, quum dicit: *Caritas ex Deo est.* Deinde *qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo;* quia in habente caritatem tota Trinitas inhabitat, ut dicitur *Joan.* XIV, 23: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus..." Ad 3 um Unus *spiritus* non ad unionem aliquam physicam inter Deum et animam humanam refertur; sed ad unionem ratione mutui amoris et similitudinis affectuum (1).

632. **Obj. 2.°** *Ex PP.* Ex S. Augustino plura objiciuntur. Dicit (2) S. Doctor: "Duae vitae sunt, una corporis, altera animae: sicut vita corporis anima, sic vita animae Deus, quomodo si anima deserit, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus." Ideoque videtur asseri Deus esse formalem vitam animae, sicut anima est causa formalis vitae corporis. Idem S. Doctor dicit (3): "Sed et hoc ideo (taceri de dilectione Dei), quia et qui proximum diligit, consequens est ut et ipsam praecipue dilectionem diligat. *Deus* autem *dilectio est, et qui manet in dilectione, in Deo manet* (*I Joan.* IV, 16)." Rursus etiam docet (4) dici de Deo: "*Tu est patientia mea; Tu es, Domine, spes mea; Deus meus misericordia mea;* sed non dicitur; *Domine caritas mea, Tu es caritas mea.*" Denique ab eodem S. Augustino asseritur (5): "Sed ita dictum est, *Deus caritas est;* sicut dictum est, *Deus Spiritus est* (*Joan.* IV, 24)." Hisce vero loquendi modis Sanctus Doctor videtur significare ipsum Spiritum Sanctum esse nostram caritatem et sanctificationem.

Praeterea plures Patres asserunt Spiritum Sanctum nos sanctificare (6).

Resp. Ad S. Augustinum. Hic S. Doctor recte sensisse de justitia seu gratia sanctificante et de caritate, elucet ex ipsius testimoniis adductis supra, n. 618. Illis addo, quod dicit ipse S. Augustinus in *L. de spiritu et litt.* (7), sc.: "Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur; et Domini salus, qua nos salvos facit (*Ps.* III, 9); et fides Jesu Christi, qua nos fideles facit (*Gal.* II, 16). Haec est justitia Dei, quam non solum docet per legis praeceptum, verum etiam dat per spiritus donum." Unde juxta Augustinum Deus est vita animae non formaliter, sed efficienter. Item Deus est caritas et dilectio essentialis et substantialis; sed non caritas nostra, et dilectio nostra nisi efficienter, exemplariter et finaliter. Praeterea Deus dicitur spes mea et similia, et non dicitur Deus est caritas mea; quia prima locutio non potest intelligi nisi efficienter, et Deus est caritas mea non est verum; Deus enim non est caritas mea, sed sua caritas cum qua identificatur. Deus quidem dicitur caritas, quia haec illi substantialiter convenit, et nullam imperfectionem includit; et non potest dici *Deus est patientia, est spes;* quia hae virtutes imperfectionem includunt. Denique Deus

(1) Vide S. Thomam, QQ. DD., Q. *de caritate*, a. 1, ad 3.
(2) *Enarratio in Ps. 70*, serm. 2, n. 3 (M. L. 36, 893).
(3) *De Trinitate*, l. 8, c. 7, n. 10 (M. L. 42, 957).
(4) Eodem loco, l. 15, c. 17, n. 27.
(5) Eodem loco proxime citato.
(6) Vide Petavium, *De Trinitate*, l. 8, c. 4.
(7) Cap. 32, n. 56 ad finem (M. L. 44, 237).

est caritas, sicut est spiritus, verum est de caritate essentiali, non de caritate nostra.

Ad rem S. Thomas inquit (1): "Ad primum ergo dicendum, quod ipsa essentia divina caritas est, sicut et sapientia est, et bonitas est. Unde sicut dicimur boni bonitate, quae est Deus, et sapientes sapientia, quae est Deus (quia bonitas qua formaliter boni sumus est participatio quedam divinae bonitatis, et sapientia qua formaliter sapientes sumus est participatio quaedam divinae sapientiae), ita etiam caritas qua formaliter diligimus proximum est quaedam participatio divinae caritatis. Hic enim modus loquendi consuetus est apud platonicos, quorum doctrinis imbutus fuit Augustinus; quod quidam non advertentes, ex verbis ejus sumpserunt occasionem errandi."

Ad ceteros PP. dicendum est, eos recte sentire et admittere formam sanctificantem creatam, prout constat ex eorum testimoniis allatis nn. 618 et 623. Illis addo S. Bernardum dicentem (2): "Dicitur ergo recta caritas et Deus, et Dei donum. Itaque caritas dat caritatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen est substantiae; ubi donum, qualitatis." Quocirca PP. non affirmare videntur Spiritum Sanctum esse ipsam formam, qua justificamur, neque Spiritum Sanctum formaliter nos sanctificare; sed solum docere videntur Spiritum Sanctum esse causam efficientem nostrae sanctificationis; et praeterea esse in nobis non modo propter immensitatem, verum etiam ratione gratiae sanctificantis inhabitare. Patres, quum negant nos sanctificari per aliquid creatum, hoc intelligunt de causa sanctificante efficienter; et simul auctorem sanctificandi probant esse Deum.

Ita S. Athanasius dicit (3): "Omnes similiter per Spiritum, Dei participes efficimur. Nescitis, inquit, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Sed si spiritus sanctus res creata esset, nulla sane Dei communicatio nobis in ipso esset; sed rei creatae conjungeremur, et divinae naturae alieni essemus, utpote nulla in parte ejus facti participes. Nunc vero cum Christi et Dei participes dicamur, utique constat unguentum et sigillum, quod in nobis est, non ad rerum factarum (referri), sed ad Filii naturam pertinere, qui nos per Spiritum, qui in ipso est, Patri conjungit." Et S. Doctor loqui (4) etiam de donis creatis apparet ex his ejusdem verbis, sc.: "Nam quemadmodum ex Patre per Filium datur gratia, ita in nobis fieri non potest doni communicatio nisi in Spiritu Sancto. Hujus siquidem participes effecti, Patris caritatem, Filii gratiam et ipsius Spiritus Sancti communicationem habemus. Ex his igitur una Trinitatis efficientia esse ostenditur. Nec enim diversa et divisa dari a singulis significat Apostolus, sed ea quae dantur, in Trinitate dari, omniaque ex uno Deo esse."

Quod si aliqui PP. affirmare videantur ipsum Spiritum Sanctum esse

(1) *2. 2*, q. 23, a. 2, ad 1um.
(2) *Epist. 11* ad Guigonem priorem, n. 4 (M. L. 182, 111).
(3) *Epist. ad Serapionem 1^{am}*, n. 24 (M. G. 26, 586).
(4) Eodem loco, nn. 30 et 31, col. 599.

formam nos sanctificantem, non videntur velle significare, nisi Spiritum Sanctum per suam formam, sive substantiam sive essentiam esse jugiter praesentem justo et eumdem continuo sanctificare efficienter.

Aliunde constat in S. Scriptura reperiri locutiones similes his, quae, ex PP. objiciuntur. Sic dicitur (*Joan.* XIV, 16): "Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum." Item ad *Rom.* V, 5: "Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis." Et *I Cor.* VI, 19, dicitur: "An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?" Rursus *II Cor.* I, 21-22, legitur: "Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris." Atque alia his similia reperiuntur. Tamen ex his testimoniis non licet inferre gratiam formaliter sanctificantem esse Deum aut aliquam personam divinam; tum quia testimonia allata sufficienter explicantur, quum dicimus personas divinas esse causam efficientem nostrae sanctificationis, et in nobis habitare; tum quia testimonia Scripturae adducta nn. 617 et 621 manifeste requirunt gratiam formaliter sanctificantem esse aliquid creatum. Accedit quod si aliquod donum esset formaliter persona divina, hoc esset caritas; et tamen caritas nostra non est persona divina; quia similiter nominatur cum fide et spe (*I Cor.* XIII, 13); fides vero et spes sunt dona creata; ideoque similiter caritas (1).

633. Scholion II. De reali distinctione gratiae sanctificantis ab anima ejusque potentiis (2). Ut refert P. Suarez, loco citato, Joannes Vincentius docuit sanctificationem fieri posse per formalitatem realiter identificatam cum anima aut cum ejus voluntate, et tantum formaliter ab illis distinctam. Haec formalitas juxta memoratum Auctorem ab actu caritatis produci posset. Haec sententia nullo modo admitti potest, et dicit P. Suarez (3) distinctionem realem inter gratiam sanctificantem et animam ejusque potentias *esse rem certissimam, et quae sine magno errore in dubium revocari non potest.*

Imprimis impossibile est rem jam existentem, praesertim si simplex res omnino sit, ut sunt anima humana et ejus potentiae spirituales, aliud acquirere per identitatem, licet non sit nisi formalitas; quia aliter ea res constitueretur per suam entitatem, et simul non constitueretur: quia posset acquirere novam formalitatem manente omnino eadem entitate (4). Deinde impossibile est rem, quae tota est adaequate ordinis naturalis, ut sunt animae et ejus potentiae, identificari cum formalitate supernaturali, ut est gratia sanctificans; secus enim res supernaturales

(1) P. Petavius, *De Trinitate*, l. 8, c. 4 et sq., et Thomassini (Ludovicus), *De Incarnatione*, l. 8, c. 9 et sq., plurima PP. testimonia afferunt ad probandum Spiritum Sanctum vel aliquam divinam personam esse formam nos principaliter sanctificantem; verum non id ostendere videntur. Hoc quidem probant Spiritum Sanctum esse per suam substantiam jugiter praesentem justis, et hos continuo sanctificare efficienter. De PP. vide dicta nn. 618, 623, 628.

(2) Suarez, *De gratia*, l. 7, c. 15; Beraza, *De gratia habituali*, s. 2, disp. schol., c. 1, a. 3; Lahousse, *De gratia sanctificante*, cap. 1, a. 2.

(3) Loco antea citato, n. 8.

(4) Vide P. Suarez, loco antea citato, n. 7.

non essent omnino supra naturam; nam possent esse realiter idem cum ipsa. Unde, quum de fide sit gratiam sanctificantem, quidquid sit, esse ordinis supernaturalis, de fide videtur esse eamdem gratiam cum re naturali identificari non posse.

Praeterea justificationem re ipsa non fieri per formalitatem, cum anima aut ejus potentiis identificatam, ex Concilio Tridentino probatur. Dicit (1) enim per justificationem nos recipere justitiam; justitia vero secundum omnes theologos est realiter distincta ab anima et ejus potentiis. Praeterea statim adjungit idem Tridentinum: "Unusquisque suam (justitiam recipiens) secundum mensuram, quam *Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 11), et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem." Spiritus autem Sanctus non posset distribuere *justitiam prout vellet, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem*, si justitia seu gratia sanctificans consisteret in formalitate realiter identificata cum anima aut ejus potentiis. Dicit (2) etiam Tridentinum: "Id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito *per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus* (*Rom.* V, 5) eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem." De formalitate vero realiter identificata cum anima aut ejus potentiis non posset dici, nisi ad summum valde improprie, diffundi in cordibus eisque inhaerere; multo minus de ea dici posset ipsam esse fidem, spem et caritatem.

Denique Tridentinum ita loquitur (3). "Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei: A. S." Secundum vero sententiam omnium theologorum, formalitas memorata dici nequit gratia vel caritas.

634. SCHOLION III. **Assertio. Gratia sanctificans est accidens absolutum, spirituale, et qualitas quaedam** (4).

Praemitt. Ex dictis hoc articulo et praecedenti constat gratiam sanctificantem esse donum homini intrinsecum; permanens et inhaerens, et non esse Spiritum Sanctum. Neque est aliquid divinum seu increatum; quia substantia increata nobis non inhaeret, neque est nova nativitas, regeneratio, semen etc. (5). Itaque gratia sanctificans debet esse aliquid creatum, hoc est, realiter distinctum a Deo et ab omnibus ipsius perfectionibus. Idcirco gratia sanctificans debet esse aut substantia creata aut accidens. Non potest vero

(1) *Sess.* 6, c. 7 (Denz.-Bannwart, nn. 799, 800).
(2) Eodem loco, § proximo
(3) Loco proxime citato, can. 11 (Denz.-Bannwart, n. 821).
(4) Suarez, *De gratia*, l. 6, c. 1; Herrmann, *De gratia habituali*, s. 1, cap. 1, § 3.
(5) Vide dicta n. 617.

esse substantia creata, ut probatum est *De Deo Creatore* (1); quare necesse est ut sit accidens. Accidens dicitur, quod in bonum alterius ordinatur, eique inhaeret tanquam subjecto. *Accidens est absolutum,* quum ejus munus non est mere determinare subjectum ad aliquid, sed tribuit illi particularem perfectionem, nec est absolute a subjecto inseparabile, ut sunt modi, qui subjecto essentialiter inhaerent. *Spirituale* dicitur accidens, quod substantiae spirituali inhaerere debet. Et est qualitas, quia affert subjecto, cui inhaeret, perfectionem sibi propriam sine ordine ad quantitatem materialem (2). Potest vocari quoque habitus, quia, sicuti jam probatum est, debet esse res permanens. Quod vero debeat esse res supernaturalis jam ex antea dictis constat; praesertim quia probatum est supra (3), gratiam actualem esse supernaturalem; ideoque a fortiori habitualem sanctificantem, quum det jus ad vitam aeternam. Assertio est certa quoad omnes partes.

635. Prob. 1.ª p., *seu gratia sanctificans est accidens absolutum.* Nam secundum textus S. Scripturae allatos supra (4), gratia sanctificans est *nova nativitas, renovatio, regeneratio, acquisitio justitiae, fieri justum, habere imaginem Dei.* Atqui haec omnia important aliquid creatum accidentale. Ergo. Important aliquid creatum, ut sequitur ex dictis n. 634. Deinde hoc creatum est aliquid accidentale; quia homo non potest iterum nasci, regenerari, renovari per unionem cum nova substantia, ut est manifestum; nam homo completus non est capax unionis substantialis cum nova substantia creata. Praeterea acquirere justitiam et fieri justum aliquid accidentale significat. Deinde secundum Concilium Tridentinum (5) gratia sanctificans inhaeret animae vel ejus potentiis; inhaerere autem proprium est accidentium. Item est accidens vere reale; quia iterum nasci, regenerari, renovari, acquirere justitiam, imaginem Dei, re ipsa aliquid reale important. Est quoque accidens absolutum; quia ea, quae dicta sunt convenire gratiae sanctificanti, non sunt merum munus modificandi et tollendi aliquam indifferentiam, prout modis convenit.

(1) D. 1, c. 3, a. 2.
(2) Vide P. Suarez, *Metaphys.*, d. 7, s. 1; d. 37 et sq; d. 42 et sq.
(3) Disp. 1, cap. 1, a. 4.
(4) N. 617.
(5) *Sess. 6,* cap. 7, et can. 11.

Ad rem S. Thomas inquit (1): "Dicendum, quod omnis substantia vel est ipsa natura rei cujus est substantia, vel est pars naturae; secundum quem modum materia vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse quod sit substantia aut forma substantialis; sed est forma accidentalis ipsius animae. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem, ut de scientia patet. Secundum hoc ergo, quia anima imperfecte participat divinam bonitatem, ipsa participatio divinae bonitatis, quae est gratia, imperfectiori modo habet esse in anima quam anima in se ipsa subsistat; est tamen nobilior quam natura animae inquantum est expressio vel participatio divinae bonitatis, non autem quantum ad modum essendi."

636. Prob. 2.ª p. *Est accidens spirituale.* Nam secundum Tridentinum gratia sanctificans inhaeret homini; non autem inhaeret corpori aut potentiae materiali, quum homo ad vitam aeternam tendat non per potentias materiales, sed per intellectum et voluntatem, seu per potentias spirituales. Ac proinde gratia sanctificans aut inhaeret animae spiritali, aut potentiae spiritali; ideoque est spiritualis; quia nihil corporale substantiae aut potentiae spirituali inhaeret. Accedit quod gratia sanctificans est specialis participatio naturae divinae, ut indicatum est n. 621. et postea fusius declarabitur. Natura vero divina est maxime spiritualis; quocirca etiam specialis ejus participatio debet esse spiritualis.

637. Prob. 3.ª p. *Est qualitas.* Nam gratia sanctificans non pertinet ad praedicamentum *quantitatis,* aut ad praedicamenta *situs* vel *habitus;* quum haec praedicamenta ad res corporeas se referant; neque ad praedicamenta *ubi* et *quando,* quum non dicat specialem ordinem neque ad locum, neque ad tempus; neque ad *actionem* vel *passionem,* quia haec sunt res transeuntes, et gratia sanctificans est res permanens, ut probatum est n. 621 et sq.; neque est praecise relatio aliqua; nam praeter munus referendi, habet alia munera, ut v. gr., delere peccata et Dei amicos constituere. Remanet igitur gratiam sanctificantem esse qualitatem; quum non sint alia praedicamenta accidentium, et in praedicamentis omnia genera accidentium comprehendantur. Nec dicatur gratiam sanc-

(1) *1. 2.*, q. 110, a. 2, ad. 2.

tificantem esse ens supernaturale, et in praedicamentis sola entia naturalia comprehendi; nam etiam entia supernaturalia propter aliquam similitudinem analogicam ad aliquod ex praedicamentis revocari possunt. Denique est qualitas per modum habitus; quia est res permanens, ut dictum est. Dicitur qualitas per modum habitus, ut significetur res permanens, et saltem mediate ad operationem ordinata. Nec refert a peccato mortali auferri; quia hoc fit contra exigentiam gratiae sanctificantis, quae ex se postulat semper manere.

Praeterea gratiam sanctificantem esse qualitatem, constat ex Catechismo Conc. Tridentini allato supra (1), qui vocat gratiam sanctificantem *divinam qualitatem*.

Articulus III

Gratia sanctificans est specialis et formalis divinæ naturæ participatio (2)

638. Praemitt. 1.° Nonnullae notiones praevie declarandae sunt. Imprimis vocatur *essentia* actu existens, id quo res constituitur et actu jam positum est; et *natura* est ipsa essentia prout respicit suas virtutes et operationes. Essentia divina est illa, quae ex se ipsa necessario existit, et natura Dei est haec ipsa essentia prout respicit suam infinitam virtutem. Unde essentia et natura Dei omnia ex se ipsis habent, et ideo cum absoluta independentia ab omni alia re. Res vero creatae habent omnia per participationem, i. e., accipiunt a Deo id quod habent, sed non ad aequilitatem cum Deo, sed solum imperfecte et inadaequate. Et sic dicit S. Thomas (3): "Participare nihil aliud est, quia ab alio partialiter accipere." Haec participatio creaturarum a Deo potest esse *formalis* et *virtualis*. Est formalis, si perfectio participata et imparticipata servant idem nomen secundum eamdem significationem; ita spiritualitas de Deo et de creaturis praedicatur. Est virtualis, si perfectio participata in Deo non reperitur nisi eminenter et vir-

(1) N. 619.
(2) P. Suarez, *De gratia*, l. 7, cap. 1; Beraza, *De gratia habituali, disp. scholastica*, c. 2, a. 1; Herrmann, *De gratia habituali*, s. 1, cap. 1, a. 2.
(3) *De caelo et mundo*, l. 2, lect. 18.

tualiter, ut perfectio corporea. Potest quoque perfectio participata esse *univoca* et *analoga*. Univoca dicuntur, quae habent idem nomen et eamdem rationem; ut, v. gr., animalitas hominis et bruti. Inter Deum et creaturas nulla datur univocatio; quia perfectiones ejusdem nominis et significationis conveniunt Deo modo infinite excellentiore quam creaturis; et ideo similia praedicta Deo et creaturis conveniunt analogice tantum, i. e., partim secundum eamdem rationem, partim secundum diversam. Et hoc est habere rationem analogiae.

Denique participatio Dei in creaturis rationalibus potest esse *physica* et *moralis*. Est physica quatenus creaturae physice participant divinam perfectionem; et moralis, quatenus illam participant ad recte agendum in ordine morali.

Natura considerari potest in ordine naturali et in ordine supernaturali. Natura in ordine naturali est essentia ut fundamentum et radix virtutum et operationem naturalium; et in ordine supernaturali est essentia ut fundamentum et radix virtutum et operationum supernaturalium. In ordine naturali natura est substantia ordinis naturalis. Verum in ordine supernaturali nulla substantia creata potest esse supernaturalis, et ideo nulla potest se habere ut natura quaedam in ordine supernaturali (1). Gratia vero sanctificans, quae ut probatum est, ad accidentia pertinet, est in ordine supernaturali natura quaedam, ut ostendetur.

639. Praemitt. 2.° *De opinionibus in re praesenti.* Ekardus, id quod est proprium gratiae sanctificantis, nimirum unire hominem cum Deo, sic explicat in propositione 10.ª ipsius damnata (2): "Nos transformamur totaliter in Deum et convertimur in eum; simili modo sicut in sacramento panis convertitur in corpus Christi: sic ergo convertor in eum, quod ipse me operatur suum esse unum, non simile; per viventem Deum verum est, quod ibi nulla est distinctio." Doctrina Ekardi a Joanne XXII fuit damnata; et ipse Auctor jam ante damnationem videtur se retractasse. Molinos (Michael de) sic exponit unionem hominis cum Deo in propositione 50.ª ipsius damnata (3): "Nihil operando anima se annihilat et ad

(1) Vide dicta de *Deo Creatore*, d. 1, c. 3, a. 2.
(2) Vide Denzinger-Bannwart, n. 501 et sq. et Nota. Item *Thesaurum doctrinae catholicae* a Fernando Cavallera, pag. 737.
(3) Denz.-Bannwart, n. 1225. Doctrina Molinos fuit damnata ab Innocentio XI, an. 1687.

suum principium redit et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo."

P. Lessius ponit (1) gratiam sanctificantem seu caritatem ut vinculum unionis inter spiritum et hominem justum; et juxta ipsum, vi hujus unionis Spiritus Sanctus est constanter cum homine justo, et est forma principalis justificationis, et id quo homo fit Dei filius adoptivus. Eamdem sententiam tenet P. Petavius (2) eamque approbat P. Hurter (3). Etiam Thomassinus ponit aliquam personam divinam ut formaliter et principaliter sanctificantem (4).

P. Ripalda ponit (5) naturam divinam participari a gratia sanctificante, quia natura divina prona et potens est ad omnes operationes moraliter bonas eliciendas, et impotens ad male operandum; et similiter gratia sanctificans est prona et potens ad operationes bonas faciendas, et impotens ad male operandum. P. Ripalda sequuntur Esparza (6), Oviedo (7), Struggl (8), Wirceburgenses (9), aliique.

Inter PP. Dominicanos est duplex sententia; alii enim tenent gratiam sanctificantem esse participationem divinae naturae physicam, sed tantum virtualiter in ratione infinitatis, actus puri et plenitudinis essendi; alii vero, ut Gonet (10), etiam in his praedicatis agnoscunt participationem formalem. Salmanticenses docent (11) gratiam sanctificantem non participare formaliter naturam divinam, ut haec est ens per essentiam, infinitum, independens irreceptum, etc., participatione convenientiae formalis in his praedicatis, sive eo perfectionis modo, ut rationes entis per essentiam, infiniti, et similes, quae praedicantur formaliter de natura divina, praedicentur etiam formaliter de gratia sanctificante; sed gratiam

(1) *De Summo bono*, l. 2, c. 1, n. 4 et sq.; et *de perfectionib. divin.*, l. 12, c. 11, n. 75 et sq.
(2) *De Trinitate*, l. 8, c. 6.
(3) *De gratia Christi*, nn. 190 et 194, edit. 12.ª
(4) *De Incarnat.*, l. 8, c. 9 et sq.
(5) *De ente supernaturali*, d. 132, sect. 9.
(6) *De justific.*, l. 5, q. 2.
(7) *De justificat.*, tract. 8, controv. 1, punct. 3.
(8) *De gratia*, tract. 6, d. 5, q. 1, a. 3, n. 23.
(9) *De gratia*, d. 6, c. 1, a. 3, n. 407.
(10) *De gratia*, d. 2, a. 4, § 1.
(11) *De gratia*, tract. 14, q. 110, d. 4, dub. 4.

sanctificantem participare formaliter naturam divinam ut est ens per essentiam, infinitum, independens, etc., participatione imitationis formalis analogicae. Joannes a S. Thoma asserit (1) gratiam sanctificantem esse participationem naturae divinae ex parte objecti, non subjective, quatenus elevat naturam creatam, ut possit cognoscere Deum prout est in se.

Communius theologi consentiunt gratiam sanctificantem esse specialem participationem naturae divinae; sed deinde in hac re explicanda praeter opiniones enumeratas sunt aliae plures. P. Suarez sic rem declarat (2): "Vera ergo excellentia gratiae habitualis, propter quam dicitur esse singularis participatio divinae naturae est,... nimirum, quia, cum divina natura sit quaedam intellectualis natura altioris ordinis, quam sit vel esse possit ulla substantia intellectualis creata, ille gradus intellectualitatis qui est in divina natura, divino quodam et supernaturali modo participatur per habitualem gratiam, quo quidem modo a nulla substantia creata per se ipsam, vel per potentiam sibi connaturalem participari potest." Et P. Viva dicit (3): "Gratiam recte dici specialem participationem naturae divinae physice sumptae, per hoc, quod sit natura supernaturalis, seu radix omnis supernaturalitatis." P. Billuart asserit (4): "Homo justus vi gratiae sanctificantis radicaliter disponitur et propendet in Deum intuitive videndum, in ipsum amore beato diligendum et ad omnia propter ipsum facienda. Insuper est radix virtutum infusarum quae sunt divinorum attributorum imagines et participationes."

Cum P. Viva et P. Billuart re ipsa consentiunt Card. Mazzella (5), Herrmann (6), P. Beraza (7). Cardinalis Mazzella sic loquitur: "Per gratiam, quae in justificatione infunditur, vere efficimur divinae consortes naturae; ipsa enim est suprema ac physica similitudo divinitatis, quae intellectualis est, et cui tanquam novae naturae debitae sunt divini ordinis virtutes et operationes, quae inmediate attingunt ipsum Deum, prout est in se." Et Herrmann

(1) *In 1. 2.*, q. 110, d. 22, a. 1, n. 12.
(2) *De gratia*, l. 7, c. 1, n. 30.
(3) *De gratia*, d. 4, q. 2, n. 2.
(4) *De gratia*, dissert. 4, a. 3.
(5) *De gratia*, d. 5, a. 7, n. 1005 et sq. prop. 33.
(6) Loco proxime antea citato, n. 829.
(7) Loco proxime antea citato, n. 800.

(1): "Natura in genere est *essentia rei ad operationem ordinata.* Per divinam igitur naturam, nostro modo concipiendi, intelligitur ipsa divina essentia quatenus est prima radix divinorum attributorum et principium radicale divinarum operationum, scilicet seipsum intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, atque omnia propter se faciendi. Atqui gratia sanctificans est in homine radix caritatis et virtutum infusarum, quae sunt divinorum attributorum imagines et participationes, et principium radicale divinarum operationum, quatenus scilicet homini tribuit ut propendat ad Deum intuitive videndum, ipsum amore beatifico diligendum, et omnia propter ipsum faciendum... Eadem proinde fontalis perfectio, quae formaliter concipitur in Deo ut radix divinarum operationum, scilicet essentia ut ordinata ad operationem, formaliter etiam, licet tantum analogice, est in homine per gratiam; qua de ratione, gratia recte dicitur et vere est participatio divinae naturae, praecise ut est natura."

Denique P. Beraza dicit: "Natura divina est quod concipimus in Deo ut principium radicale operationis divinae, illius scilicet qua seipsum intuitive videt, seipsum diligit, seipsum beat. Atqui hanc radicalem Dei perfectionem gratia sanctificans physice et formaliter exprimit. Gratia enim sanctificans est novum esse physicum, physice permanens, physice inhaerens, vi cujus homo radicaliter disponitur in ordine ad Deum intuitive videndum eumque amore beatifico diligendum; est radix physica virtutum infusarum donorumque Spiritus Sancti, quae reapse sunt physica divinorum attributorum participatio. Ergo gratia sanctificans est participatio naturae divinae, non solum ethice, sed etiam physice sumptae."

"Quod vero sit participatio formalis, liquido patet; etenim esse radicem seu principium radicale videndi Deum intuitive, eumque amore beatifico diligendi, est perfectio quae de natura divina et de gratia *formaliter,* etsi analogice, praedicatur."

Sententia autem PP. Viva, Billuart, Card. Mazzella, Herrmann et Beraza videtur probabilior et admittenda. Atque ejusdem sententiae videtur esse S. Thomas, quum dicit (2): "Virtus

(1) N. 829.
(2) *I. 2.*, q. 110, a. 3.

uniuscujusque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem, quando scilicet unumquodque sic est dispositum, secundum quod congruit suae naturae. Manifestum est autem quod virtutes acquisitae... Virtutes autem infusae disponunt hominem altiori modo, et ad altiorem finem: unde etiam oportet quod in ordine ad aliquam altiorem naturam, hoc est, in ordine ad naturam divinam participatam, quae dicitur *lumen gratiae*, secundum quod dicitur (*II Petri*, 1, 4): "*Maxima et pretiosa vobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.*" Et secundum acceptionem hujusmodi naturae dicimur regenerari in filios Dei. Sicut igitur lumen naturale rationis est aliquid praeter virtutes acquisitas, quae dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale; ita etiam ipsum lumen gratiae, quod est participatio divinae naturae, est aliquid praeter virtutes infusas, quae a lumine illo derivantur, et ad illud lumen ordinantur; unde Apostolus dicit (*Ephes.* V, 8): "*Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate.*" Sicut enim, virtutes acquisitae perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini naturali rationis; ita virtutes infusae perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini gratiae." Et idem S. Doctor dicit (1): "Donum autem gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae, cum nihil aliud sit quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam."

THESIS I. Gratia sanctificans est natura quaedam in ordine supernaturali, et specialis participatio divinae naturae, quatenus est radix virtutum per se infusarum omniumque donorum ad Deum immediate ut est in se attingendum ordinatorum, et ideo supernaturalium: quare est formalis participatio naturae divinae.

Termini hujus theseos jam in superioribus declarati sunt. Virtutes per se infusae sunt illae, quae sunt entitative supernaturales et ideo acquiri non possunt nisi per infusionem a Deo. Attingere immediate Deum in se ipso, est illum cognoscere intuitive,

(1) *1. 2.*, q. 112, a. 1.

non in aliquo medio. Thesis est communior inter theologos, quatenus affirmat gratiam sanctificantem esse quamdam naturam in ordine supernaturali, et specialem divinae naturae participationem (1); 3.ª vero pars, seu: est radix omnium donorum supernaturalium, ponitur ut probabilior et verior.

640. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex S. Scriptura.* a) Ex *II Petri.* I, 4, ubi legitur: "Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae..." Verbum efficiamini videtur significare aliquid supernaturale quod intrinsece fit vel unitur homini; ideoque videtur referri ad gratiam sanctificantem, que est praecipuum donum creatum homini communicatum; et idcirco gratia sanctificans est consors divinae naturae, et illi assimilatur analogice in ratione naturae.

b) Ex aliis textibus. *Joan.* I, 12-13, dicitur: "Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt." Et III, 5: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei." Item *Jac.* I, 18: "Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus." Rursus I *Joan.* III, 9: "Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit:... quoniam ex Deo natus est." Iterum *I Joan.* V, 1: "Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est." Et v. 18: "Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conservat eum..." Denique *Rom.* VIII, 16: "Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei."

Ex testimoniis allatis elucet gratiam sanctificantem facere nos habere novam nativitatem, generari, esse filios Dei adoptivos. Ergo gratia sanctificans est nova nativitas, nova generatio et filiatio; non posset autem gratia sanctificans haec omnia praestare, nisi ipsa novam naturam importaret; quia per nativitatem et generationem habetur nova natura accepta ab illo, a quo nascimur et generamur. Quare ipsa gratia sanctificans debet esse haec nova natura; quia gratia sanctificans est praecipuum donum inter dona supernaturalia, quae homini communicantur, et natura, in eo ordine in quo est natura, et principium et fundamentum et ra-

(1) Vide P. Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 6, disp. ultima, s. 6 et sq.

dix ceterorum. Quocirca haec gratia debet esse quaedam natura. Hoc ipsum evincitur ex eo, quod simus filii Dei adoptivi; quia adoptati aut debent habere naturam adoptantis, aut illam accipere. Non tamen gratia sanctificans debet esse similis naturae divinae univoce, sed tantum analogice.

641. Nec dicatur nativitatem novam, generationem, filiationem haberi non per donum creatum, sed per Spiritum Sanctum vel per aliquam personam divinam. Ne, inquam, hoc dicatur; etenim nasci, generari, filium constitui importat aliquid intrinsecum, saltem per physicam unionem, nato, generato, filio; sed personae divinae non sunt intrinsece homini, neque cum eo physice unitae.

642. **2.°** Gratia sanctificans est radix omnium virtutum et donorum supernaturalium. Atqui hoc est proprium naturae esse radicem ceterorum in eo ordine, in quo est natura. Ergo gratia sanctificans est aliquo modo natura.

3.° Gratia sanctificans, ut in articulo proximo probabitur, est realiter distincta a caritate. Atqui si realiter a caritate distinguitur, et ideo non habet munus virtutis, non apparet quod aliud munus habere possit, nisi fundamenti et radicis ceterorum donorum ordinis supernaturalis, ideoque habere munus naturae. Ergo.

Et est quidem natura quaedam in ordine supernaturali; quia gratia sanctificans elevat hominem ad ordinem supernaturalem, et tribuit jus ad finem supernaturalem possidendum.

643. **Prob. 2.ª p.,** seu *gratia sanctificans est specialis participatio divinae naturae.*

1.° Nam per gratiam sanctificantem, ut probatum est n. 640, nascimur ex Deo, ab ipso generamur, efficimur filii Dei. Atqui natus, generatus, filius, modo speciali naturam illius, ex quo nascitur, a quo generatur, cujus est filius, participat. Ergo homo per gratiam sanctificantem participat modo speciali divinam naturam; ideoque ipsa gratia sanctificans est specialis participatio divinae naturae; quum homo ratione gratiae sanctificantis id habeat. Et haec participatio est physica, quum gratia sanctificans physice uniatur animae, et tanquam forma physica suos habeat effectus.

Praeterea, ut dictum est etiam n. 640, efficimur per gratiam

sanctificantem *divinae consortes naturae;* ideoque gratia sanctificans, quae est donum creatum permanens, ut in articulo proximo probatum est, est specialis divinae naturae participatio; habet enim consortium cum illa.

644. 2.° a) *Ex PP. Graecis.* S. Irenaeus dicit (1): "In compendio nobis salutem praestans (Christus), ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus." Haec *imago* et *similitudo* erat supernaturalis; secus enim non esset amissa in Adamo, et idcirco videtur fuisse imago et similitudo Dei seu divinae naturae ut est in se. Et S. Athanasius (2): "Itaque res omnes Filii fiunt participes secundum Spiritus gratiam, quae ab eo datur. Nos enim cum ipsius Filii participes efficimur, Dei participes esse dicimur, idque ipsum est quod aiebat Petrus, ut efficiamini divinae consortes naturae..." Item S. Basilius (3): "Et quam vitam indit Spiritus in alterius subsistentiam, ea ab ipso non separatur, sed quemadmodum ignis est caliditas partim illa, quae in eo est, partim illa, quam aquae aut alteri rei ejusmodi impertit: sic ita quoque ipse, et in semetipso vitam habet; et qui ipsius fiunt participes, ii, ut *deos* decet, vivunt vitam divinam et caelestem comparantes." Quum S. Basilius deos vocet, qui vitam Spiritus Sancti participent, eo ipso indicat eos specialem naturae divinae accipere participationem; et quidem per donum creatum, quia per hoc donum vivunt vitam divinam et caelestem, et nemo vivit per aliam personam.

Item S. Cyrillus Alex. inquit (4): "Quemadmodum ergo ab initio creatus et factus est (homo), ita etiam renovatur, et quemadmodum tunc ad Creatoris formatus est imaginem, ita et nunc participatione Spiritus ad similitudinem sui Creatoris reformatur." Denique S. Joannes Damasc. (5): "Nam, quia imaginem ipsius, et spiritum quem nobis dederat, minime servavimus, ipse cum paupere infirmaque natura nostra commercium iniit, quo nos expiaret, atque ad incorruptionis statum translatos, suae rursum divinitatis redderet participes." Et deinde prosequitur: "Oportebat

(1) *Contr. haer.*, l. 3, c. 18, n. 1 (M. G. 7, 932).
(2) *Orat. 1 contr. arianos*, n. 16 (M. G. 26, 46).
(3) *Adversus Eunomium*, l. 5, versus finem (M. G. 29, 771).
(4) *In Joan. Evang.*, l. 12, cap. 20, vv. 22-23 (M. G. 74, 715).
(5) *De fide orthodoxa*, l. 4, c. 13 (M. G. 94, 1138).

enim ut non solum generis nostri primitiae, sed et quisquis hominum vellet, in illius summo boni participationem veniens denuo nasceretur, novoque subinde cibo, qui hujusmodi nativitati consentaneus esset, enutritus, perfectionis modum attingeret."

b) *Ex PP. latinis.* S. Ambrosius dicit (1): "Quid illa attexam, et quasi toto stadio te urgeam, quod hominem Deus divinae fecit consortem naturae, sicut in *Epist. Petri* legimus (*II Petri*, I, 4)? Unde non immerito quidam ait: "Cujus et genus sumus (*Act.* XVII, 28)." Et S. Augustinus (2): "Et ab hac generatione gratiae discernitur ille Filius, qui cum esset Filius Dei, venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis qui eramus filii hominum, filios Dei fieri... Descendit ergo ille ut nos ascenderemus, et manens in natura sua particeps est factus naturae nostrae, ut nos manentes in natura nostra efficeremur participes naturae ipsius." Denique S. Leo M. (3): "Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conservatione redire."

645. **3.°** *Ex prop. 42 Baii damnata,* quae ita se habet (4): "Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in oboedientia mandatorum, quae est operum justitia; non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut, sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis oboedire possit." Ex damnatione hujus propositionis, sensu obvio, infertur gratiam sanctificantem creatam nos facere consortes divinae naturae, ideoque modo speciali participes ejusdem divinae naturae.

646. **Prob. 3.ª p.,** seu *gratia sanctificans est radix virtutum per se infusarum.* Probatum est gratiam sanctificantem creatam nos facere specialiter participes divinae naturae. Ergo gratia sanctificans creata, modo analogico, divinae naturae specialiter assimilatur; quocirca, quum divina natura sit radix et fundamentum cognitionis et amoris Dei in se ipso, et omnium virtutum et operationum Dei; similiter gratia sanctificans debet esse funda-

(1) *Epist. 43,* n. 10 (M. L. 16, 1180).
(2) *Epist. 140,* cap. 4, n. 10 (M. L. 33, 541-542).
(3) *Sermo 21, De nativit. Domini I,* cap. 3 (M. L. 54, 192).
(4) Denz.-Bannwart, n. 1042.

mentum et radix hominis gloriae, caritatis erga Deum, et omnium virtutum et operationum tendentium in Deum, prout est in se ipso, seu omnium donorum supernaturalium.

THESIS II. Gratia sanctificans creata es etiam specialis divinæ naturæ participatio ethice, seu in genere morum

Quod gratia sanctificans creata sit specialis divinae naturae participatio in genere morum est doctrina catholica; quod vero hoc in ratione causae formalis participaliter conveniat gratiae sanctificanti creatae est saltem doctrina communius recepta.

647. Prob. Haec pars est corollarium secundae et tertiae partis: quia, quum gratia sanctificans sit specialis divinae naturae participatio, quatenus ordinat hominem ad attingendum Deum prout est in se, eo ipso repugnat peccato mortali, quod tollit ordinationem illam, et exigit operationes supernaturales, quae sunt media necessaria ad attingendum Deum prout est in se. Ergo revera gratia sanctificans creata est specialis participatio divinae naturae in genere morum; quia sola natura divina ex se repugnat omni peccato, et exigit omne honestum.

Ad difficultates ex PP. solvendas vide dicta n. 632. Patres certe loquuntur saepe de gratia sensu morali; quia hoc illis magis expediebat, ut ad bonos mores exhortarentur; sed sensu exclusivo non loquuntur.

648. Scholion I. Refutantur sententiae adductae n. 639 praeter ultimas. Sententia Ekardi et Molinos sunt absurdae, quum ponant animam cum Deo identificari; est enim impossibile duas substantias fieri unum physice et utramque manere.

Sententia P. Lessii non est admittenda; quia supra (1) probatum est gratiam sanctificantem esse donum creatum permanens, et secundum sententiam P. Lessii gratia sanctificans esset principaliter Spiritus Sanctus. Praeterea Tridentinum docet (2): "Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua non justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes..." Quare secundum Tridentinum causa formalis justificationis est ipsa justitia creata, quam recipimus; et secundum P. Lessium causa formalis justificationis, saltem principalis, est Spiritus San-

(1) N. 616 et sq.
(2) *Sess. 6, c. 7* (Denz.-Bannwart, 799).

ctus. Idem judicium ferendum de sententia PP. Petavii, Hurter, et Thomassini.

Sententia P. Ripalda, quatenus admittit gratiam sanctificantem esse specialem participationem naturae divinae in ordine morali supernaturali omnino admittenda est; verum quatenus negat esse participationem physicam naturae divinae rejicienda est; quia gratia sanctificans physice est fundamentum et radix omnium donorum supernaturalium.

Sententia PP. Dominicanorum etiam rejicienda est; quia nulla est similitudo, nec analogica, inter dona supernaturalia creata et praedicata Dei, quae ipsi tantum conveniunt, ut esse per essentiam, infinitum, independens et similia. Neque videtur dici posse participationem divinae naturae esse objectivam, non subjectivam; nam de gratia sanctificante subjective sumpta praedicatur participatio specialis divinae naturae.

649. Scholion II. *De excellentia gratiae habitualis, si cum aliis conferatur* (1). *1.° Cum Incarnatione.* Habetur per Incarnationem res excellentiae infinitae, ideoque infinite excedens excellentiam gratiae habitualis, quae est donum creatum accidentale et ex omni parte finitum (2).

2.° Cum omni re naturali non modo creata, verum etiam creabili. Gratiae sanctificantis excellentia superat omnem rem creatam et creabilem ordinis naturalis. Ita dicit (3) S. Augustinus: "Dei vero gratia non solum omnia sidera et omnes caelos, verum etiam omnes angelos supergreditur." Et S. Thomas (4): "Sed bonum gratiae unius majus est quam bonum naturae totius universi." Et hoc constat ex dictis de Deo creatore (5). Tamen S. Thomas asserit (6): "Dicendum quod omne accidens secundum suum esse est inferius substantia, quia substantia est ens per se, accidens autem in alio..." Verum ibidem addit: "Accidens autem quod causatur ex participatione alicujus superioris naturae, est dignius subjecto, in quantum est similitudo superioris naturae, sicut lux diaphano. Et hoc modo caritas est dignior anima, inquantum est participatio quaedam Spiritus Sancti."

3.° Cum gloria. Gratia dici potest major gloria, quatenus est fundamentum et radix gloriae; sed haec est major, quia communicat majus bonum modo inamissibili et omne peccatum excludit (7).

4.° Cum ceteris donis gratiae. Gratia sanctificans est excellentior ceteris donis ordinis supernaturalibus, quae in statu viae communicantur; quia est fundamentum et radix eorum omnium, nec aliquid habent speciale, quo gratiam sanctificantem simpliciter excedant.

5.° Cum maternitate divina. In bulla *Ineffabilis Deus* (8) legitur: "Quapropter illam (Beatam Virginem Mariam) longe ante angelicos spiritus, cunctosque sanctos caelestium omnium charismatum copia de the-

(1) P. Suarez, *De gratia*, l. 6, c. 13, n. 8 et sq.; Herrmann, p. 2, s. 1, c. 1, *de natura gratiae sanctificantis*, a. 2, § 2.
(2) Vide S. Thomam, *3. p.*, q. 2, a. 10, ad 1.
(3) *Contra duas epist. pelag.*, l. 2, c. 6, n. 12 (M. L. 44, 579).
(4) *1. 2*, q. 113, a. 9, ad 2.
(5) D. 1, c. 3.
(6) *2. 2.*, q. 23, a. 3, ad 3.
(7) Vide S. Thomam, *1. 2*, q. 113, a. 9.
(8) 8 Decembr., 1854.

sauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, quae major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest." Et S. Thomas dicit (1): "Beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus." Revera maternitas divina propter intimam cum Deo conjunctionem habet exigentiam, ut ratione ipsius omnia dona gratiae ita communicentur in quodam summo gradu, ut nullus sub Deo sit major. Et sub hoc aspectu divina maternitas gratiam sanctificantem summe excedit. Tamen maternitas divina non videtur tribuere formaliter jus ad gloriam; et ideo rejicienda videtur sententia P. Ripalda (2), quae oppositum docet (3).

6.° *Cum alia gratia sanctificante.* Gratia sanctificans potest sine ullo termino esse magis magisque intensa, hoc est, intra eamdem speciem sine ullo fine crescere potest. Verum quaestio est, utrum possit dari species gratiae sanctificantis distincta ab actuali et perfectior. Affirmat P. Ripalda (4) cum aliis; at negandum esse videtur cum P. Suarez, (5) Salmanticensibus (6), Herrmann (7) aliisque. Ratio est, quia non potest assignari caput, unde daretur diversitas specifica inter gratiam sanctificantem actualem et aliam possibilem. Nam non possent differre ratione finis, qui pro utraque esset Deus; nec ratione modi tendendi in finem; utraque enim ad attingendum Deum ut est in se, ordinaretur. Neque differrent ratione perfectionis entitativae; quia haec manifestatur per virtutes et operationes, et gratia sanctificans existens ordinatur ad operationes nobilissimas, videlicet videndi et amandi Deum prout immediate et clare visum. Nec dici potest esse possibilem aliam gratiam habitualem, quae essentialiter repugnaret peccato mortali; quia gratia habitualis nunc existens jam essentialiter repugnare videtur peccato mortali. Nec gratia sanctificans sibi identificans aliquas virtutes per se infusas vel omnes esset majoris perfectionis quam gratia sanctificans nunc existens; quia utraque idem praestaret, sed diverso modo: sicut anima rationalis sibi identificans potentias non est majoris perfectionis, quam anima, quae sit radix omnium potentiarum. Accedit quod si gratia sanctificans specie excellentior quam illa, quae in praesenti communicatur, esset possibilis, talis gratia Christo communicata esset; quia illi propter divinitatem majora et excellentiora dona debentur. Atqui Christus, ut communiter admittitur, habuit gratiam habitualem ejusdem speciei ac nostra est. Ergo non est possibilis gratia sanctificans specie excellentior quam est nostra.

(1) *1. p.* q. 25, a. 6, ad 4.
(2) *De ente supernaturali*, l. 4, d. 79.
(3) Vide quae dixi de hac re in *Tract. de Verbi Divini incarnatione*, d. 19, a. 5, n. 1130 et sq.
(4) *De ente supernaturali*, l. 6, disp. ultima, s. 39.
(5) *De gratia*, l. 6, c. 13, n. 9.; et l. 8, cap. 3, n. 10.
(6) *De gratia*, disp. 4, dub. 8.
(7) *De gratia habituali*, s. 1, d. 1, a. 2, n. 833.

Articulus IV

De reali distinctione gratiae sanctificantis a caritate

650. Praemitt. Gratia sanctificans, ut ex dictis constat, est qualitas supernaturalis se habens per modum naturae, et est specialis participatio divinae naturae; et caritas est virtus theologica per se infusa, qua Deum diligimus propter se ipsum, nos vero et proximum propter Deum. Quaestio est de distinctione inter gratiam sanctificantem et caritatem. Atque imprimis distingui ratione munerum est manifestum; quum munus gratiae sanctificantis sit se habere per modum naturae et esse radicem virtutum et donorum supernaturalium; et munus caritatis est, ut sit principium activum diligendi Deum et proximum. Verum utrum haec duo munera ab eadem entitate impleantur, an a duabus realiter inter se distinctis, controvertitur.

Negant realem distinctionem inter gratiam sanctificantem et caritatem Scotus (1) cum scotistis, B. Bellarminus (2), Struggl (3) et multi alii. Affirmant vero realem distinctionem S. Thomas (4), S. Bonaventura (5), Capreolus (6), Suarez (7), Valentia (8), Ripalda (9), Tanner (10), Arriaga (11), Gonet (12), Salmanticenses (13), Platel (14), Viva (15), Wirceburgenses (16), etc. Et inter recentiores hanc postremam sententiam inter alios defendunt Mendive (17), Beraza (18), Mazzella (Card.) (19), Pesch (Christ.) (20), Herrmann (21), Schiffini (22) aliique.

(1) *In 2.* d. 27, q. unic.
(2) *De gratia et lib. arbitr.*, l. 1, c. 6.
(3) *De gratia habituali*, d. 5, q. 1, a. 2.
(4) *1. 2.*, q. 110, a. 3; *3. p.* q. 89, a. 1; *2.* d., 26, a. 4; *De veritate*, q. 27, a. 2.
(5) *2.* d. 27, a. 1, q. 2.
(6) *2.* d. 26, q. 1, a. 1.
(7) *De gratia*, l. 6, c. 12.
(8) *In 1. 2.*, d. 8, q. 2, punct. 2.
(9) *De ente supernaturali*, l. 6, d. ult., s. 4.
(10) *De gratia*, d.6, q. 4, dub. 2.
(11) *De gratia*, d. 44, s. 3.
(12) *De gratia*, d. 2, a. 6.
(13) *De gratia*, d. 4, dub. 5.
(14) *De gratia*, cap. 4, § 6, n. 626.
(15) *De gratia*, d. 4, q. 7.
(16) *De gratia*, d. 6, c. 1, a. 2.
(17) *De gratia habituali*, c. 1, a. 2.
(18) *De gratia habituali*, disp. scolast., c. 1, a. 4.
(19) *De gratia habituali*, d. 5, a. 5.
(20) *De gratia habituali*, prop. 26.
(21) *De natura gratiae sanctificantis*, c. 1, a. 1, § 4.
(22) *De gratia*, d. 3, s. 9, n. 203.

THESIS. Gratia sanctificans est realiter distincta a virtute caritatis

Haec thesis ponitur ut probabilior.

651. **Prob.** 1.° *Ex Scriptura.* *II Cor.* XIII, 13, legitur: "Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis." Et *I Timoth.* I, 14: "Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quae est in Christo Jesu." Item *Ephes.*, VI, 23-24: "Pax fratribus, et caritas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione." In his locis gratia nominatur ut distincta a caritate, ideoque ab hac realiter distingui innuitur. Et est ibi sermo de gratia habituali; quia sensu obvio de re permanente agitur.

Praeterea ex dictis supra (1), gratiae sanctificanti tribuitur *specialis participatio naturae divinae, nativitas, generatio, filiatio.* Atqui haec recte conveniunt accidenti, quod per modum naturae se habeat, non item accidenti, quod sit virtus. Ergo gratia sanctificans non est virtus caritatis. Nec dicatur secundum scotistas et plures alios potentias realiter identificari cum anima vel cum natura; ideoque etiam in ordine supernaturali caritas cum gratia sanctificante identificabitur. Ne, inquam, hoc dicatur; quia secundum scotistas et plures alios potentiae omnes vitales cum anima vel natura identificantur; at in ordine supernaturali fides et spes a gratia sanctificante seu natura supernaturali realiter distinguuntur; et idcirco de caritate idem putandum est, quum fides et spes sint virtutes per se infusae sicut ipsa caritas, et secundum communiorem sententiam simul cum ipsa caritate infundantur.

652. 2.° *Ex Conciliis.* a) Ex Conc. Viennensi dicente (2): "Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem (3), et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis con-

(1) N. 640.
(2) Denz.-Bannwart. n. 483.
(3) Vocabulum *probabiliorem* dicitur tantum respectu parvulorum; supponitur vero certum adultos per baptisma recipere informantem gratiam et virtutes.

sonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam." Per *informantem gratiam* significatur gratia habitualis, quia per baptismum gratia actualis non infunditur; et quum *virtutibus* contraponatur, eo ipso indicatur *informantem gratiam* formaliter non continere *virtutes*, et ideo hae indicantur a gratia sanctificante realiter distingui.

b) Ex Conc. Moguntino docente (1): "Cum venia peccatorum, homo etiam Dei gratiam, et per Spiritum Sanctum una cum fide, simul caritatem in corde diffusam ac spem accipit."

c) Ex Conc. Tridentino. Hoc Concilium sic loquitur (2): "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum." Ubi per *gratiam* significatur gratia habitualis, quae in justificatione infunditur, et per *dona* indicari videntur alia, quae in ipsa justificatione praeter gratiam sanctificantem recipiuntur. Idem Concilium etiam dicit (3): "Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, *exclusa gratia et caritate*, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat..." Hic gratia, quae diffunditur seu habitualis, videtur a caritate realiter distingui.

Praeterea Catechismus Concilii Tridentini postquam dixerat gratiam sanctificantem esse divinam qualitatem in anima inhaerentem, adjungit (4): "Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur."

653. **3.°** *Ex S. Thoma* dicente (5): "Sed est aliquis finis ad quem homo a Deo praeparatur, naturae humanae proportionem excedens; scilicet vita aeterna, quae consistit in visione Dei per essentiam, quae excedit proportionem cujuslibet naturae creatae, soli Deo connaturaliter existens; unde oportet quod homini detur aliquid, non solum per quod operetur ad finem, vel per quod inclinetur ejus appetitus in finem illum, sed per quod ipsa natura

(1) *Capitula ad fidem*, cap. 6 (Mansi, *ampliss. collect. Concilior.*, t. 32, col. 1406).
(2) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(3) Eadem *sess. can.* 11 (Denz.-Bannwart, n. 821).
(4) *Pars 2.ª, de baptismo*, n. 51.
(5) *De veritate*, q. 27, a. 2.

hominis elevetur ad quamdam dignitatem, secundum quam talis finis sit ei competens: et ad hoc datur gratia; ad inclinandum autem affectum ad hunc finem datur caritas; ad exequendum autem opera quibus praedictus finis acquiritur, dantur aliae virtutes. Et ideo, sicut in rebus naturalibus est aliud natura ipsa quam inclinatio naturae, et ejus motus vel operatio; ita et in gratuitis est aliud gratia a caritate, et a ceteris virtutibus."

Et alibi dicit (1): "Sicut igitur lumen naturale rationis est aliquid praeter virtutes acquisitas, quae dicuntur in ordinem ad ipsum lumen naturale; ita etiam ipsum lumen gratiae, quod est participatio divinae naturae, est aliquid praeter virtutes infusas, quae a lumine illo derivantur, et ad illud lumen ordinantur... Sicut enim virtutes acquisitae perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini naturali rationis; ita virtutes infusae perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini gratiae."

654. **4.°** *Ratione*. Habitus caritatis si esset ipsa gratia sanctificans, faceret hominem formaliter justum. Atqui habitus caritatis non facit hominem formaliter justum. Ergo non est gratia sanctificans, sed ab ea realiter distinguitur. Prob. min. Habitus caritatis non facit hominem formaliter justum quatenus est habitus operativus, neque ex alio capite. Ergo non facit hominem formaliter justum. Prob. ant. Et primo quidem non quatenus est habitus operativus; quia sub hac ratione munus ipsius est reddere hominem potentem ad Deum diligendum amore supernaturali. Atqui ex eo quod sit homo potens ad Deum diligendum amore supernaturali non est formaliter justus: non quidem ratione actus dilectionis Dei; quia actus est quid transiens, et gratia sanctificans est quid permanens, ut constat ex supra dictis (2); nec ratione potentiae; nam potentia quatenus operativa non habet aliud munus nisi producere actum. Aliunde potentia ut operativa sine actu est valde imperfecta. Deinde neque ex alio capite; quia hoc quod specialiter conveniret habitui caritatis, quodque juxta ipsos adversarios aliis habitibus operativis non convenit, probari opus esset, quod tamen non fit, ut ex solutione difficultatum constabit. **Ergo.**

(1) *In 1. 2.*, q. 110, a. 3.
(2) N. 621 et sq.

655. Obj. 1.° *Ex S. Scriptura.* Ea praedicata quae dicuntur de gratia sanctificante, S. Scriptura caritati tribuit. Ergo juxta S. Scripturam caritas est ipsa gratia sanctificans. Prob. ant. a) *Luc.* VII, 47, dicitur: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum." b) *Joan.* XIV, 23: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus..." c) *Jac.* I, 12: "Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se." d) *I Joan.* III, 1: "Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus." Et III, 14: "Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres." e) *I Joan.* IV, 7: "Omnis, qui diligit, ex Deo natus est..." Item IV, 16: "Et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo." Quare re ipsa tribuuntur caritati, quae gratiae sanctificanti conveniunt.

Resp. 1.° Etiam fidei tribuitur, quod gratiae sanctificanti convenit; et tamen ex hoc nemo dixerit fidem esse gratiam sanctificantem. Sic dicitur *I Joan.* V, 1: "Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est." Et *Rom.* X, 10: "Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem." Item *Prov.* XV, 27: "Per misericordiam et fidem purgantur peccata..." His similia tribuuntur fidei *Act. Ap.* X, 43; XIII, 36; *Rom.* V, 1; *Gal.* II, 16; *Ephes.* II, 8; *Phil.* III, 9; *I Joan.* V, 10, 13.

Resp. 2.° Generatim. Caritati tribuuntur ea, quae gratiae sanctificanti conveniunt tanquam causae formali justificationis, neg.; tanquam causae efficienti, vel meritoriae, vel dispositivae, vel propter necessariam connexionem cum gratia sanctificante, conc. Quare ex hoc capite non constat caritatem cum gratia sanctificante identificari. Nunc breviter ad singulos textus respondetur.

Ad a). Ibi de actu dilectionis agitur, qui, quum sit res transitoria, non potest esse gratia sanctificans, quae est permanens.

Ad b). Etiam ibi sermo est de dilectione actuali. Et si textus accipiatur etiam de dilectione habituali, solum significat intimam connexionem gratiae sanctificantis cum caritate.

Ad c). Sermo est de praemio, quod tribuitur reportantibus victoriam per dilectionem et alios virtutum actus.

Ad d). Primus textus tribuit gratiae sanctificanti nomen *caritatis*, quia ex caritate Dei communicatur. Ita dicit (1) P. Mayr: "Haec vox caritas significat aliquando dona ex caritate collata seu effectus caritatis: et sic itali et galli eleemosynam vocant caritatem: quin et germani quoque, dum rogant, sibi exhiberi aliquod obsequium vel favorem, rogant exhiberi sibi caritatem: sic autem etiam ipsa gratia sanctificans vocatur caritas, non creata, sed divina, quatenus est donum ex caritate, qua Deus nos amat, profectum." Alter textus non loquitur de formali justificatione: sed de signo ipsius; nam dilectio fratrum sive proximi propter Deum est signum status gratiae.

Denique ad e). Primus textus solum indicat dilectionem Dei esse

(1) *Tract. 6, p. 1, a. 1, n. 268.*

causam et signum status gratiae. Et secundus textus significat necessariam connexionem caritatis cum gratia.

656 Obj. 2.° *Ex S. Augustino plura objiciuntur, ex quo nonnulla adducam.* Dicit (1) S. Doctor: "Sed rursus cavere debet, ne ab ipsius Dei caritate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturae, id est, hujus sensibilis mundi amore separaretur." Item (2): "His omnibus tam magnis rebus praeposuit caritatem (*I Cor.* XII, 7; XIII, 3). Ipsam habeto, et cuncta habebis: quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potueris." Rursus (3): "Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei et filios diaboli." Et hoc ipsum repetit (4) his verbis, sc.: "Solum, est (donum caritatis) quod dividit inter filios regni aeterni et filios perditionis aeternae." Iterum (5): "Nullum Dei donum caritate excellentius." Et similiter asserit (6): "Vel habituri sint caritatem Dei (ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissima justitia)..." Denique dicit (7): "Caritas ergo inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est, caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est..." Ex his testimoniis et ex aliis, quae afferri possent, videtur S. Augustinus caritatem cum gratia sanctificante identificare.

Resp. Textus allati et alii quae afferri possent, non cogunt ad asserendum secundum S. Augustinum gratiam sanctificantem a caritate non distingui (8). Saepe enim S. Augustinus loquitur de caritate actuali, quae certe non est ipsa gratia sanctificans. Item gratia actualis et habitualis sunt dona excellentiora aliis donis saltem vitae praesentis, quia necessario, saltem remote, cum gratia sanctificante connectuntur. Et propter hanc ipsam connexionem caritas discernit inter filios Dei et filios diaboli. Et quia caritas, vel est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, vel fructus sanctitatis, dicitur *verissima, plenissima, perfectissima justitia.* Et hac ipsa ratione dicitur *caritas inchoata, inchoata justitia est, caritas provecta, provecta justitia est* etc. Profecto caritati habituali tribuuntur ea, quae gratiae sanctificanti conveniunt, aut propter necessariam connexionem cum illa, aut quia ipsa gratia sanctificans dicitur caritas, licet ab illa realiter distinguatur.

Praeterea S. Augustinus caritatem a gratia sanctificante expresse distinguere videtur, quum dicit (9): "Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris; non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur (*Rom.* III, 24); et Domini salus, qua nos salvos facit (*Psal.* III, 9); et fides Jesu Christi, qua nos fideles facit (*Gal.* II, 16)." In hoc loco justitia a caritate distinguitur, et justitia non sumitur pro virtute justitiae; sed

(1) *De moribus Ecclesiae catholicae,* l. 1, c. 12, n. 21 (M. L. 32, 1320).
(2) *Tract. 32 in Evang. Joan.* n. 8 (M. L. 35, 1646).
(3) *Tract. 5 in Epist. I Joan.*, n. 7 (M. L. 35, 2016).
(4) *De Trinitate,* l. 15, c. 18, n. 32 (M. L. 42, 1082).
(5) Eodem loco proxime citato.
(6) *De natur. et grat.*, c. 42, n. 49 (M. L. 44, 271).
(7) Eodem loco, cap. 70, n. 84, col. 290.
(8) Vide P. Suarez, *de gratia,* l. 6, c. 13, n. 7.
(9) *De spiritu et litt.*, cap. 32, n. 56 (M. L. 44, 237).

pro gratia sanctificante, quia S. Augustinus se refert ad *Rom.* III, 24, ubi legitur: "Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu..." (1).

657. Obj. 3.° Conc. Tridentinum multis modis favet sententiae oppositae; nam a) in sess. 6, cap. 7 (2), ad justificationem declarandam dicit: "Id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito *per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus* (*Rom.* V, 5) eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem." b). In cap. 10, ait (3): "Hoc vero justitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: *Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum.*" Ergo augmentum caritatis et virtutum est augmentum justitiae, ac proinde caritas et justitia identificantur. c) In can. 11, (4) loquitur de gratia et caritate tanquam de eadem re; dicit enim *exclusa gratia et caritate, quae.... diffundatur* in singulari. d) In sess. 14, cap. 4 (5), docet contritionem caritate perfectam hominem Deo reconciliare, quod quidem proprium est gratiae sanctificantis.

Resp. Conc. Trid. revera nihil in hac re definire voluit, ut apparet ex diversis locutionibus, quae ab illo usurpantur; nihilominus magis favere sententiae nostrae videtur. Unde ad singula objecta respondeo.

Ad a) particula *dum* non determinat phrasim ad significandum hominem justificari per infusionem caritatis, sed tunc justificari, quum caritas infunditur. Deinde quum dicitur in justificatione infundi fidem, spem et caritatem, ponitur etiam *cum remissione peccatorum*, quae per gratiam fit sanctificantem, atque adeo haec per illam locutionem satis indicatur a fide, spe et caritate distingui.

Ad b) argumentum nimis probat, sc. justitiam identificari cum fide, spe et caritate, quod certe etiam ab adversariis non admittitur. Praeterea dicitur illud a Concilio, quia gratia sanctificans per actus virtutum augetur, inter quas praecipuae et de quibus magis certo constat infundi, sunt theologicae.

Ad c) verbum rite potest in singulari poni, quamvis referatur ad res realiter distinctas significandas; ut enim grammatici tradunt, verbum concordare potest cum nomine proximo.

Ad d) Caritas reconciliat Deo causaliter et tanquam ultima dispositio, sed non formaliter.

658. Obj. 4.° Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; ergo cum non ostendatur necessitas distinguendi gratiam sanctificantem a caritate, non est ponenda haec distinctio, praesertim cum gratia sit participatio divinae naturae, quae est operativa. Accedit quod juxta plures

(1) Vide n. 618, ubi afferuntur plura testimonia S. Augustini, et alia aliorum PP., ex quibus apparet non certo constare PP. gratiam sanctificantem cum virtute caritatis identificare.
(2) Denz.-Bannwart, n. 800.
(3) Denz.-Bannwart, n. 803.
(4) Denz.-Bannwart, n. 821.
(5) Denz.-Bannwart, n. 898.

auctores nostrae Societatis substantia sit immediate operativa; ergo etiam gratia sanctificans, quae imitatur naturam sive substantiam in ordine supernaturali, oportet ut sit immediate operativa, ac proinde identificetur cum habitu caritatis. Praeterea gratia sanctificans et caritas sunt mutuo inseparabiles; ergo sunt identificatae.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Rationes enim adductae satis ostendunt necessitatem distinguendi gratiam sanctificantem a caritate. Deinde ex eo quod natura divina sit immediate operativa, non infertur participationem illius naturae habere sibi identificatas omnes virtutes, sicut natura divina habet illas identificatas; quia natura divina est actus purissimus, et omnis res creata, quantumvis perfecta, est potentialis, nec est ipsa operatio immanens. Praeterea quamvis substantiae creatae permittantur immediate operativae, non sequitur gratiam quoque sanctificantem esse immediate operativam; quia substantiae creatae, si ad suos effectus concurrunt immediate, ostenditur aliunde necessitas talis concursus; quia influxus immediatus substantiae seu principii substantialis videtur necessarius ad productionem formae substantialis. Verum, utrum gratia sanctificans sit immediate operativa, necne, inferius dicetur. At, quum constet fidem et spem quae sunt etiam virtutes theologicae, sicut ipsa caritas, a gratia sanctificante realiter distingui, etiam similiter ipsa caritas videtur ponenda esse distincta. Postremo naturalis inseparabilitas inter gratiam sanctificantem et caritatem solum ostendit connexionem inter utrumque donum, sed non identitatem, ut apparet in virtutibus moralibus per se infusis, quae cum a gratia sanctificante realiter distinguantur, tamen ab ea nunquam separentur. Et divinae personae sunt realiter distinctae, et simul absolute inseparabiles. Tamen haec inseparabilitas caritatis a gratia sanctificante non videtur esse de potentia Dei absoluta, sed secundum modum connaturalem; nulla enim est repugnantia in hoc, quod Deus velit producere, v. gr., gratiam sanctificantem, et non caritatem, aut viceversa; licet Deus nequeat aliud velle juxta modum connaturalem (1).

659. Obj. 5.° Caritas facit hominem Dei amicum, ideoque est ipsa gratia sanctificans.

Resp. Caritas sine gratia sanctificante non faceret Dei amicum, nisi dispositive, non autem formaliter; attamen, quum in hac providentia Deus posita caritate dimittat peccata; inde qui haberet caritatem sine gratia posset salvari; quia non haberet impedimentum peccati mortalis, et peccata venialia in altera vita dimitti possunt. Si quis vero gratiam sanctificantem sine caritate haberet, hic existeret formaliter Deo gratus, esset filius Dei adoptivus, et jus ad gloriam haberet, licet viribus ad Deum amandum careret.

660. Scholion I. *Utrum gratia sanctificans sit simplex qualitas* (2). Dicendum est gratiam sanctificantem esse unicam simplicem formam.

(1) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 6, c. 13, n. 18 et sq.
(2) Suarez, *De gratia*, l. 7, c. 9; Ripalda, *De ente supernaturali*, disp. ultima, s. 3.

Hoc enim indicat Conc. Tridentinum, quum dicit (1): "Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit..." Praeterea, ut supra probatum est (2), gratia sanctificans est quaedam natura in ordine supernaturali, et radix et fundamentum omnium virtutum et donorum supernaturalium; natura vero in unaquaque re, si Christus excipiatur, est unica. Et in re praesenti non est necessitas duplicis gratiae sanctificantis; sed tamen est radix et fundamentum multarum virtutum et donorum supernaturalium, nec explicaretur, cur una gratia esset radix talium virtutum et non aliarum. Verum omnes virtutes supernaturales et dona ejusdem ordinis, licet non sint forma sanctificans, complent tamen statum hominis justi, et reddunt eum aptum ad operandum cum omnibus virtutibus supernaturalibus aliisque donis.

661. Scholion II. *Utrum gratia sanctificans habeat aliquid speciale propter Christum* (3). Quaeritur igitur, utrum gratia sanctificans aliquid speciale habeat ex eo, quod propter merita Christi nobis communicetur. Et dicendum esse videtur cum P. Suarez gratiam sanctificantem nihil intrinsecum recipere propter Christi merita; quia, etiamsi tota gratia in praesenti providentia sit propter Christi merita, tamen Christus eam gratiam sanctificantem meruit, quae ex natura sua est vere sanctificans, non autem gratiam, quae ex Christo, non ex natura sua sanctificet. Et hoc innuit Conc. Tridentinum (4), quum dicit: "Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit..." Et hoc ipsum innuitur eadem sessione can. 10 et 11. Canon 10 dicit (5): "Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse: A. S."

Tamen gratia sanctificans extrinsece et moraliter ex Christo quamdam dignitatem accipit; nam gratia Christo nos conjungit et ipsius membra constituit. Et sic dicit Tridentinum (6): "Per Jesum Christum, *cui inseritur*... corporis ejus *vivum membrum efficit*." Et S. Leo Magn. asserit (7): "Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum."

(1) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(2) N. 640 et sq.
(3) P. Suarez, *De gratia*, l. 7, c. 5.
(4) *Sess. 6*, c. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(5) Denz.-Bannwart, n. 820.
(6) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 800).
(7) *De Nativitate, serm. 1*, c. 3 (M. L. 54, 192-193).

CAPUT III

De effectibus gratiæ sanctificantis et de ipsius productione

Articulus I

De remissione peccatorum per gratiam santificantem (1)

662. Praemitt. 1.° Actum est de dispositionibus ad gratiam sanctificantem, de ipsius infusione et de ejusdem natura. In hoc capite de ejus effectibus et productione dicendum est, et in altero de ipsius proprietatibus. Quid sit gratia sanctificans ex dictis constat. Haec gratia secundum doctrinam catholicam tollit peccata; sed controvertitur, utrum hoc faciat ex natura sua et physica oppositione cum peccato, vel tantum moraliter et ex divina ordinatione. Hoc postremum tenet Scotus cum ejus discipulis. Inter nos numerantur Frassen (2), Henno (3) etc. Communius tamen sentiunt theologi gratiam sanctificantem natura sua et physice peccato originali et mortali repugnare. Peccatum originale est illud, quod omnes homines ab Adamo trahunt; et mortale est omne peccatum, quod gravem offensam Deo affert.

663. Praemitt. 2.° Ut dictum est supra (4), protestantes non admittunt justitiam intrinsecam, saltem ut formam adaequatam, sed asserunt homines justificari per applicationem justitiae Dei vel Christi, vel per similem modum. Et in praesenti dicunt peccata non deleri, sed tegi et non imputari; et justificationem con-

(1) Suarez, *De gratia*, l. 7, c. 10 et sq.; Valentia, *In 1. 2.*, d. 8, q. 5, punct. 5; Tanner, *De gratia*, d. 6, q. 5, dub. 1; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 6. sect. 12; Gonet, *De gratia*, tract. 9. d. 1, a. 1; Joannes a S. Thoma, *In 1. 2.*, q. 113, d. 26; Frassen, *De justificatione*, a. 2, p. 2; Henno, *De justificatione*, q. 2; Billuart, *De justificat.*, dissert. 7, a. 1; Wirceburgenses, *De gratia habituali*, d. 6, cap. 2. a. 2; Card. Mazzella, *De gratia habituali*, d. 5, a. 6; Beraza, *De gratia habituali*, s. 3, cap. 1 et sq.; Herrmann, *De gratia habituali*, s. 2, cap. 1; Pesch (Chr.), *De gratia habituali*, s. 2, n. 325 et sq.; Einig. *De gratia habituali*, cap. 3; Van Der Meersch, *De gratia*, nn. 99 et sq.

(2) *De justificatione*, a. 2, q. 3.

(3) *De justificatione*, q. 3.

(4) Disp. 3, cap. 2, a. 2.

sistere in hoc, quod aliquis declaretur justus. Lutherus, ut ex propositione 2.ª ipsius a Leone X damnata constat, asseruit: "In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare." Ideoque juxta ipsum peccata non auferuntur. Id ipsum docet Calvinus (1), qui simul in remissione peccatorum (hoc est non imputatione) docet justificationem consistere. Et ipse Calvinus asserit (2): "Neque enim dubium, quin sit inops propriae justitiae, qui justitiam extra se ipsum quaerere docetur... Vides non in nobis, sed in Christo esse justitiam nostram..." Doctrina autem catholica est peccata vere remitti et deleri.

THESIS I. In justificatione peccatoris peccata vere remittuntur et delentur

664. Haec thesis est de fide statuente Conc. Tridentino (3): "Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habeat, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: A. S." Et inferius statuit (4): "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit *heres secundum spem vitae aeternae* (*Tit.* III, 7)." "Et inferius (5): "Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem (6)."

665. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Peccata in Scriptura dicuntur deleri, auferri, remitti, tolli. Atqui haec veram peccatorum seu iniquitatum remissionem et deletionem et ablationem important. Ergo. Prob. maj. *Ps.* L, 3 et 11, dicitur: "Dele

(1) *Institut.*, l. 3, c. 11, n. 22 et sq.
(2) Eodem loco, n. 23.
(3) *Sess. 5*, n. 5 (Denz.-Bannwart, n. 792).
(4) *Sess. 6*, c. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(5) Denz.-Bannwart, n. 800.
(6) Vide *De Christi Ecclesia*, d. 3, cap. 2, a. 4, n. 605.

iniquitatem meam... Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele." *Is.* XLIII, 25: "Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor." Et XLIV, 22: "Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua..." *I Par.* XXI, 8: "Peccavi nimis, ut hoc facerem: obsecro aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi." *Mich.* VII, 18: "Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hereditatis tuae?" *Act. Ap.* III, 19: "Poenitemini igitur, et convertimini ut deleantur peccata vestra." *Joannes* XX, 23: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis..." Item *I Joan.* I, 9: "Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate." Denique *Joan.* I, 29: "Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi."

Beatus Card. Bellarminus apposite ad rem praesentem dicit (1): "Scriptura siquidem utitur omni genere vocabulorum, quae excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam; ut si quis de industria quaerat vocabula, quibus perspicue declarat peccatum aliquod vere tolli et aboleri, non possit aliquod reperire, quod ipsa Scriptura divina ante non occupaverit." Atque hoc ostendunt testimonia allata, et ad hoc ipsum confirmandum alia indicabo.

In Sacra Scriptura dicuntur peccata lavari, mundari, ablui, purgari emundari. Sic *Ps.* L, 4 et 9; *Ezech.* XXXVI, 25; *I Cor.* VI, 11; *Hebr.* I, 3; *I Joan.* I, 7, etc.

Item in S. Scriptura peccata dicuntur non amplius reperiri, procul amandari, projici in profundum maris, exhauriri. Sic *Ps.* X, 15; *Ps.* CII, 12; *Mich.* VII, 19; *Hebr.* IX, 28.

Denique in S. Scriptura asseritur justos a peccato liberari, nihil damnationis esse in illis, eripi a potestate tenebrarum, *Rom.* VI, 22; *Rom.* VIII, 1; *Colos.* I, 13.

666. 2.° *Ex PP.* S. Gregorius Naz. dicit (2): "Sic te compara, ut lavacrum non modo corpus, sed imaginem quoque abluat: non modo peccata eluat, sed mores etiam emendet: non modo pristinas vitae sordes abstergat, verum fontem quoque ipsum expur-

(1) *De justificatione*, l. 2, c. 7.
(2) *Orat. 40 de baptism.*, n. 32 (M. G. 36, 403).

get..." Et S. Joan. Chrysost. (1): "Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, judaeorum sacerdotibus licebat (*Levit.* 14): et tamen nosti quanta tunc esset pro dignitate sacerdotali concertatio. Hi vero (sacerdotes novae legis) non lepram corporis, sed inmunditiam animae, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt..." Item S. Augustinus (2): "Dicunt etiam baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc adversus pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere; nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. Nam et istam similitudinem comperi, suae illos adhibere calumniae, tanquam hoc nos sentiamus atque dicamus." Denique S. Gregorius M. (3): "Si qui vero sunt qui dicunt peccata in baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere? in quo principaliter ad caelestis munditiae mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis omnibus soli illi inhaereat de quo Propheta ait: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est* (*Ps.* LXXII, 28)."

667. 3.° *Ratione.* Si in justificatione non tollerentur peccata, ideo esset vel quia Deus illa destruere non posset, vel quia nollet. Atqui neutrum dici potest. Ergo. Prob. min. Non primum; quia peccatum destruere, non est facere ut illud non fuerit, quod certe est impossibile; sed delere totum id, quod ex peccato actuali remansit; hoc autem a Deo fieri potest; tum quia nulla in hac re assignari potest repugnantia; tum quia aliter peccatum esset potentius ad aliquid inducendum, quam Deus ad illud ipsum delendum. Nec secundum dici potest; quia est contra divinam promissionem, qua Deus promisit remittere peccata se convertentibus in ipsum ex toto corde; item contra divinam misericordiam, quae valde in sacris Litteris commendatur, et contra abundantiam redemptionis Christi.

(1) *De sacerdotio*, l. 3, n. 6 (M. G. 48, 644).
(2) *Contra duas epist. pelagian.*, l. 1, cap. 13, n. 26 (M. L. 44, 562).
(3) *Epist. l. 11, Epist.* 45 (M. L. 77, 1162).

668. Obj. 1.° In *Ps.* XXXI, 1 et sq., legitur: "Beati quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum..." Idem habetur *Rom.* IV, 7, 8. Ego peccata teguntur et non imputantur.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam in textu allato dicitur peccata remitti et tegi; jam vero vocabulum *remitti* est proprium, et vocabulum *tegi* metaphoricum. Scriptura autem, quum non adsit solida ratio in oppositum, accipienda est secundum sensum proprium, non secundum metaphoricum. Praeterea, ut ex probatione theseos constat, in S. Scriptura peccata et iniquitates saepe dicuntur remitti, mundari, deleri et his similia, quae quidem, nisi violenter accipiantur, veram significant remissionem peccatorum et iniquitatum. Atque id ipsum confirmatur ex *Epist. ad Coloss.* II, 13, ubi reperitur: "Et vos cum mortui essetis in delictis, et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci..." Et confirmatur etiam ex S. Augustino dicente (1): "Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Nec sic intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant."

Accedit quod peccata Deo tegi nequeunt, quum omnia illi aperta sint. Nec Deus desineret *imputare* peccata, quae non remitteret: et peccata reipsa existentia merentur imputari.

Quare ubicumque in Scriptura peccata cooperiri dicuntur, si hoc ad Deum referatur, non potest accipi de vera tectione; si vero ad proximum, accipi potest de dissimulatione et non infractione mutuae caritatis.

669. Obj. 2.° *Job.* IX, 2, dicitur: "Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo." Et *Ps.* CXLII, 2: "Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens." Et alia similia reperiuntur. Ergo homo justificari non potest, ideoque nec peccata remitti possunt.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Quum Scriptura saepe dicat peccata remitti, mundari, deleri et alia similia; item hominem justificari; textus modo allati oppositum significare non possunt; ideoque aliter intelligendi sunt. Unde eorum sensus videtur esse homines non posse ita justificari, ut omni peccato etiam veniali careant, neque ex propriis viribus justificationem habere possint; sed omnis gratia sanctificans Deo tribuenda est. Praeterea justitia humana, si cum divina comparetur, fere nihil est. Et ita in *Job*, IV, 17 legitur: "Numquid homo, Dei comparatione justificabitur? aut factore suo purior erit vir?" Item S. Augustinus ita loquitur (2): "Noli ergo mecum intrare in judicium, Domine, Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, et pravus invenior."

(1) *Enarrat. 2 in Ps.* XXXI, n. 9 (M. L. 36, 264).
(2) *Enarrat. in Ps.* CXLII, n. 6 (M. L. 37, 1849).

THESIS II. Gratia sanctificans peccatum originale et omnia mortalia omnino delet, et hoc quidem physice et ex natura sua facit

Nota. Prior pars huius theseos est de fide, ut constat ex Conc. Tridentino antea adducto. 2.ª p. defenditur ut communior et probabilior contra scotistas aliosque. 1.ª p. jam est probata supra (1); nam probatum est post debitam dispositionem justificari hominem seu illi infundi justificationem seu gratiam sanctificantem, ideoque ab omni peccato justificationem impediente liberari, et gratiam sanctificantem esse quid positivum et permanens. Verum hic probatio breviter resumitur.

670. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex Scriptura.* Per gratiam sanctificantem *nascimur* (*Joan.* III, 5 et sq.), *vivimus* (*Rom.* VIII, 10), *regeneramur et renovamur* (*Tit.* III, 4 et sq.) (2). Atqui gratia sanctificans, si omnia peccata gravia non tolleret, non tribueret *nasci, vivere, regenerari, renovari;* sed permaneremus in morte a peccato inducta, et consequenter sine nativitate nova, sine vita, sine regeneratione et renovatione. Ergo. Item legitur *Rom.* III, 24: "Justificati gratis per gratiam ipsius..."

671. 2.° *Ex S. Augustino* dicente (3): "Quid est hoc, justitia Dei et justitia hominis? justitia Dei hic dicitur, non qua Deus justus est, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum." Homo autem non esset justus, nisi per gratiam sanctificantem seu justitiam ab omni peccato gravi liberaretur. Et S. Ambrosius asserit (4): "Utrum igitur secundum corpus, an secundum animam justificatio tibi conferri videatur, quaeso respondeas. Sed dubitare non potes, cum justitia unde justificatio derivata est, mentis utique non corporis sit (5)."

672. 3.° *Ex Conc. Tridentino* dicente (6): "Quae enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meri-

(1) Disp. 3, cap. 2, aa. 1 et 2.
(2) Vide supra n. 617.
(3) *In Joan. Evang., tract. 26,* n. 1 (M. L. 35, 1607).
(4) *Hexaemeron,* l. 6, c. 8, nn. 46 et 47 (M. L. 14, 276).
(5) Vide supra n. 618.
(6) *Sess. 6,* cap. 16 (Denz.-Bannwart, 809).

tum." Et idem Tridentinum definit (1): "Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorum Dei: A. S."

673. **Prob. 2.ª p. 1.°** *Ex S. Scriptura. II Cor.* VI, 14: "Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras?". Et *Ephes.* V, 8: "Eratis enim aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate." In his locis gratia sanctificans et peccatum inter se comparantur ut justitia et iniquitas, ut lux et tenebrae. Atque justitia et iniquitas, lux et tenebrae physice et ex natura sua opponuntur. Ergo similiter gratia sanctificans et peccatum sunt opposita.

674. **2.°** *Ex Conc. Tridentino* statuente (2): "Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dici tantum radi aut non imputari: A. S." Dicitur per gratiam, ac pronde vi et efficacia gratiae remitti peccatum originale et tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; hoc autem non posset proprie dici, si gratia sanctificans ex se non tolleret peccatum grave.

Idem Tridentinum (3) asserit: "Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et *adoptionis filiorum* (*Rom.* VIII, 15) Dei per secundum Adam, Jesum Christum, Salvatorem nostrum." His verbis innuitur statum gratiae vel gratiam sanctificantem excludere peccatum et opponi statui peccati.

Rursus idem Tridentinum (4) docet: "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptonem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico, amicus, ut sit *heres secundum spem vitae aeternae* (*Tit.* III, 7)." Hic asseritur volun-

(1) *Eadem sess.* can. 11 (Denz.-Bannwart, n. 821).
(2) *Sess. 5*, n. 5 (Denz.-Bannwart, n. 792).
(3) *Sess. 6*, cap. 4 (Denz.-Bannwart, n. 796).
(4) *Eadem sess.* cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).

tariam susceptionem gratiae et donorum sanctificare et renovare hominem; non autem ita fieret, si gratia peccata non tolleret. Et ibidem paulo inferius traditur: "unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes..." Ideoque vere justi nominamur et sumus per receptionem justitiae seu gratiae sanctificantis; per talem vero receptionem non efficeremur justi, si gratia sanctificans ex se non tolleret peccata. Item docetur unicam causam formalem justificationis esse justitiam seu gratiam sanctificantem; sed si gratia sanctificans ex se non justificaret, non posset haberi, ut unica formalis causa justificationis.

675. **3.°** *Ex S. Thoma.* S. Doctor ita loquitur (1): "Sic ergo homo dicitur Dei gratiam habere, non solum ex hoc quod a Deo diligitur in vitam aeternam, sed ex hoc quod datur ei aliquod donum per quod est dignus vita aeterna, et hoc donum dicitur gratia gratum faciens; aliter enim in peccato mortali existens posset dici in gratia esse, si gratia solam acceptationem divinam diceret..." Item dicit (2): "Effectus autem divinae dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita aeterna, a qua peccatum mortale excludit. Ideo non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae."

676. **4.°** *Ratione.* Gratia sanctificans, ut inferius probabitur, facit nos filios Dei adoptivos, amicos et jus ad vitam aeternam tribuit. Atqui haec praestare non posset, si ex se peccatum mortale non tolleret; nam adoptio et amicitia Dei et jus ad vitam aeternam cum peccato mortali stare non possunt; nam peccatum mortale excludit caritatem et gratiam sanctificantem et in aeternum puniri debet.

677. Scholion. *De dubiis nonnullis circa peccatorum remissionem* (3):

1.° De remissione peccati mortalis sine infusione gratiae. Imprimis in hac providentia, ut eruitur ex Conc. Tridentino (4), remissio peccato-

(1) *De veritate*, q. 27, a. 1, ad finem c.
(2) *1. 2.* q. CXIII, a. 2.
(3) Suarez, *De gratia*, l. 7, c. 22 et sq.; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 6, sect. 21 et sq.; Salmanticenses, *De justificatione*, disp. 2, dub. 5 et sq.; Beraza, *De justificatione*, n. 873, et sq.
(4) *Sess. 6*, can. 11 (Denz.-Bannwart, n. 821).

rum haberi nequit sine infusione gratiae sanctificantis nec sine paenitentia debita. Quaestio est, utrum de potentia Dei absoluta possit peccatum mortale remitti sine infusione gratiae. Atque in hac re plures sunt sententiae. P. Suarez cum pluribus aliis affirmat. Salmanticenses cum aliis docent peccatum mortale in homine elevato ad finem supernaturalem sine infusione gratiae sanctificantis deleri non posse. Gonet (1) et alii tenent in statu naturae purae peccatum mortale sine gratia sanctificante remitti posse. Verum in hac re dicendum videtur cum P. Suarez peccatum mortale sive in statu elevationis, sive in statu naturae purae sine infusione gratiae sanctificantis remitti posse. Nam in statu elevationis, seclusa gratia sanctificante, haberi possunt actus caritatis supernaturales, qui sunt dispositio ut peccatum remittatur; et posita tali dispositione, non apparet ratio, cur Deus peccatum per suam voluntatem non possit remittere. Etiam in statu naturae purae dari possunt actus caritatis naturales; et posito tali vel talibus actibus, certe Deus peccatum remittere potest. Nec refert, quod in statu elevationis sine infusione gratiae sanctificantis non habeantur ille splendor et pulchritudo, quae a gratia sanctificante tribuuntur; quia sine tali splendore et pulchritudine potest Deus velle, ut peccata quoad culpam et poenam sint plene remissa.

Nec S. Thomas contrarius esse videtur (2); nam ea, quae asserit, affirmari videntur de statu praesentis providentiae, non autem de potentia Dei absoluta.

2.° *De remissione peccati sine retractatione peccatoris.* Peccatum sine retractatione peccatoris remitti posse affirmant Suarez (3), Ripalda (4) et alii, et videtur ita tenendum; nam Deus est et plene liber et Dominus absolutus, ideoque potest dimittere peccatum sine retractatione peccatoris, praesertim quia peccatum in tantum est peccatum, in quantum est contra Deum; et propterea amittit rationem peccati et culpae, quum Deus illud plene dimittat per suam liberam voluntatem. Nihilominus Deus non potest constanter ita agere; quia hoc esset fovere peccatum, quod Deus facere non potest; quum hoc esset contra infinitam Dei sanctitatem. Non esset vero contra Dei sanctitatem ex sua infinita misericordia aliquando peccatum sine retractatione dimittere.

3.° *De remissione unius peccati sine alio.* P. Ripalda (5) docet unum peccatum sine alio remitti posse; atque hoc asserendum videtur. Nulla enim est repugnantia in hoc, quod Deus velit unum peccatum dimittere et non aliud; peccatum vero quod Deus efficaciter velit esse remissum, re ipsa remissum erit. Hoc quidem de potentia absoluta; nam in providentia actuali, in qua peccata per gratiam sanctificantem remittuntur, non videtur hoc possibile. Nec videtur conveniens, ut hoc per aliquam providentiam ordinariam fiat; quia hac ratione esset incerta remissio peccatorum, seclusa peculiari revelatione, et Deus arbitrarie operari videretur.

(1) *De justificatione*, d. 1, a. 4, § 4.
(2) *1. 2.* q. 113, a. 2 et alibi. Vide Sylvium in hunc locum.
(3) Loco proxime citato, cap. 23.
(4) Loco proxime citato, sect. 24 et sq.
(5) Loco citato, sect. 28.

4.° *De remissione peccati antequam fiat, vel quum actu est.* Videtur de hac re dicendum cum P. Ripalda (1) et Beraza (2) tale peccatum non posse remitti per efficacem remissionem vel destructionem peccati; quia impossibile est, ut peccatum quod Deus absolute vult destructum esse, simul efficaciter permittat ejus futuritionem aut existentiam, et non sit destructum, sed aut futurum aut existens. Tamen potest Deus, licet necessario habeat peccatum odio, nolle peccatorem odio habere et punire propter aliquod peccatum futurum aut actu existens, quod re ipsa esset illud peccatum futurum aut actu existens condonare, sive remittere per extrinsecam condonationem.

678. *De remissione venialium.* Quum remissio venialium ad perfectionem justificationis pertineat, et hic de justificatione agitur, aliquid breviter de peccatorum venialium remissione dicendum videtur (3). Verum tantum hic agetur de remissione venialium secundum modum ordinarium et praesentem providentiam. Neque hic agetur de remissione venialium per sacramenta; quia hoc pertinet ad tractatum de sacramentis.

a) Imprimis gratia sanctificans venialia non delet; quia justi venialiter peccant, et manent in peccato veniali, dum per exercitium virtutis ab illis remissio non obtinetur. Nec peccata venialia gratiam sanctificantem auferunt; quum justi, etiamsi venialiter peccent, justi maneant.

b) Veniale conjunctum cum mortali non remittitur, nisi mortale etiam remittatur. Nam opera peccatoris non recipiuntur a Deo in meritum vel in praemium; quia peccator est Dei inimicus et odiosus. Quare necesse est peccatum mortale etiam deleri, ut veniale deleatur.

c) Peccata venialia certe remittuntur per contritionem perfectam ad ea detestanda se extendens; et similiter per dilectionem Dei super omnia, qua etiam peccata venialia excludantur. Verum quamvis hoc sufficiat, non videtur necessarium; nam minus requiri videtur ad remissionem venialium, quam ad remissionem mortalium, et si requireretur perfecta contritio vel perfecta dilectio, idem ad remissionem venialium et mortalium requireretur; imo magis requireretur ad remissionem venialium; nam perfecta contritio vel perfecta dilectio pro remissione venialium deberet etiam venialibus repugnare. Nihilominus etiam pro remissione peccatorum venialium est necessarius aliquis actus supernaturalis; nam Conc. Arausicanum II dicit (4): "Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur, sicut dicit Psalmista (*Ps.* LXXVIII, 8): *Cito anticipent nos misericordiae tuae, Domine;* et illud (*Ps.* LVIII, 11): *Deus meus, misericordia ejus praeveniet me.*" Peccatum autem veniale est aliqua *miseria*, et liberatio ab illo est ablatio miseriae. Requiritur etiam aliqua paenitentia; quia paenitere aliquo modo de peccato commisso est necessarium, ut peccatum remittatur, prout in S. Scriptura indicatur. Sufficere autem videtur paenitentia virtualis, ut indicat S. Thomas his verbis (5): "Unde sequitur quod requiratur

(1) Loco antea citato, sect. 29
(2) Loco antea citato, n. 876.
(3) S. Thomas, *3. p.*, q. 87, a. 1 et sq.; Suarez, *De gratia*, l. 7, c. 24; Ripalda, *De ente supernaturali*, disp. 97, sect. 4; Beraza, *De justificatione*, n. 877.
(4) Can. 14 (Denz.-Bannwart, n. 187).
(5) Loco proxime citato.

(pro remissione venialium) quaedam virtualis displicentia." Quocirca dicendum videtur pro remissione venialium sufficere quoslibet actus supernaturales, qui illis repugnent; et ita sufficient pro remissione unius vel plurium, prout uni vel pluribus repugnent.

Articulus II

Utrum gratia sanctificans essentialiter peccato mortali repugnet

679. Praemitt. Dictum est gratiam sanctificantem physice et ex natura sua cum peccato mortali pugnare. Ulterius vero hic quaeritur, utrum non modo detur oppositio physica et naturalis inter gratiam sanctificantem et peccatum, verum etiam essentialis, ita quidem ut absolute repugnet gratiam sanctificantem et peccatum mortale simul dari in eodem subjecto. Hac in re duplex praecipue est sententia. Suarez (1), Bellarminus (2), Tanner (3), Ovideo (4) aliique cum scotistis sentiunt non dari absolutam repugnantiam inter gratiam sanctificantem et peccatum. Sentiunt vero absolute repugnare gratiam sanctificantem cum mortali peccato in eodem subjecto conjungi Gonet (5), Gotti (6), Billuart (7), et PP. Dominicani generatim. Eamdem sententiam tenent Salmanticenses (8), Wenzl (9), Val (Honorat. del) (10), Einig (11), Herrmann (12), Tabarelli (13) aliique. Ex nostris eamdem affirmant sententiam Vazquez (14), Becanus (15), Esparza (16), Rhodes (Georgius de) (17), Haunoldus (18), Muniessa (Thomas) (19), Viva (20), Antoine (21), aliique. Atque inter recentiores ex nostris non desunt, qui eamdem sententiam defendant, ut Mazzella

(1) *De gratia*, l. 7, c. 20.
(2) *De justificatione*, l. 2, c. 16, § *Ex his rationes*,
(3) *De gratia*, disp. 6, q. 5, dub. 3, n. 57.
(4) *Controv. 4, De justificatione*, punct. 3.
(5) *De justificatione*, disp. 1, a. 5.
(6) *De justificat.*, q. 1, dub. 8.
(7) Dissert. 7, *De justificat.*, a. 3.
(8) *De justificatione*, disp. 2, dub. 4.
(9) *De gratia, pars octava*, contr. 6, q. 4.
(10) *De gratia Christi*, cap. 2, a. 2, n. 111 ad finem.
(11) *De gratia habituali*, cap. 3, a. 1, thesis 26, coroll. 1.
(12) *De justificat.*, cap. 1, quaer. 2.°.
(13) *De justificat.*, q. 1, a. 2, conclus. 3.
(14) *In 1. 2.*, q. 204, cap. 4 et 7.
(15) *De gratia*, cap. 3, q. 5, conclus. 4, n. 13.
(16) *De justificat.*, q. 3 et q. 9.
(17) *De justificat.*, disp. 3, q. 1, sect. 3, § 3.
(18) *De gratia*, cap. 1, controv. 6.
(19) *De gratia habituali*, disp. 6, s. 2 et sq.
(20) *De gratia habituali*, q. 5.
(21) *De gratia habituali*, disp. 5, a. 6.

(Cardin.) (1), Cardin. Billot (2), Pesch (3), Schiffini (4). Ejusdem sententiae videtur esse S. Thomas, quum dicit (5): "Gratia non dicitur facere gratum effective, sed formaliter; scilicet quia per hanc homo justificatur, dignus efficitur vocari Deo gratus..." Jam vero si gratia sanctificans formaliter justificat, quum effectus formales ab ipsa forma praestentur, eo ipso quod habeatur gratia sanctificans, justificat et tollit peccatum, et ideo non potest simul dari cum peccato mortali, nec de potentia Dei absoluta. P. Valentia (6) et P. Maurus (Sylvester) (7) eamdem sententiam tenent, quatenus docent peccatum mortale nonnisi per gratiam sanctificantem remitti posse.

THESIS. Absolute repugnat gratiam sanctificantem conjungi simul cum peccato mortali in eodem subjecto

Haec thesis defenditur ut probabilior.

680. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. I Joan.* III, 9, dicitur: "Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est." Hic asseritur justum non posse peccare, quia *ex Deo natus est*, seu quia est justus: hoc vero non staret si peccatum mortale cum gratia sanctificante conjungi posset. Nec dicatur peccatum mortale cum gratia sanctificante non posse conjungi secundum providentiam ordinariam, sed utique de potentia absoluta. Nam dicitur, qui justus est peccare non posse, ideoque de potentia absoluta agitur. Item nec dicatur Deum absolute posse facere, ut gratia sanctificans et peccatum simul dentur in eodem subjecto; quia quum gratia sanctificans peccato mortali absolute repugnet, eo ipso quod Deus gratiam sanctificantem communicet, suam voluntatem absolutam non tolerandi peccatum mortale simul cum illa ostendit. Aliunde, si peccatum mortale simul cum gratia sanctificante daretur, esset miraculosa res et contra exigentiam rerum; non decet

(1) *De gratia habituali*, disp. 5, a. 6.
(2) *De gratia Christi*, q. 113, thes. 15.
(3) *De gratia habituali*, sect. 2, n. 335.
(4) *De gratia*, d. 3, s. 6, n. 178, III.
(5) *1. 2.*, q. 111, a. 1, ad 1.
(6) *In 1. 2.*, d. 8, q. 5, punct. 5.
(7) *Opus theologicum*, l. 5, q. 82.

autem Deum facere miraculosam rem ad peccatum mortale conservandum.

Item *Rom.* VI gratia sanctificans et peccatum mortale opponuntur sicut *vita* et *mors,* ut apparet ex v. 11, ubi legitur: "Ita et vos existemate, vos mortuos quidem esse peccato, vivientes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro." Mors autem et vita nullo modo simul stare possunt.

Denique *I Joan.* IV, 16, scribitur: "Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo." Si vero peccatum mortale posset stare cum gratia sanctificante, ac proinde cum caritate, non absolute verum esset Deum stare cum illo, qui caritatem haberet; quia non staret cum illo, si cum caritate peccatum mortale conjungeret.

681. **2.°** *Ex Tridentino* (1) constat gratiam sanctificantem esse unicam formam formaliter justificantem, et ideo etiam formaliter delentem peccata (2), quia non potest formaliter justificare, nisi formaliter deleat peccata mortalia. Atqui gratia formaliter delens peccata mortalia et justificans non potest conjungi cum peccato mortali; quia forma applicata subjecto habet suum effectum formalem, et ideo gratia sanctificans applicata homini, eumdem justificat et facit mundum a peccato mortali; nec Deus potest hoc impedire: tum quia eo ipso quod vult communicare gratiam sanctificantem, eo ipso vult munditiem ab omni peccato mortali, tum quia forma communicata, necessario suum effectum formalem tribuit. Ergo.

682. **3.°** Gratia sanctificans et peccatum mortale sive habituale sive actuale habent effectus formales metaphysice incompossibiles. Ergo hae formae seu gratia sanctificans et peccatum mortale nullo modo possunt simul existere in eodem subjecto; nam formae applicatae subjecto non possunt non habere effectus formales, qui immediate per ipsam formam praestantur; ideoque si effectus formales immediate a formis praestiti, sunt inter se metaphysice incompossibiles, similiter et ipsae formae, a quibus immediate et necessario oriuntur. Prob. ant. Nam peccatum mortale necessario facit hominem injustum, inimicum Dei, et tollit jus ad

(1) *Sess.* 6.ª, cap. 7.
(2) Ut dictum est n. 674 et sq.

vitam aeternam; e contra gratia sanctificans necessario facit hominem justum, amicum Dei, et tribuit jus ad vitam aeternam. Atqui homo non potest esse simul justus et injustus, amicus et inimicus Dei, habere et non habere jus ad vitam aeternam. Ergo nemo potest simul habere gratiam sanctificantem et peccatum. Dices gratiam sanctificantem, quatenus qualitas physica, non repugnare absolute cum peccato, sed solum si consideretur moraliter, et quatenus dat jus ad amicitiam cum Deo et ad vitam aeternam. Respondendum est hanc distinctionem non videri esse admittendam; quia ipsa qualitas physica est, quae fundat formaliter amicitiam divinam, et quae dat jus ad vitam aeternam (1).

683. 4.° Gratia sanctificans est donum perfectissimum inter dona creata, quae Deus communicat in praesenti vita (2), et est specialis participatio divinae naturae (3). Atqui haec praedicata non sinunt gratiam sanctificantem existere simul in eodem subjecto cum peccato mortali. Ergo. Prob. min. Nam imprimis donum perfectissimum, quod Deus in hac vita communicat, certe illud non communicat sine dilectione erga recipientem tale donum: dilectio vero Dei non potest dari erga habentem peccatum mortale: quia, ut dicitur *Ps.* XLIV, 8: "Dilexisti (Deus) justitiam et odisti iniquitatem." Et *Sap.* XIV, 9: "Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas ejus." Et *Eccles.* XII, 3: "Et Altissimus odio habet peccatores..." Et ita gratia sanctificans, quae est donum perfectissimum, simul cum peccato mortali stare nequit. Deinde gratia sanctificans est specialis et formalis participatio naturae divinae, ideoque debet habere per participationem id, quod natura divina ex se habet. Quum igitur natura divina ex se essentialiter repugnet omni peccato, etiam gratia sanctificans per participationem debet habere essentiam omni peccato mortali repugnantem.

684. Obj. Gratia sanctificans et remissio peccati sunt duae res distinctae; quia ut dictum est n. 678, potest dari remissio peccati sine infusione gratiae. Atqui hoc ipso Deus potest velle unum et non alterum, i. e, infusionem gratiae et non remissionem peccati. Ergo de potentia absoluta potest simul dari in eodem subjecto gratia sanctificans et peccatum mortale.

(1) Muniessa, *De gratia*, disp. 16, s. 3.
(2) Ita probatum est n. 649.
(3) Sic probatum est n. 640 et sq.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Nam gratia sanctificans est ipsa formalis et immediata justificatio, ut eruitur ex Tridentino (1); non potest autem dari simul in eodem subjecto formalis justificatio et peccatum mortale, quum formalis justificatio expulsionem peccati mortalis includat. Ideoque dari potest remissio peccati mortalis sine infusione gratiae, sed non infusio gratiae sine remissione peccati. Nec gratia sanctificans physice sumpta, prout est qualitas, separari potest a gratia moraliter sumpta, quatenus remittit peccata, fundat amicitiam cum Deo et jus ad vitam aeternam tribuit: quia ipsa gratia sanctificans physice sumpta, immediate et per se remittit peccata et amicitiam cum Deo fundat. Quocirca Deus non potest velle infundere gratiam sanctificantem, et nolle peccata remittere; quia gratia sanctificans est forma immediate, per se et essentialiter remittens peccata, quum sit forma immediate justificans, et justificatio remissionem peccatorum comprehendat. Atque gratia sanctificans et peccatum mortale contradictorie opponi videntur; nam justitia et injustitia, amicitia et inimicitia contradictorie opponuntur, et gratia sanctificans facit hominem justum et amicum Dei, e contra peccatum mortale facit hominem injustum et inimicum Dei.

Articulus III

Gratia sanctificans facit homines justos, sanctos, Deo gratos et amicos ipsiusque Dei filios adoptivos

685. Praemitt. 1.° *Traduntur notiones verborum justus, sanctus, gratus, amicus, filius adoptivus. Justus* (2) prout hic accipitur, est ille, qui habet immunitatem a peccato mortali et rectam ad vitam aeternam ordinationem cum jure ad illam et cum expedita facultate agendi salutariter (3). Ad majorem hujus rei declarationem faciunt, quae supra dicta sunt (4). Deinde *sanctus*, secundum S. Thomam (5), est ille qui se ipsum et actus suos applicat Deo. Unde sanctus potest sumi pro eodem ac justo. Speciatim dicitur etiam sanctus, qui ab omni peccato mortali immunis est.

Gratus. Unum esse alteri gratum, in genere significat, unum habere in se aliquod donum seu perfectionem alteri placentem. Atque hoc in genere sufficeret, ut gratia diceretur hominem face-

(1) *Sess. 6, cap. 7.*
(2) S. Thomas, *1. 2.*, q. 113, a. 1.
(3) Vide S. Thomam, *1. 2.*, q. 113, a. 1.
(4) Disp. 3, cap. 2, a. 2.
(5) *2. 2.*, q. 81, a. 8.

re Deo gratum. Verum hic, quum asseritur gratiam facere hominem Deo gratum, sermo est de aliqua speciali perfectione, qua homo ita Deo gratus fit, ut amicitia divina dignus reddatur.

Amicitia (1). Amicitia est mutuus amor benevolentiae cum efficaci dispositione ad alteri benefaciendum; amor enim non satis efficax ad benefaciendum amico, non est amor sufficiens ad amicitiam constituendam. Amor inter amicos debet esse mutuus et benevolentiae, seu unus debet velle alteri bonum, quia est illi bonum, non sibi. Praeter hanc mutuam benevolentiam hae aliae conditiones pro amicitia requiruntur, scilicet: 1.° ut amor sit amicis notus; 2.° ut mutua bonorum communicatio habeatur; 3.° ut detur quaedam aequalitas. Haec vero aequalitas inter homines est naturae aequalitas; sed in divina amicitia talis aequalitas reperiri nequit. Verum homo per gratiam sanctificantem participat specialiter divinam naturam et fit dignus ipsius visione et beatitudine; et sic quamdam proportionem ad veram cum Deo amicitiam acquirit. Haec autem perfectio et dignitas hominis vere supplet defectum propriae aequalitatis cum Deo. Quum autem haec specialis participatio divinae naturae et acquisitio juris ad ipsam divinam beatitudinem in ordine mere naturali haberi nequeant; inde videtur inferri in ordine mere naturali non posse dari veram amicitiam inter Deum et homines; non enim habebitur ea intima communicatio et beneficentia, quae amicitia requirit (2).

Filiatio adoptiva (3). Adoptatio prout fit inter homines definiri potest: assumptio gratuita personae extraneae in filium cum jure ad haereditatem seu ad bona adoptantis. Adoptatio tres potissimum requirit conditiones: 1.ª est, ut adoptans gratuito et libere personam ejusdem naturae in filium assumat, ita ut talis persona assumpta habeatur tanquam si esset filius. 2.ª ut persona assumpta non sit filius naturalis adoptantis, sed sit persona ipsi extranea. 3.ª ut adoptans adoptato jus ad haereditatem tribuat. Adoptatio vero divina multum ab humana difert, et definiri potest: assumptio hominis a Deo ad beatitudinem supernaturalem

(1) S. Thomas, *2. 2.*, q. 23, a. 1; et q. CXIV. Item *1. 2.*, q. XXVI, q. XXVIII, q. LXV, a. 5; *2. 2.*, q. 25.
(2) Vide S. Thomam, *2. dist. 26*, a. 1, ad 2.
(3) S. Thomas, *3. p.*, q. 23.

per communicationem specialis participationis naturae divinae, qua homo intrinsece elevatur et acquirit jus ad beatitudinem supernaturalem. Ex hac definitione haec discrimina sequuntur inter adoptionem humanam et divinam. 1.° Adoptio humana nihil intrinsecum ponit in homine adoptato; sed adoptio divina ponit in adoptato specialem participationem naturae divinae et similitudinem, licet tantum analogicam. 2.° Adoptio divina fit per productionem gratiae sanctificantis, quae quidem productio vocatur *generatio* (*Tit.* III, 4), et ejus effectus *nativitas* (*I Joan.* III, 9); in adoptione vero humana nulla fit mutatio intrinseca in adoptato, ut jam dictum est. 3.° Adoptio humana fit ex indigentia filiationis; sed adoptio divina ex infinita Dei bonitate. Tamen adoptio divina habet omnes characteres adoptionis, nimirum assumptio personae extraneae in filium cum similitudine naturae et jure ad haereditatem seu beatitudinem aeternam.

Tamen filiatio divina hominum non fit a solo Patre, sed a tota Trinitate, et ideo justi sunt filii non solius Patris, sed trium personarum Dei; appropiatur tamen Patri propter similitudinem cum filiatione Filii Dei. De hac re dicit (1) D. Thomas: "Quamvis autem generare in divinis sit proprium personae Patris, tamen facere quemcumque effectum in creaturis est commune toti Trinitati propter unitatem naturae: quia ubi est una natura, oportet quod sit una virtus et una operatio. Unde Dominus dicit (*Joan.* V, 19): "*Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.*" Et ideo adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati." Et ibidem ad 2: "Est autem Pater noster, voluntarie aliquid faciendo; quod est commune ipsi, et Filio, et Spiritui Sancto; et ideo Christus non est filius totius Trinitatis, sicut nos." Item ad 3: "Et ideo adoptatio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto, ut imprimenti in nobis hujus exemplaris similitudinem."

686. Praemitt. 2.° Protestantes, qui negant hominem justificari per donum intrinsecum, saltem adaequate, sicut supra dictum est (2), etiam hic similiter affirmare debent gratiam sanctificantem non facere homines justos, vel sanctos, vel gratos, vel amicos Deo, vel filios Dei adoptivos. Doctrina vero catholica

(1) *3. p.*, q. 23, a. 2, c.
(2) Disp. 3, cap. 2, a. 2, n. 614.

et de fide, vel saltem omnino certa, est homines per gratiam sanctificantem fieri justos, sanctos, gratos et amicos Deo, et filios adoptivos. Verum est dissensio inter catholicos, quatenus scotistae cum Scoto (1) admittunt gratiam sanctificantem solum justificare moraliter et meritorie; non autem ex natura sua et physice; sed hoc dicunt gratiam sanctificantem ex ordinatione divina habere. At sententia communior et probabilior tenet gratiam sanctificantem facere homines justos, sanctos, gratos et amicos Deo, et filios ipsius adoptivos physice et ex natura sua.

THESIS I. Gratia sanctificans homines justos et sanctos facit, et hoc quidem ex natura sua adæquate

Thesis habet tres partes: 1.ª pars est, gratia sanctificans facit homines justos; 2.ª pars, facit eos sanctos; 3.ª p., gratia sanctificans homines justos et sanctos ex natura sua et adaequate facit. 1.ª et 2.ª pars theseos sunt de fide, vel saltem omnino certae; 3.ª p., ponitur ut communior et multo probabilior. Haec ipsa censura applicanda est duabus thesibus sequentibus.

687. Prob. 1.ª p. *Gratia sanctificans homines justos facit.*

1.° *Ex S. Scriptura.* Ad *Rom.* III, 24, ubi legitur: "Justificati gratis per gratiam ipsius..." Et ad *Titum*, III, 7: "Justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae." In utroque textu expresse affirmatur nos justificari per gratiam (sanctificantem), et ideo per illam fieri justos.

2.° *Ex Conc. Tridentino* dicente (2): "Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit (3), qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus..."

3.° *Ratione theologica.* Homo fit justus per receptionem justitiae et immunitatem ab omni peccato. Atqui hoc praestat gratia sanctificans; ipsa enim est justitia, ut eruitur ex Tridenti-

(1) *4. d. 1*, q. 1, n. 33, edit. Ludovici Vives, t. 16, pag. 95; et alibi. Vide Frassen, *De gratia*, d. 3, a. 2, q. 3.
(2) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(3) Vide ejusdem *Sess.*, can. 10 et 11.

no loco citato, et ex se delet peccata mortalia (1). Ergo gratia sanctificans vere facit homines justos.

688. Prob. 2.ª p. 1.º *Ex S. Scriptura. Joan.* XVII, 19, dicitur: "Et pro eis ego sanctifico meipsum; ut sint et ipsi sanctificati in veritate." Et *I Cor.*, VI, 11: "Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis..."

2.º *Ex Conc. Tridentino* dicente (2): "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum..."

3.º Si esse sanctum sumitur pro esse immunem ab omni peccato mortali, gratia sanctificans nos facit sanctos, quia mundat nos ab omni peccato mortali, sicut probatum est (3). Si vero sanctus est idem ac justus, omnia argumenta ad ostendendum gratiam sanctificantem facere hominem justum, ostendunt quoque illum facere sanctum.

689. Prob. 3.ª p. Nam textus Scripturae allati asserunt hominem justificari per gratiam sine ulla limitatione vel restrictione; ideoque indicant hominem fieri justum adaequate per gratiam sanctificantem. Et Conc. Tridentinum affirmat justitiam seu gratiam sanctificantem facere nos justos, ac proinde ex natura sua. Deinde sanctum, si pro immunitate ab omni peccato mortali sumitur, jam probatum est (4) gratiam sanctificantem ex se et physice delere omne peccatum mortale. Si vero sanctum pro justo accipitur, valent argumenta, quae adducta sunt ad probandum gratiam sanctificantem ex se et physice facere hominem justum.

Difficultates contra thesim jam propositae et solutae sunt supra, disp. 3, cap. 2, a. 2, et 3; et cap. 3, a. 1.

THESIS II. Gratia sanctificans facit homines Deo gratos et amicos, et hoc ex natura sua et physice

690. Prob. 1.ª p. seu *facit homines Deo gratos.*

Ex S. Scriptura. Ad *Ephes.* I, 6, legitur: "In laudem gloriae gra

(1) Hoc probatum est supra, disp. 3.ª, cap. 3, a. 1, Thes. 2.ª.
(2) *Sess.* 6, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(3) Disp. 3, cap. 3, a. 1, thes. 2.
(4) Loco proxime citato.

tiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo." Et in hunc locum dicit S. Joan. Chrysostomus (1): "Gratos fecit: hoc est, non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles... Ita nostram instruxit et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem et amabilem."

Et Conc. Tridentinum dicit (2) de justificatione esse translationem *in statum gratiae*. Praeterea omnia argumenta pro amicitia, sunt quoque argumenta ad probandum hominem esse Deo gratum.

691. Prob. 2.ª p., seu *facit homines Dei amicos.*

1.° *Ex S. Scriptura.* Ex *Sap.*, VII, 14, dicente: "Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo, qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati." Et *Luc.* XII, 4, Christus inquit: "Dico autem vobis amicis meis." Item *Joan.* XV, 14: "Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis."

692. 2.° *Ex Conc. Tridentino*, quod asserit (3): "Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus." Et alibi (4): "Sic ergo justificati, et amici Dei et domestici facti."

693. 3.° *Ratione theologica.* Inter Deum et hominem justum intersunt omnes conditiones necessariae ad amicitiam. Ergo revera inter Deum et hominem justum vera amicitia ponenda est. Prob. ant. per partes.

a) Est amor mutuus. Nam *Matth.* XXII, 37, dicitur: "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua." Et *Joan.* XIV, 23: "Si quis diligit me, sermonem servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus..."

b) Est amor benevolentiae. Nam justi amare Deum debent propter ipsum Deum; et viceversa Deus amat justos propter bonum ipsorum justorum. Et ita dicitur (*Joan.* XIII, 34): "Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem." Certe Christus voluit, ut ejus discipuli invicem se amarent amore verae caritatis et benevolentiae, et hoc amore Christus eos amabat, quum vellet ipsos discipulos invicem se amare, sicut Christus eos dilexit. Nec obstat Deum omnia velle propter se ipsum et propter

(1) In' *Epist. ad Ephes.*, cap. 1, Homil. 1 (M. G. 62, 14).
(2) *Sess. 6*, cap. 4 (Denz.-Bannwart, n. 796).
(3) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(4) Eodem loco, cap. 10, n. 803.

suam gloriam; nam amor amicitiae debet esse honestus, ideoque ad Deum tanquam finem ultimum debet dirigi. Aliunde vero Deus ita vult omnia propter suam gloriam, ut simul rerum omnium commoditatem et utilitatem in bonum hominum velit; et hic est verus amor benevolentiae amare amicum propter commodum et utilitatem ipsius amici.

c) Noster amor benevolentiae est certo notus Deo, qui est infinite sapiens; et nos etiam quadam certitudine morali lata a Deo nos amari, cognoscere possumus; et *Rom.* VIII, 16, dicitur: "Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei."

d) Est mutua bonorum communicatio; nam Deus homini dedit omnia sive naturalia sive supernaturalia, quae habet; et justus omnia, quae a Deo accepit, illi reddit in ipsius gloriam.

e) Est quaedam aequalitas; quia homo per gratiam sanctificantem elevatur ad ordinem divinum, et accipit specialem participationem divinae naturae cum jure ad ipsam beatitudinem et bona Dei. Habentur igitur inter Deum et homines justos omnes conditiones verae amicitiae, scilicet mutuus amor benevolentiae utrique notus, communicatio bonorum, et quaedam aequalitas cum jure ad ipsam divinam beatitudinem.

694. Prob. 3.ª p., seu *gratia sanctificans ex se et physice est causa amicitiae.* Hoc asserit Tridentinum, quod justificationi, quae per gratiam sanctificantem fit, tribuit facere hominem *ex inimico amicum* (1). Praeterea per gratiam sanctificantem ponuntur in homine omnia fundamenta ad veram amicitiam cum Deo; ideoque ex gratia sanctificante fit homo amicus Dei. Quod si per gratiam sanctificantem fit homo amicus Dei, etiam per eamdem fit illi gratus, quum amicus sit gratus amico.

Nec dicatur gratiam sanctificantem esse *signum* et *pignus* (*II Cor.* I, 22): nam a Deo accipere signum et pignus supernaturale amicitiae nullatenus opponitur.

(1) *Sess. 6, cap. 7.*

THESIS III. Gratia sanctificans facit hominem filium Dei adoptivum; ex natura sua, et hoc physice et formaliter

695. **Prob. 1.ª p.,** *gratia sanctificans facit hominem filium Dei adoptivum.*

1.° *Ex S. Scriptura. Rom.* VIII, 15 et sq., legitur: "Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii et heredes..." Et *I. Joan.* III, 1: "Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominetur et simus." Quibus textibus non modo asseritur homines justos esse filios Dei, sed indicatur hoc esse per gratiam, quatenus filiatio adoptiva ponitur connexa cum hereditate aeterna et cum caritate.

696. **2.°** *Ex Conc. Tridentino* (1) dicente: "Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum (*Rom.* VIII, 15) Dei per secundum Adam, Jesum Christum, Salvatorem nostrum." Unde, quum *translatio* fiat per gratiam sanctificantem, per hanc similiter constituuntur filii Dei adoptivi.

697. **3.°** *Ex S. Augustino* dicente (2): "Qui autem justificat, ipse deificat, quia justificando filios Dei facit." Et ipse S. Doctor (3) dicit: "Unicus enim natura Dei Filius, propter nos misericordia factus est filius hominis, ut nos natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus."

698. **Prob. 2.ª p.,** seu *gratia sanctificans ex natura sua, physice et formaliter facit filios Dei adoptivos.* Nam gratia sanctificans nos regenerat et tribuit nativitatem supernaturalem (4). Atqui haec non aliter a gratia sanctificante praestari possunt, nisi ex natura sua, physice et formaliter. Ergo. Deinde S. Augustinus asserit nos fieri filios Dei adoptivos per justificationem et per

(1) *Sess. 6, cap. 4* (Denz.-Bannwart, n. 796).
(2) *Enarrat. in Ps. 49*, n. 2 (M. L. 36, 565).
(3) Vide disp. 3, cap. 2, a. 2.
(4) Disp. 3, cap. 2, art. 3.

gratiam; justificatio vero fit per gratiam sanctificantem ex natura sua, physice et formaliter. Item S. Augustinus sumit gratiam, qua efficimur filii Dei pro gratia sanctificante; quia filii Dei habent jus ad regnum Dei, et sola gratia sanctificans tribuit hoc jus. Postremo gratia sanctificans tribuit omnia, quae ad filiationem adoptivam requiruntur, et ea tribuit formaliter per se ipsam, et ideo ex natura sua et physice. Ergo gratia sanctificans ex natura sua, physice et formaliter filios Dei adoptivos constituit. Prob. antec. Ad filiationem adoptivam requiruntur participatio naturae adoptantis, ut adoptatus non sit filius naturalis adoptantis, et ut habeat jus ad hereditatem. Atqui gratia sanctificans ex se ipsa praestat haec tria. Ergo. Prob. min. Per gratiam sanctificantem habetur specialis participatio naturae divinae, ut dictum est supra (1); similiter gratia sanctificans non facit justos filios Dei naturales; quum unicus sit filius Dei naturalis: denique tribuit ex se jus ad hereditatem; nam (*Rom.* VI, 23) dicitur: "Gratia autem Dei, vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro (2)."

Articulus IV (3)

De inhabilitatione divinarum personarum per gratiam

699. Praemitt. 1.° De hac re jam breviter egi in *Tractatu de Trinitate* (4) sub nomine *missionis;* hic aliquantulum fusius de eadem re agitur sub nomine inhabitationis. Missio est processio personae missae a mittente cum novo modo existendi in re aliqua; et inhabitatio est praesentia specialis divinarum personarum in re aliqua. Quare missio solum convenit personis, quae procedunt; et inhabitatio omnibus divinis personis convenit. Quaeritur, u-

(1) Disp. 3, cap. 2, art. 3.
(2) Vide plura de his apud P. Beraza, *De gratia habituali,* s. 2, disp. scholastica, c. 2, a. 2 et sq.
(3) S. Thomas, *In 1 sent.* dist. XV, XVI, XVII; *1.ª p.* q. 43, aa. 3 et 6; Suarez, *De Trinitate,* l. 12, cap. 5; Ruiz de Montoya, *De Trinitate,* disp. 109; Salmanticenses, *De Trinitate,* disp. 19; Billuart, *De Deo trino,* dissert. 6, a. 4; Franzelin, *De Deo trino,* sect. 4; Mazzella, *De gratia Christi,* d. 4, a. 9; Beraza, *De gratia habituali,* disp. scholast., cap. 3; Schiffini, disp. 3, sect. 7, n. 185 et sq.; Herrmann, *De gratia habituali,* s. 1, cap. 2, n. 891 et sq.; Pesch (Christianus), *De Trinitate,* sect. 5, n. 662 et sq.; Van der Meersch, *De gratia,* n. 137 et sq.
(4) Disp. 3, cap. 4, a. 2, quaer. 5.°

trum simul cum gratia sanctificante donentur nobis quoque divinae personae. *Donum* est id, quod gratuito datur. Respectu Dei donum tripliciter accipi potest, scilicet *essentialiter, notionaliter* et *personaliter*. Sumitur *essentialiter*, quatenus quaelibet divina persona et essentia Dei potest esse donum; ita Trinitas et divina essentia singulis beatis per visionem donantur. *Notionaliter* dicitur donum, si procedat a donante; et hoc sensu solus Filius et Spiritus Sanctus possunt esse donum. Postremo sumitur *personaliter*, quatenus est proprium unius tantum personae esse donum; hoc vero tantum convenit Spiritui Sancto; quia solus procedit ut amor, qui ipse est donum et fundamentum donorum. Ex his modis donandi, Pater donat se *essentialiter*, i. e, ex sua essentia habet, ut possit se ipsum donari creaturis, certe sine ulla ab ipsis dependentia; Pater Filium et Spiritum Sanctum donat *notionaliter*, et Filius etiam hoc modo Spiritum Sanctum donat; Spiritus autem Sanctus semper datur ut donum, quum hoc sit proprietas ejus personalis.

700. **Praemitt. 2.°** Ut dicit (1) P. Suarez, aliqui affirmarunt in justificatione tantum donari dona creata, non vero aliquam vel omnes personas divinas; quia videntur existimasse Deum in rebus existere non posse nisi per *essentiam, praesentiam* et *potentiam*, quibus modis in omnibus rebus existit. Alii dixerunt, ut docet idem P. Suarez (2), simul cum gratia sanctificante donari personam Spiritus Sancti, non autem Patrem et Filium. Atque huic sententiae videntur consentire plures moderni, quos citat (3) P. Hurter, asserentes Spiritum Sanctum donari et conjungi animae per gratiam sanctificantem, et per aliquid proprium Spiritus Sancti, et non commune ceteris personis. Verum sententia multo communior et probabilior est omnes tres personas simili modo donari cum gratia sanctificante, et acquirere modum specialem existendi in anima diversum ab illis tribus modis, quibus in omnibus rebus existit Deus. Atque in hac re certum est omnes tres personas aliquo modo animae communicari simul cum gratia sanctificante; et est multo probabilius, ut dictum est, omnes tres personas similiter communicari cum gratia sanctificante. Deinde certum

(1) *De Trinitate*, l. 12, cap. 5, n. 2.
(2) Eodem loco.
(3) *De gratia Christi*, n. 201, edit. 12.

est personas divinas non acquirere novum modum exsistendi in rebus per mutationem suam, quum Deus sit prorsus immutabilis; sed per mutationem animae rationalis. Per communicationem et donationem trium divinarum personarum simul cum gratia sanctificante constituitur inhabitatio Trinitatis in anima.

THESIS. Simul cum gratia sanctificante non modo datur animæ Spiritus Sanctus, verum etiam Pater et Filius se donant

Thesis habet duas partes: 1.ª pars est, cum gratia sanctificante datur etiam Spiritus Sanctus, et haec pars est certa; 2.ª pars asserit etiam Patrem et Filium dari. Haec pars etiam est certa, quatenus affirmat Patrem et Filium aliquo etiam modo dari, et quatenus affirmat eodem modo dari ac Spiritum Sanctum est multo probabilior.

701. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex S. Scriptura. Joan.* XIV, 16 et sq. dicitur: "Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, et in vobis erit." *Rom.* V, 5: "Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis." Item *I Cor.* III, 16: "Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?." Denique *Galat.* IV, 6: "Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater (1)."

702. 2.º *Ex PP.* S. Athanasius inquit (2): "Gratia enim et donum quod in Trinitate datur, datur a Patre per Filium in Spiritu Sancto. Nam quemadmodum ex Patre per Filium datur gratia, ita in nobis fieri non potest doni communicatio nisi in Spiritu Sancto. Hujus siquidem participes effecti, Patris caritatem, Filii gratiam et ipsius Spiritus communicationem habemus." Item S. Cyrillus Alex. (3): "Spiritus itaque Sanctus per seipsum in nobis operatur, vere sanctificans aut uniens nos sibi ipsi: et per conjunctionem ac copulam nostri secum naturae divinae participes facit." Et S. Augustinus (4): "Gratia quippe Dei, donum

(1) Similia habentur *Rom.* VIII, 11; *I Cor.* VI, 19; *II Timoth.* I, 14.
(2) *Epist. I ad Serapionem*, n. 30 (M. G. 26, 599).
(3) *Thesaurus, assertio* 34 (M. G. 75, 598).
(4) *Sermo 144, de verbis Evangelii Joan.* XVI, 8-11, c. 1, n. 1 (M. L. 38, 788).

Dei est. Donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est; et ideo gratia dicitur."

703. Prob. 2.ª p., seu *etiam Pater et Filius animae communicantur.*

1° *Ex S. Scriptura. Joan.* XIV, 23, dicitur: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus." Ideoque omnes tres divinae personae justo donantur. Et *I Cor.* III, 17: "Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos." Rursus *II Cor.* VI, 16: "Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: *quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos et ero illorum Deus...*" Sub nomine autem Dei tres divinae personae comprehenduntur.

704. 2° *Ex PP.* S. Athanasius dicit (1): "Profecto quum Christus ait, *Veniemus ego et Pater*, una quoque intrat Spiritus non alio modo quam Filius in nobis habitaturus..." Et S. Basilius (2): "Ita qui Spiritum attraxit, ut ait Propheta, et Filium et Patrem per ipsum simul traxit." Item S. Cyrillus Alex. (3): "Habitante quidem in nobis Servatore nostro Christo per Sanctum Spiritum, erit quoque omnino nobiscum et Genitor: nam Spiritus Christi idem est et Patris." Et inferius (4) addit: "Et quidem divinus Paulus non duorum deorum templa nos apellavit, sed unius: *nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Vides ut, in substantiae identitatem Patre et Filio collatis, templa nos factos esse ait, non deorum, sed Dei."

S. Ambrosius inquit (5): "Advertimus igitur quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus in uno eodemque per naturae ejusdem maneant unitatem. Ergo divinae est potestatis, qui habitat in templo: sicut enim Patris et Filii, ita et Spiritus Sancti sumus templum: non multa templa, sed unum templum; quia unius templum est potestatis." S. Augustinus ita loquitur (6): "Ecce facit in sanctis cum Patre et Filio Sanctus etiam Spiritus mansionem; intus utique, tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas,

(1) *Epist. I ad Serap.*, n. 31 (M. G. 26, 602).
(2) *Epist.* 38, n. 4 (M. G., 32, 331).
(3) *In Joan.* l. 10, cap. 14, 23 (M. G. 74, 290).
(4) Eodem loco, col. 294.
(5) *De Spiritu Sancto*, l. 3, c. 12, n. 91 (M. L. 16, 831).
(6) *Tractatus 76 in Joan.*, n. 4 (M. L. 35, 1832).

Pater et Filius et Spiritus Sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos." Denique ipse S. Augustinus docet (1): "Dilectio igitur quae ex Deo est et Deus est, proprie Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas..." Vide plura de hac re apud Franzelin (2).

705. **3.°** *Ratione.* Nam Spiritus Sanctus nullam habet conjunctionem seu donationem creaturis factam ratione sui: idem enim omni ex parte esset, licet nulla creatura existeret. Nec habet aliquam unionem specialem cum gratia sanctificante; nam haec similiter a tota Trinitate producitur, nec aliquid habet speciale per Spiritum Sanctum; nec ostenditur gratiam sanctificantem aut quamcumque aliam creatam habere ordinem specialem ad Spiritum Sanctum. Praeterea gratia sanctificans ordinat creaturam rationalem ad suum ultimum finem et jus ad illum tribuit. Atqui finis ultimus supernaturalis hominis est totus Deus prout in se est; et ideo gratia sanctificans similiter dicit ordinem ad omnes tres personas et ad totum Deum.

706. *Doctrina posita ex S. Thoma confirmatur.* Dicit (3) S. Doctor: "Dicunt enim, quod sicut Filius univit sibi naturam humanam solus, quamvis sit ibi operatio totius Trinitatis; ita Spiritus Sanctus solus unit sibi voluntatem, quamvis sit ibi operatio totius Trinitatis. Sed hoc non potest stare; quia unio humanae naturae in Christo terminata est ad unum esse personae divinae: et ideo idem actus numero est personae divinae et naturae humanae assumptae. Sed voluntas alicujus sancti non assumitur in unitatem suppositi Spiritus Sancti. Unde quum operatio a supposito unitatem habeat et diversitatem, non potest esse quod intelligatur esse una operatio voluntatis et Spiritus Sancti, nisi per modum quo Deus operatur in qualibet re." Et idem S. Doctor etiam asserit (4): "Potest etiam attendi (processio divinarum personarum) inquantum est ratio reduendi in finem, et est secundum illa dona tantum quae proxime conjungunt nos fini ultimo, scilicet Deo, quae sunt gratia gratum faciens, et gloria, et de ista processione loquimur hic... ita etiam in participatione divinae bonitatis non est immediata conjunctio ad Deum per primos effectus qui-

(1) *De Trinitate*, l. 15, cap. 18 (M. L. 42, 1083).
(2) *De Trinitate*, sect. 4, thes. 45.
(3) *1 sent.*, dist. 17, q. 2, a. 2.
(4) Eodem loco, dist. 14, q. 2, a. 2.

bus in esse naturae subsistimus, sed per ultimos quibus fini adhaeremus; et ideo concedimus, Spiritum non dari nisi secundum dona gratum facientia."

707. Corollarium I. *Inhabitatio divinarum personarum non fit nisi per gratiam sanctificantem.* Hoc sequitur ex dictis; omnia enim Scripturae et Sanctorum Patrum testimonia adducta indicant personas divinas non venire nisi ad justos. Et ratio hoc ipsum suadet; quia Deus non conjungitur peccatoribus, sed ab illis avertitur. Et S. Thomas dicit (1): "Sic igitur, nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter persona divina." Et alibi (2): "Nulla alia perfectio superaddita substantiae, facit Deum esse in aliquo sicut objectum cognitum et amatum, nisi gratia; et ideo sola gratia facit singularem modum essendi Deum in rebus. Est autem alius singularis modus essendi Deum in homine per unionem (Incarnatio)." Immo non modo de facto repugnat fieri inhabitationem aliter quam per gratiam sanctificantem, verum etiam absolute. Nam ex una parte non possunt personae divinae inhabitare in homine per modum specialem existendi in illo, nisi fiat mutatio in ipso homine; haec autem mutatio fieri debet per acquisitionem gratiae sanctificantis; nam personae divinae non possunt inhabitare nisi hominem justum, quum a peccatoribus sint aversae, et sola gratia sanctificans est res creata, quae justificet.

708. Corollarium II. *De appropriatione speciali Spiritui Sancto.* Ex dictis infertur inhabitationem divinarum personarum in homine justo non esse aliquid proprium Spiritus Sancti, sed quid commune tribus personis. Verum negari non potest S. Scripturam et PP. aliquid speciale Spiritui Sancto attribuere in hoc, quod est in justis inhabitare. Unde quum hoc non sit aliquid proprium, debet saltem esse aliquid Spiritui Sancto appropriatum. Ad appropriationem declarandam dicit (3) S. Thomas: "Sicut igitur similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa utimur ad manifestationem divinarum personarum; ita et essen-

(1) *I.ª p.*, q. 43, a. 3.
(2) Eodem loco, q. 8, ad 4.
(3) *I p.*, q. 39, a. 7.

tialibus attributis: et haec manifestatio personarum per essentialia attributa, *appropriatio* nominatur. Possunt autem manifestari personae divinae per essentialia attributa dupliciter. Uno modo per viam similitudinis; sicut ea quae pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus, ut Verbum. Alio modo per modum dissimilitudinis; sicut potentia appropriatur Patri, ut Augustinus dicit, quia apud nos patres soleant esse propter senectutem infirmi; ne tale aliquid suspicemur in Deo."

Jam vero Spiritus Sanctus ratione suae processionis specialem similitudinem habet cum amore, dono et sanctitate. Cum amore quidem, quia procedit ut amor inter Patrem et Filium, et hoc ipso etiam est donum; quia ipse amor est quod primo donatur, et fundamentum aliorum donorum. Denique habet etiam specialem similitudinem cum sanctitate, quia ut docet (1) ipse S. Thomas: "Sanctitas vero illis rebus attribuitur quae in Deum ordinantur. Quia igitur persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus nominatur." Quocirca inhabitatio divinarum personarum in justis Spiritui Sancto recte appropriatur; quia ea inhabitatio fit per gratiam sanctificantem, et haec est effectus amoris, donum excellentissimum et sanctitas: ideoque specialem similitudinem cum Spiritu Sancto habet.

709. Corollarium III. Per augmentum intrinsecum sive intensivum gratiae sanctificantis fit nova seu perfectior inhabitatio divinarum personarum. Ex dictis etiam sequitur non tantum per primam, sed etiam per novas infusiones gratiae sanctificantis fieri novam sive perfectiorem inhabitationem divinarum personarum in anima; quia per singulas infusiones gratiae sanctificantis, datur novum et perfectius jus ad cognoscendum et amandum Deum et perfectior amicitia cum illo; ideoque et nova conjunctio cum Deo et perfectior modus praesentiae specialis cum illo. Nec audiendi sunt pauci aliqui aliter sentientes; quum nullatenus ostendant oppositum. Nec admittendum est per gratias gratis datas aut per alia dona non inferentia gratiam sanctificantem fieri inhabitationem divinarum personarum. S. Thomas dicit (2) de hac re: "Ad secundum dicendum, quod etiam secundum profectum virtutis, aut augmentum gratiae, fit missio invisiblis."

(1) Eodem loco, q. 36, a. 1.
(2) *I. p.*, q. 43, a. 6. ad 2.

710. Corollarium iv. *De inhabitatione in justis Veteris Testamenti* (1). Justi in veteri Testamento per gratiam sanctificantem justificabantur; et ex hoc sequitur etiam in justis Veteris Testamenti dari inhabitationem divinarum personarum; nam haec, ut ex dictis constat, consequitur possessionem gratiae sanctificantis. Unde S. Athanasius dicit (2): "Unus enim idemque est Spiritus, qui ut tunc (in Veteri Testamento) sic et nunc eos, qui ipsum recipiunt, sanctificat et consolatur; quemadmodum unus et idem Verbum Filius etiam tunc eos, qui digni erant, ad filiorum provehebat conditionem. Nam erant quoque filii in Veteri Testamento, qui quidem non per alium quam per Filium dignitatem hujusmodi consequebantur." Et S. Thomas docet (3). "Ad secundum dicendum quod sancti Veteris Testamenti dupliciter possunt considerari: vel quantum ad gratiam personalem, et sic per fidem Mediatoris consecuti sunt gratiam aeque plenam his qui sunt in Novo Testamento et multis plus et multis minus; vel secundum statum naturae illius temporis..."

Opponitur S. Cyrillus Alexandrius, qui certe nonnullas locutiones obscuras habet; verum nullibi negat in justis Veteris Testamenti inhabitasse Spiritum Sanctum. Vult quidem gratiam in Novo Testamento habere quamdam majorem dignitatem, ut explicat Card. Franzelin in loco paulo antea citato; sed nullatenus asserit gratiam Veteris Testamenti fuisse inferioris speciei, et non habuisse vim attrahendi inhabitationem divinarum personarum. Immo expresse indicat oppositum, quum de S. Joanne Baptista, qui ad Vetus Testamentum pertinebat, dicit (4): "Quum vero Spiritus Sancti particeps et prophetica gratia ex utero matris suae plenus esset..." Accedit quod Leo XIII. inquit (5): "Certum quidem est, in ipsis etiam hominibus justis qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum, quemadmodum de prophetis... accepimus."

Postremo prae oculis habendum est gratiam non esse ex Veteri Testamento; sed ex Novo per Christum, qui pro omnibus homini-

(1) Franzelin, *De Trinitate*, sect. 4, thes. 48; Mazzella, *De gratia Christi*, d. 5, n. 1062 et sq.; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 2, n. 907 et sq.
(2) *Orat. 4 contra arrianos*, n. 29 (M. G., 26, 514).
(3) *1 sent.*, dist. 15, q. 5, a. 2, ad 2.
(4) *Thesaurus*, Assert. 11 (M. G. 75, 170).
(5) Encyclic. *Divinum illud*, 9 Maj., 1897. (*Act. sanctae sedis*, tom. 29, pag. 651).

bus dona supernaturalia meruit. Item in Novo Testamento gratia copiosior communicatur, et plura alia dona, quae in Veteri Testamento non erant. Sacramenta Novi Testamenti ex se gratiam tribuunt, quod certe Sacramentis Veteris Testamenti non conveniebat. Neque in Veteri Testamento unquam communicata fuit ea gratiarum abundantia, quae in die Pentecostes distributa fuit.

711. SCHOLION. *De ratione, qua justi cum divinis personis conjunguntur.* De hac re dicit S. Thomas (1): "Super istum autem modum communem (quatenus Deus per essentiam, potentiam et praesentiam adest omnibus rebus) est unus specialis, qui convenit naturae rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum ipsum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens... Similiter, illud solum habere dicimur quo libere possumus uti, vel frui. Habere potestatem fruendi divina persona, est solum secundum gratiam gratum facientem. Sed tamen in ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus Sanctus habetur, et inhabitat hominem." Et S. Thomas praesentiam Dei omnibus rebus communem sic declarat (2): "Sic ergo est in omnibus per potentiam, inquantum omnia ejus potestati subduntur; est per praesentiam in omnibus, inquamtum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, inquamtum adest omnibus ut causa essendi."

Attamen ex hoc, quod Deus cognoscatur et ametur, non infertur novus modus praesentiae ipsius; quia Deus sine novo modo praesentiae, et naturaliter et supernaturaliter cognosci potest. Quocirca mens S. Thomae amplius declaranda est. Ad hoc autem imprimis transcribo, quae S. Doctor dicit (3): "Duplex est unio amantis ad amatum: una quidem secundum rem, puta cum amatum praesentialiter adest amanti; alia vero secundum effectum; quae quidem unio consideranda est ex apprehensione praecedente,

(1) *1. p.*, q. 43, a. 3.
(2) *1. p.*, q. 8, a. 3, c.
(3) *1. c.*, q. 28, a. 3.

nam motus appetitivus sequitur apprehensionem. Cum autem sit duplex amor, scilicet concupiscentiae et amicitiae, uterque procedit ex quadam apprehensione unitatis amati ad amantem; cum enim aliquis amat aliquid, quasi concupiscens illud, apprehendit illud quasi pertinens ad suum bene esse. Similiter cum aliquis amat aliquem amore amicitiae, vult ei bonum, sicut et sibi vult bonum; unde apprehendit eum ut alterum se, inquantum scilicet vult ei bonum, sicut et sibi ipsi; et inde est quod amicus dicitur esse *alter ipse;* et S. Augustinus dicit (1): "Bene quidam dixit de amico suo: *dimidium animae meae* (2)." Primam ergo unionem amor facit effective, quia movet ad desiderandum et quaerendum praesentiam amati quasi sibi convenientis et ad se pertinentis. Secundam autem unionem facit formaliter, quia ipse amor est talis unio vel nexus. Unde S. Augustinus dicit (3): "Quid est ergo amor, nisi junctura quaedam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, et quod amatur." Quod enim dicit *copulam,* refertur ad unionem affectus, sine qua non est amor; quod vero dicitur copulare intendens, pertinet ad unionem realem."

Ex verbis adductis S. Augustini et S. Thomae sequitur amicitiam perfectam non solum quaerere unionem affectivam inter amicos, verum etiam realem praesentiam. Et quamvis praesentia realis inter homines saepe non sit possibilis; inter Deum autem et justos semper est possibilis et conveniens; ideo gratia sanctificans, quae constituit amicitiam inter Deum et hominem justum, etiam exigit specialem modum praesentiae ratione amicitiae. Et mutua praesentia realis, quantum sit possibile, ab amicitia exigi, ipsa ratio suadet; nam amicitia ad mutuam amicorum benevolentiam et unionem tendit; conformis vero huic unioni est praesentia realis. Unde S. Thomas dicit (4): "Quaedam vero unio est effectus amoris; et haec est unio realis, quam amans quaerit in re amata: et haec quidem unio est secundum convenientiam amoris." Quocirca gratia sanctificans est talis, ut si divinae personae non essent in justis per essentiam, potentiam et praesentiam, adhuc in illis adessent ratione gratiae sanctificantis (5).

(1) *Confess., l. 4,* c. 6 (M. L. 32, 698).
(2) Horatius, *Carm.* l. 1, ode 3.
(3) *De Trinitate,* l. 8, c. 10, (M. L. 42, 960).
(4) *I. 2.,* q. 28, a. 1, ad 2.
(5) Vide F. Suarez. *De Deo trino,* l. 12, cap. 5, n. 12.

712. Praeterea gratia sanctificans tribuit jus ad Deum videndum et beate amandum; haec vero visio et amor beatificus dari nequeunt, nisi Deus sit realiter praesens; et propter hoc a gratia sanctificante jam in statu viae requiri videtur, ut Deus sit praesens, et ita ex parte Dei nihil desideretur ad eum videndum et fruendum. Et hoc indicare videtur S. Thomas quum dicit (1): "Similiter etiam gratia et gloria ad idem genus referuntur; quia gratia nihil est aliud quam quaedam inchoatio gloriae in nobis." Et Leo XIII inquit (2): "Haec autem mira conjunctio, quae suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans, qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23); attamen de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur."

Denique, quum S. Thomas docet (3) Deum ratione gratiae sanctificantis existere specialiter in justis, quatenus hi ipsum cognoscere et amare possunt; non est interpretandus de cognitione et amore actuali; aliter enim infantes et non habentes usum rationis, quamvis essent justi, non haberent divinas personas modo speciali, neque ea omnia, quae in justificatione communiter dantur. Et hoc est contra ipsum S. Thomam, qui dicit (4): "Sed pueri, qui non habeat per actum voluntatis propriae voluntatem ad aliquid conversam, sed habent solam potentiam voluntatis culpabiliter originali justitia destitutam, possunt justificari sine motu propriae voluntatis." Quare S. Thomas de cognitione et amore habituali vel in aptitudine interpretandus est.

Articulus V

De existentia et infusione virtutum theologicarum

713. Praemitt. 1.° Agitur hic de existentia et infusione virtutum theologicarum propter rei connexionem cum gratia sanctificante; nam de ceteris ad virtutes pertinentibus in tractatu de virtutibus agitur.

(1) 2. 2., q. 24. a. 3, ad 2.
(2) Encycl. *Divinum illud*, data 9 Maj., 1897. (*Acta sanctae sedis*, n. 29, pag. 653).
(3) *1. p.*, q. 8, ad 4.
(4) *De veritate*, q. 28, a. 3.

Virtutes theologicae, prout de illis in praesenti agitur, definiri possunt: *virtutes per se infusae habentes pro objecto formali Deum, vel aliquam divinam perfectionem.* Virtus in genere est habitus bonus moraliter et operativus. Virtus est per se infusa, si tantum acquiri potest per infusionem supernaturalem; ideoque viribus naturae obtineri non potest. Deinde objectum formale dicitur illud, quod propter se attingitur, et objectum materiale, quod propter aliud attingitur. Sic in virtute fidei res, quae creditur, est objectum materiale, et ratio propter quam creditur, seu auctoritas Dei in dicendo, est objectum formale. Dari tres virtutes theologicas scilicet, fidem, spem et caritatem est res omnino certa, et quae sine magna temeritate negari non potest; imo juxta plures cum P. Suarez (1) est dogma fidei. Quod vero sint tantum tres virtutes theologicae est res a theologis communiter recepta.

714. Praemit. 2.° Praeter quaestionem de existentia virtutum theologicarum, est etiam quaestio de modo, quo dimanant. Quod sint per infusionem supernaturalem est extra controversiam, quum sint virtutes supernaturales, quae per vires naturae fieri nequeunt. Quaestio autem est, utrum gratia sanctificans ad productionem virtutum supernaturalium physice concurrat, sive utrum virtutes per se infusae a gratia sanctificante dimanent, necne. P. Suarez (2), cum multis aliis tenet virtutes per se infusas a gratia sanctificante physice non dimanere, sed tantum moraliter et exigitive. S. vero Thomas (3), Ripalda (4), Salmanticenses (5), Herrmann (6) cum aliis tenent omnes virtutes per se infusas a gratia sanctificante physice dimanare.

THESIS I. Dantur tres virtutes theologicae fides, spes et caritas, per se infusae, realiter inter se distinctae, et tantum tres.

Thesis quatuor partibus constat. 1.ª pars est, dantur tres virtutes theologicae, fides, spes et caritas; 2.ª p., per se infusae; 3.ª. p., realiter inter se distinctae; 4.ª. p., tantum tres. Tres priores

(1) *De gratia*, l. 6, c. 8, n. 14.
(2) *De gratia*, l. 6, cap. 13, n. 20.
(3) Locis inferius citandis.
(4) *De ente supernaturali*, l. 6, d. 121. sect. 3.
(5) *De gratia*, disp. 4, dub. 6.
(6) *De divina gratia*, n. 856.

partes sunt omnino certae, et quarta est a theologis communiter recepta.

Prob. 1.ª p., seu *dantur tres virtutes theologicae, nimirum fides, spes et caritas.*

715. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* In *I Cor.* XIII, 13, legitur: "Nunc autem manent, fides, spes, caritas: tria haec, major autem horum est caritas." Imprimis hic agitur de donis permanentibus: tum quia dicitur de illis *manent;* tum quia in v. 8 dictum fuerat *caritas nunquam excedit,* ac proinde si caritas est permanens, idem de fide et spe dicendum est pro statu viae, eo quod illa tria dona numerantur ab Apostolo, ut se habentia simili modo. Deinde ibi sermonem esse de virtutibus theologicis constat; quia fides, spes et caritas aut significant actus aut habitus virtutum theologicarum, quum conjunctim nominantur; hic vero non significant actus, ut probatum est, ergo habitus.

716. 2.° *Ex S. Gregorio M.* dicente (1). "In sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet, juxta quasdam vero recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim, spe, atque caritate, et in bonis aliis, sine quibus ad caelestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, justitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In prophetiae vero virtute, doctrinae facundia, miraculorum exhibitione; electis suis aliquando adest, aliquando se substrahit. Adest ut eleventur, et semetipsis subtrahit ut humilientur."

717. 3.° *Ex Conc. Tridentino* docente (2): "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur: quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum." Et inferius explicatur quaenam sint haec dona his verbis: "In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit." Hic Tridentinum pro fide, spe et caritate, intelligit dona permanentia. 1.° Quia Tridentinum loquitur de fide, spe et caritate, quae consequuntur praeparationem ad justificationem;

(1) *Homiliar. in Ezechiel. l. 1, homil. 5,* n. 11 (M. L. 76, 825).
(2) *Sess. 6.ª,* cap. 7 (Denz.-Bannwart, nn. 799, 800).

sed actus fidei, spei et caritatis non consequuntur praeparationem ad justificationem, sed ipsam praeparationem constituunt, ut idem Tridentinum docet (1) Ergo fides, spes et caritas consequentes praeparationem ad justificationem sunt juxta Tridentinum dona permanentia seu habitus. 2.° Quia juxta allata Tridentini verba fides, spes et caritas habentur vi justificationis, et sunt dona jugiter comitantia ipsam justificationem; sed justificatio est donum permanens, ut probatum est supra (2); ergo. 3.° Tridentinum simili modo loquitur de fide, ac de spe et caritate; sed pro fide intelligit donum permanens; dicit enim de illa (3): "Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt;" fides autem, quam catechumeni postulant est habitualis seu permanens; quia actualem jam habent. Ergo Tridentinum loquitur de fide habituali seu permanente; et ideo etiam de spe et caritate permanentibus loquitur, quum simili modo de fide, ac de spe et caritate loquatur.

Ex eodem Tridentino probatur etiam, quum dicit (4): "Hoc vero justitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum." Fides vero, spes et caritas, si essent res transeuntes, non possent constanter accipere incrementum, prout Tridentinum indicat.

718 4.° *Ex Catechismo Conc. Tridentini* dicente (5): "Huic (gratiae sanctificanti) additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur." Et hoc ipsum confirmatur ex Conc. Viennensi docente (6): "Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam."

719. 5.° *Ratione.* Virtutes theologicae sunt necessariae, ut homo immediate et directe cum suo fine ultimo supernaturali, qui est Deus clare visus, conjungatur; non enim sunt aliae virtutes.

(1) *Sess. 6.*, cap. 6 (Denz.-Bannwart, n. 798).
(2) Disp. 3, cap. 2, a. 2.
(3) Eodem loco, cap. 7, versus finem capitis.
(4) Eodem loco, cap. 10 (Denz.-Bannwart, n. 803).
(5) 2.ª p., n. 51.
(6) Denz.-Bannwart, n. 483.

quae immediate et directe conjugant cum Deo. Quod vero homo immediate et directe cum suo ultimo fine conjungi debeat est manifestum; quia homo suis operationibus ad suum ultimum finem immediate et directe tendere debet. Atqui ut homo immediate et directe cum suo ultimo fine conjungatur, requiruntur tres virtutes. Ergo. Prob. min. Quia ut homo immediate et directe conjungatur cum suo ultimo fine supernaturali, imprimis necesse est ut illum cognoscat, quod per vires naturae fieri nequit, quum Deus ut auctor beatitudinis supernaturalis, naturaliter non cognoscatur; sed ad hoc requiritur principium supernaturale, et hoc est fides. Deinde debet homo sibi quaerere et appetere talem finem, et hoc facit spes. Denique de ratione finis ultimi est, ut omnia in ipsum dirigantur, et omnia propter ipsum amentur, ipsum vero propter se; et hoc praestat caritas. Ergo. Et alio modo hoc ipsum suadetur. Nam de ratione virtutis theologicae est, ut Deum pro objecto formali habeat. Atqui in statu viae Deus tripliciter attingi potest tanquam objectum formale. Ergo. Prob. min. Attingi quidem potest per intellectum credendo ea, quae a Deo revelata sunt propter ipsius auctoritatem, ut facit fides; deinde per voluntatem amari potest quatenus nobis bonus, ut facit spes; et quatenus in se bonus, ut facit caritas. Ergo.

720 6.° *Ex S. Thoma.* Dicit (1) S. Doctor: "Alia autem est beatitudo naturam hominis excedens, ad quam homo sola divina virtute pervenire potest secundum quamdam Divinitatis participationem, secundum quod dicitur (*II Petr.* I, 4), quod per Christum facti sumus *consortes divinae naturae*. Et quia hujusmodi beatitudo proportionem humanae naturae excedit, principia naturalia hominis, ex quibus procedit ad bene agendum secundum suam proportionem, non sufficiunt ad ordinandum hominem ad beatitudinem praedictam; unde oportet quod superaddantur homini divinitus aliqua principia per quae ita ordinetur ad finem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem; non tamen absque adjutorio divino: et hujusmodi principia virtutes dicuntur theologicae; tum quia haec Deum habent pro objecto, inquantum per eas recte ordinamur in Deum; tum quia a solo Deo nobis infunduntur; tum quia sola divina revelatio-

(1) *1. 2.* q. 62, a. 1.

ne in sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur." Et ipse S. Doctor tradit virtutes theologicas esse fidem, spem et caritatem his verbis (1): "Et primo quidem quantum ad intellectum, adduntur homini quaedam principia supernaturalia, quae divino lumine capiuntur; et haec sunt credibilia, de quibus est fides. Secundo vero est voluntas, quae ordinatur in illum finem et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi, quod pertinet ad spem; et quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per caritatem."

721. Prob. 2.ª p. seu *virtutes theologicae sunt per se infusae.* Nam virtutes theologicae ad actus salutares producendos communicantur; non enim alius ipsarum scopus assignatur. Atqui actus salutares sunt entitative et quoad substantiam supernaturales, ut probatum est supra (2). Ergo etiam virtutes sive principia actuum salutarium debent esse supernaturalia; effectus enim non potest perfectionem continere, quae in causa non contineatur; ideoque sunt a Deo ut causa supernaturali saltem per gratiam sanctificantem.

722. Prob. 3.ª p. seu *fides, spes et caritas sunt realiter inter se distinctae.* 1.º Apostolus in *1.ª Cor.* XIII, 13 dicit de illis facere numerum ternarium, *tria haec,* quod certe verum non esset, nisi realiter inter se distinguerentur. 2.º Concilium Tridentinum in locis adductis etiam loquitur de virtutibus theologicis ut realiter inter se distinctis, praesertim quum aperte asserit unam virtutem, fidem, non posse praestare, quod omnes simul sumptae perficiunt. 3.º Realis separabilitas est signum infallibile realis distinctionis. Sed virtutes theologicae sunt inter separabiles; quia fides et spes dari possunt sine caritate, et fides sine spe. Ergo.

723. Prob. 4.ª p. seu *virtutes theologicae sunt tantum tres.* Quia Apostolus tantum tres enumerat; idem facit Conc. Tridentinum. Ergo revera dicendum est tantum tres existere virtutes theologicas: tum quia nulla est ratio ad affirmandum Apostolum et Tridentinum non expressisse numerum illarum virtutum adaequatum; tum quia nullum est solidum fundamentum ad numerum illarum augendum.

(1) Loco proxime citato, a. 3.
(2) Disp. 1, cap. 4 a. 2, n. 5[illegible].

724. Obj. contra 1am partem theseos. Aliae virtutes praeter theologicas habent quoque pro objecto formali Deum. Ergo virtutes theologicae non sufficienter ab aliis distinguuntur ratione objecti formalis. Prob. ant. 1.° Religio est virtus moralis, et pro objecto formali habet divinam excellentiam, quae est aliquid divinum. 2.° Obedientia erga Deum est etiam virtus moralis, et ipsius objectum formale est potestas Dei legislativa, quae est divinum praedicatum. Ergo. Item simili modo de aliis virtutibus moralibus disseri posset. 3.° Theologia, quin sit virtus theologica, pro objecto formali habet divinam auctoritatem in revelando. Ergo.

Resp. Neg. ant. Ad probationes antecedentis, sic respondetur. Ad primam neg. virtutem religionis habere pro objecto formali divinam excellentiam; sed objectum formale religionis est illa honestas, quae in Deo colendo relucet; est enim honestum seu conforme naturae rationali colere Deum et illi submitti. Haec quidem conformitas cultus cum natura rationali constituitur etiam per divinam excellentiam; non enim ea convenientia tribuendi Deo cultum esset, sicut nunc est, nisi Deus esset infinite excellens. Et si cultus Deo tribuitur per actum virtutis religionis, illi tribuitur, quia est conveniens naturae rationali colere ens infinite excellens, a quo omnia dependeant. Si vero cultus Deo tribuitur propter amorem suae infinitae excellentiae, non elicitur actus religionis, sed caritatis; nam facere aliquid propter amorem Dei aut alicujus Dei attributi, ad virtutem caritatis pertinet.

Ad 2um negandum simili modo est objectum formale obedientiae Deo praestandae esse potestatem Dei legislativam vel aliquod divinum attributum; sed objectum formale obedientiae est honestas sive convenientia subjectionis Deo legislatori et legibus ipsius. Atque similiter de ceteris virtutibus moralibus dicendum est, scilicet nullam earum habere pro objecto formali Deum aut aliquam divinam perfectionem; sed omnes virtutes morales pro objecto formali aliquam honestatem creatam habent. Nam actus, qui eliciantur propter amorem Dei, non sunt actus virtutis moralis, sed caritatis; et actus, qui attingant Deum, quia nobis bonus, ad virtutem spei revocandi videntur.

Postremo ad 3um dicendum theologiam non esse virtutem per se infusam, sed industria humana acquiri; ideoque, quum in praesenti de virtutibus theologicis per se infusis agatur, theologia non est virtus theologica. Neque proprie est virtus; quia potest acquiri motivis non honestis. Deinde objectum formale theologiae non est divina auctoritas, sed continentia in divina revelatione vel connexio cum illa.

725 Obj. 1.° contra 3.am p. theseos. Omnes divinae perfectiones sunt realiter unum et idem. Ergo ex illis non habetur nisi unicum objectum formale, ac proinde unica virtus.

Resp. Disting. ant.: omnes divinae perfectiones sunt realiter unum et idem, sed possunt attingi tum a diversis facultatibus, tum ab eadem modo diverso, conc.; aliter, nego. Ad cons. neg. suppositum, nimirum eamdem rem, praesertim si infinitate gaudet, non posse pertinere ad diversos habitus seu virtutes, si a diversis potentiis vel ab eadem diverso modo attingatur. Nec prodest dicere, si distinctio rationis sufficit ad

virtutes multiplicandas, ponendae erunt virtutes theologicae infinitae, quum per rationem possint in Deo perfectiones sine fine distingui. Ne, inquam, hoc dicatur; quia etsi ratione sine fine distingui possint perfectiones in Deo; omnes tamen istae, si attingantur ut cognitae per revelationem ut verae, omnes attinguntur propter auctoritatem Dei revelantis, ac proinde per fidem. Si vero attingantur quatenus bonae in se, omnes pertinent ad caritatem; et si tendatur in illas ut bonas nobis, tendentia in illas ad spem revocanda videtur. Quocirca, etiamsi ratione nostra multiplicentur divinae perfectiones, tribus virtutibus theologicis sufficienter attinguntur.

726. Obj. 2.° Secundum S. Scripturam *caritas ex Deo est et Deus est* (*I Joan.* IV, 7); sed quod est hujusmodi, non est virtus hominum, atque ideo nec virtus theologica. Ergo virtutes theologicae non sunt tres.

Resp. Dist. maj.: caritas, qua Deus diligit se ipsum et nos, est Deus et ex Deo intra ipsum Deum, conc.: caritas, qua nos diligimus Deum, est Deus vel ex Deo intra ipsum Deum, neg. Quod si alicubi S. Augustinus asserit Deum esse caritatem, qua nos diligimus Deum, ideo est, quia S. Augustinus loquitur more platonicorum, qui rem participatam vocabant nomine participantis, saltem, si apud communicantem, res illa, quae inveniebatur in recipiente, existebat formaliter. Propter hanc causam dicit idem S. Augustinus Deum esse caritatem nostram, sed non spem nostram, aut patientiam nostram; quia videlicet caritas formaliter invenitur in Deo, sed non spes, aut patientia.

THESIS II. Virtutes per se infusae a gratia sanctificante dimanant

Defenditur ut probabilior.

727. Prob. 1.° Ex natura profluunt earum proprietates, ut communiter admittitur. Sic ex sole profluit lux, ex igne calor. Atqui gratia sanctificans est quaedam natura in ordine supernaturali, et eam comitantur virtutes per se infusae veluti ejus proprietates. Ergo putandum est virtutes per se infusas a gratia sanctificante dimanare.

728. 2.° Ex S. Thoma dicente (1): "Dicendum, quod sicut ab essentia animae effluunt ejus potentiae, quae sunt operum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae, per quas potentiae moventur ad actus." Et idem S. Doctor asserit (2): "Gratia secundum se considerata perficit essentiam animae, inquantum participat quamdam similitudinem di-

(1) *1. 2.*, q. 110, a. 4, ad 1.
(2) *3. p.*, q. 62, a. 2, c.

vini *esse;* et sicut ab essentia animae fluunt ejus potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus (1)."

729. Obj. 1.° Virtutes supernaturales sunt a Deo infusae. Sed non ita essent, si a divina gratia dimanarent. Ergo.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Ut virtutes supernaturales dicantur per se infusae sufficit, ut nullo modo viribus naturae acquiri possint, et sint naturae prorsus indebitae; ideoque produci debeant vel immediate a Deo, vel saltem a principio supernaturali, ut est gratia sanctificans, quae a Deo sine ullo debito infunditur. Atque etiam incrementum virtutum, quod est secundum incrementum gratiae sanctificantis, similiter a gratia sanctificante emanat. Si vero virtutes sint magis auctae quam gratia, tunc ille excessus est a solo Deo, et non fit per emanationem.

730. Obj. 2.° Fides et spes conservantur destructa gratia sanctificante. Ergo ab illa non emanant.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Plures nempe sunt effectus, qui ab eadem causa, qua producuntur, non conservantur; et nulla in hoc adest repugnantia, et saltem Deus, quoscumque effectus conservare potest independenter a causis, a quibus producti erant. Etiam fides et spes, quum simul cum gratia sanctificante producuntur, ab illa fluunt sicut ceterae virtutes entitative supernaturales. Quum vero virtutes fidei et spei sine gratia sanctificante conservantur, a solo Deo conservandae sunt: et hac de causa conservantur, quia sunt aptae ut subjectum ad gratiam sanctificantem iterum recipiendam disponatur. Item si fides et spes sint intensiores gratia sanctificante, excessus ille intensionis a solo Deo conservandus est.

731. Obj. 3.° A gratia sanctificante in angelis, quum sit ejusdem speciei cum gratia sanctificante hominum, non fluunt virtutes continentiae, abstinentiae et similes. Ergo a gratia sanctificante non emanant virtutes.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam a gratia sanctificante dimanant virtutes secundum exigentiam subjecti, in quo habetur gratia; nec Deus concurrit ad emanationem virtutum, quarum subjectum non est capax, ut est angelus respectu virtutum, quae corpus requirunt. Similiter respondendum est objectioni, qua opponitur in Christo et in beatis non dari virtutem fidei.

732. Obj. 4.° Lumen gloriae et scientia per se infusa (2) sunt dona entitative supernaturalia, et non fluunt a gratia, quum in statu viae non habeantur illa dona, et gratia sanctificans habeatur. Ergo a gratia sanctificante non effluunt omnia dona entitative supernaturalia.

Resp. Huic difficultati duplex datur solutio. Alii cum P. Ripalda (3)

(1) Idem docet *2. sent.*, dist. 26, a. 4.
(2) Vide *De novissimis*, n. 976.
(3) *De ente supernat.*, l. 6, disp. 121, s. 3.

asserunt lumen gloriae et scientiam per se infusam esse praemium meritorum et hereditatem filiorum; praemium vero non fluit ab illo, cui datur, sed ab extrinseco venit; et similiter hereditas non ab herede procedit, sed ab alio. Alii vero respondent gratiam sanctificantem non tribuere lumen gloriae et scientiam per se infusam, nisi subjectum reperiatur in statu perfecto, ut est status beatitudinis.

733. Scholion. *A gratia sanctificante actus salutares tantum mediate procedunt secundum S. Thomam.* Dicit (1) enim S. Doctor: "Dicendum, quod sicut essentia animae immediate est essendi principium, operationis vero principium est mediantibus potentiis, ita immediatus effectus gratiae est conferre esse spirituale, quod pertinet ad informationem subjecti, sive ad justificationem impii, quae est effectus gratiae operantis. Sed effectus gratiae mediantibus virtutibus et donis est elicere actus meritorios, quod pertinet ad gratiam cooperantem." Et idem S. Doctor etiam dicit (2): "Est enim gratia principium meritorii operis mediantibus virtutibus, sicut essentia animae est principium operum vitae mediantibus potentiis (3)." Hoc ipsum docet (4) P. Ripalda cum pluribus aliis.

Articulus VI

De existentia virtutum moralium, donorum, beatitudinum et fructuum

734. Praemitt. Sicut in articulo proximo actum est de virtutibus theologicis per se infusis propter earum connexionem cum gratia sanctificante; similiter hic propter eamdem connexionem virtutum moralium per se infusarum, de illis agitur. Virtutes morales per se infusae sunt virtutes entitative supernaturales et habentes pro objecto formali bonum honestum creatum. Et ita virtutes per se infusae morales a virtutibus per se infusis theologicis differunt, quia hae pro objecto formali habent ipsum Deum vel divinam perfectionem, seu ipsum finem ultimum immediate attingunt; illae vero pro objecto formali habent aliquod creatum, et finem ultimum non attingunt nisi mediate, et virtualiter, quatenus ad illum conducunt. Virtutes per se infusae sive theologicae sive

(1) *De veritate*, q. 27, a. 5, ad 17.
(2) *1. 2.*, q. 110, a. 4, ad 2.
(3) *Circa influxum animae in actus vitales vide P. Lossada* (Ludovicum), *De anima*, disp. 4, cap. 1.
(4) *De ente supernaturali*, l. 6, disp. ultima, s. 35.

morales non sunt supernaturales ratione objecti formalis (1), quum hoc a viribus naturae attingi possit, et etiam objectum virtutis naturalis esse possit; sed sunt supernaturales sua entitate adaequate sumpta propter earum principium intrinsece supernaturale. Hic de virtutibus naturalibus non est sermo, quia positive ad finem supernaturalem non conducunt.

THESIS I. Virtutes morales per se infusæ admittendæ sunt

Haec thesis est multo probabilior et fere communis theologorum contra Scotum (2), Durandum (3) aliosque paucos.

735. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Ex *Sap.* VIII, 7, ubi legitur: "Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim, et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus." In haec verba dicit (4) S. Thomas: "Docet autem spiritus sapientiae virtutem, eam causando. Ergo videtur quod virtutes morales sint infusae a Deo." Et ad *Coloss.* dicit S. Paulus (1, 11): "In omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia..." Ubi imprimis agitur de virtute supernaturali, quum de virtute ad placendum Deo et *secundum potentiam claritatis ejus agatur.* Deinde, quamvis *in omni virtute* accipiatur pro *omni robore*, refertur quoque ad virtutes, eo quod singulae virtutes speciale robur communicant ad placendum Deo.

736. 2.° *Ex S. Augustino.* Hic S. Doctor dicit (5): "Qui Deum laudat lingua non semper potest: qui moribus Deum laudat, semper potest. Opera misericordiae, affectus caritatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper haec tenenda sunt: sive quum in publico sumus, sive quum in domo, sive quum ante homines, sive quum in cubiculo, sive loquentes, sive tacentes, sive aliquid agentes, sive vacantes; semper haec tenenda sunt; quia intus sunt omnes istae virtutes quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est imperatoris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator

(1) Vide Van Der Meersch, *De divina gratia*, p. 2, sect. 2, cap. 1, a. 2, n. 242.
(2) *3. sent.*, dist. 36, q. 1.
(3) *3. sent.*, dist. 33, q. 6.
(4) *De virtutibus in communi*, quaest. unic., a. 10.
(5) *Tract. 8 in 1. Epist. S. Joan.*, n. 1 (M. L. 35, 2036).

per exercitum suum agit quodque placet; sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, id est in mente per fidem (*Ephes.* III, 17), utitur istis virtutibus quasi ministris suis." Ac proinde S. Doctor agit de virtutibus supernaturalibus; quia agit de virtutibus, quae per fidem diriguntur. Idem S. Augustinus postquam nominavit (1) quatuor virtutes cardinales, videlicet prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem, addit: "Istae virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei dantur nobis." Huc etiam facit testimonium S. Gregorii M. allatum supra (2).

737. 3.° *Ex Innocentio III et Conc. Viennensi.* Innocentius III dicit (3): "Quod opponentes inducunt, fidem aut caritatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute... aliis asserentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis vero dicentibus et dimitti peccata, et virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad aetatem adultam..." Ex quibus sic arguitur: tempore Innocentii III erat disputatio utrum virtutes in baptismo parvulis infunderentur; non autem erat disputatio respectu adultorum, sed admittebatur communiter adultis infundi omnes virtutes in baptismo; ideoque communiter admittebantur virtutes morales per se infusae.

Id ipsum ex Conc. Viennensi probatur, nam dicit (4): "Nos di, a plerisque non conceditur absolute... aliis asserentibus, per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam." Jam vero, quum dicatur esse probabilius virtutes in baptismo parvulis infundi, supponitur hoc esse certum respectu adultorum, et quum dicitur *virtutes*, nulla excluditur.

(1) *Enarratio* in Ps. 83, n. 11 (M. L. 37, 1065, 1066).
(2) N. 716.
(3) *De effectu baptismi* (Denz.-Bannwart, n. 410).
(4) Denz.-Bannwart, n. 483.

Hoc ipsum ex Catechismo Conc. Tridentini allato supra (1) confirmari potest.

738. **4.°** *Ratione.* Gratia sanctificans est quaedam natura in ordine supernaturali, ut probatum est supra (2), Atqui quaelibet natura exigit facultates sibi convenientes ad operandum in suo ordine. Ergo idem de gratia sanctificante dicendum est. Sed facultates convenientes gratiae sanctificanti non modo sunt virtutes theologiae, sed etiam virtutes morales, quibus tenditur in media, quae necessaria sunt ad finem obtinendum. Ergo ratione gratiae sanctificantis praeter virtutes theologicas virtutes quoque morales infundendae sunt. Aliter. Infunduntur virtutes theologicae, ut homo habeat principia supernaturalia permanentia ad eliciendos actus, qui immediate et directe respiciunt finem ultimum sive Deum. Ergo simili modo infunduntur virtutes morales, ut homo habeat principia supernaturalia permanentia ad eliciendos actus respicientes media necessaria ad finem ultimum; et sic justi per omnes operationes suas vitam aeternam mereri possunt.

739. **Obj. 1.°** Virtutes morales sunt innumerae, quia innumerabilis est honestas creata quae ad actum virtutis exercendum movere potest. Atqui virtutes per se infusae non sunt innumerae. Ergo.

Resp. Dist. maj.: virtutes morales sunt proprie innumerae, neg.; sunt in quodam magno numero, conc. Et contradist. min.: virtutes per se infusae non sunt proprie innumerae, conc.; non sunt in quodam magno numero, ut indicat S. Augustinus supra allatus (3), neg. Nulla est repugnantia Deum infundere tot virtutes supernaturales, quod sunt virtutes, quae naturaliter acquiri possunt.

740. **Obj. 2.°** Virtutes per se infusae tribuuntur, ut homo ordinetur in Deum tanquam finem supernaturalem. Sed virtutes morales non ordinant hominem in Deum, sed in aliquam honestatem creatam. Ergo non sunt admittendae.

Resp. Dist. maj.: virtutes per se infusae tribuuntur, ut homo ordinetur in Deum tanquam finem supernaturalem signate et formaliter, neg.; exercite et virtualiter, conc. Et contradist. min.: virtutes morales non ordinant hominem in Deum, exercite et virtualiter, neg.: signate et formaliter, conc. Quilibet actus liber et entitative supernaturalis tendit in Deum tanquam finem supernaturalem saltem exercite et virtualiter; nam quilibet actus hujusmodi meretur augmentum gratiae et gloriae, atque ideo majorem Dei possessionem. Tamen non quilibet actus liber

(1) Num. 718.
(2) Disp. 3, cap. 2, a. 3.
(3) N. 736.

et entitative supernaturalis tendit in Deum signate et formaliter, i. e., veluti dicendo quod tendat in Deum, et habeat ipsum Deum pro objecto formali; hoc enim speciatim convenit actibus virtutum theologicarum.

THESIS II. Admittenda sunt dona Spiritus Sancti, quæ probabilius videntur esse habitus, et quidem a virtutibus per se infusis realiter distincta, et numero septenario (1)

741. Notand. Donum vocari potest omnis habitus supernaturalis ordinatus ad propriam sanctificationem secundum illud Jacobi (*Epist.* I, 17) scilicet: "Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum..." Item donum vocari quoque possunt gratiae gratis datae, de quibus loquitur Apostolus (*I Cor.* XII, 8 et sq.). Verum in praesenti non est loquendum de his donis, sed de illis quae commemorat Isaias (XI, 2). De existentia horum donorum propter S. Scripturae auctoritatem dubitari nequit; verum ipsorum natura incerta est. P. Vazquez contendit esse actus (2); Scotus cum pluribus aliis affirmat (3) non realiter distingui a virtutibus; Schiffini docet (4) sapientiam, intellectum et scientiam a virtutibus per se infusis realiter distingui; sed alia dona esse ipsas virtutes per se infusas. Verum S. Thomas cum multis aliis probabilius censet dona esse habitus a virtutibus per se infusis realiter distinctos. De numero etiam inter theologos disputatur (5), quatenus, nimirum, multi negant dona realiter a virtutibus distingui. Prima pars theseos solum affirmans existentiam donorum, ponitur ut certa; reliquae vero partes solum ponuntur ut probabiliores.

742. Prob. 1.ª p., seu *existentia donorum*.

1.° *Ex Is.* dicente (cap. XI, 2 et sq.): "Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum spiritus

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 68; Suarez, *De gratia*, l. 2, cap. 18 et sq.; l. 6, cap. 10; Valentia, *In 1. 2.*, disp. 5, q. 8; Tanner, *In 1. 2.*, disp. 3, q. 6, dub. 1; Maurus, *In 1. 2.*, l. 6, q. 79; Sylvius, *In 1. 2.*, q. 68; Joannes a S. Thoma, *In. 1. 2.*, disp. 18; Gonet, *In 1. 2.*, *Tract. 4, de virtutibus et donis*, disp. 6; Pesch, (Christ.), *De virtutibus infusis*, s. 4; Beraza. *De gratia habitwali*, cap. 4; Van Der Meersch, *De gratia*, n. 240 et sq.

(2) *In 3 am p.*, disp. 44, cap. 2, n. 7.
(3) *3. sent.*, dist. 34, q. unic.
(4) *De gratia divina*, disp. 3, sect. 11, n. 216.
(5) Vide P. Suarez, loco proxime citato, l. 6, cap. 10, n. 10.

timoris Domini." Hic itaque ut dona Spiritus Sancti nominantur sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas et timor. Haec dona hic referuntur ad Christum, seu ad florem, de quo in v. 1 fit mentio, et qui juxta omnes est Christus. Tamen haec dona sunt quoque pro omnibus justis; quia dona gratiae creatae communicata animae Christi, omnibus etiam justis in minore mensura communicantur.

743. **2.°** *Ex PP.* S. Augustinus dicit (1): "Si ergo legem nemo implet viribus suis, nisi Deus adjuvet Spiritu suo; jam recolite quemadmodum Spiritus Sanctus septenario numero commendatur, sicut sanctus propheta dicit, implendum hominem Spiritu Dei, sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, Spiritu timoris Dei (*Is.* X, 2, 3). Istae septem operationes commendant septenario numero Spiritum Sanctum, qui quasi descendens ad nos, incipit a sapientia, finit ad timorem. Nos autem ascendentes incipimus a timore, perficimur in sapientia (2)." Item S. Gregorius M. inquit (3): "Cum ergo per adventum Spiritus Sancti, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas ac timor Domini unicuique nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quae supernae nostrae nobilitatis genus eo ad vitam longius servat, quo amori aeternitatis sociat." Et inferius (4): "Donum quippe Spiritus, quod in subjecta mente ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam format, eamdem mentem ut contra singula quaeque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat, ut contra stultitiam, sapientiam; contra hebetudinem, intellectum; contra praecipitationem, consilium; contra timorem, fortitudinem; contra ignorantiam, scientiam; contra duritiam, pietatem; contra superbiam, det timorem." Hi SS. PP. non modo docent existentiam donorum, verum etiam ea hominibus communicari.

744. **3.°** *Ex S. Thoma* dicente (5): "Manifestum est autem quod virtutes humanae perficiunt hominem, secundum quod homo natus est moveri per rationem in his quae interius vel exterius agit. Oportet igitur inesse homini ultiores perfectiones secundum

(1) *Sermo 248*, cap. 5, n. 4 (M. L. 38, 1160).
(2) Vide ejusdem S. Augustini, *Sermonem 347*, cap. 2, n. 2 (M. L. 39, 1524).
(3) *Moral., l. 1*, cap. 27, n. 38 (M. L. 75, 544).
(4) Eodem loco, l. 2, cap. 49, n. 77 (M. L. 75, 592).
(5) *I.-2.*, q. 68, a. 1.

quas sit dispositus ad hoc quod divinitus moveatur; et istae perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea homo disponitur ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina."

Ex dictis constat haec dona esse supernaturalia, quia sunt a Spiritu Sancto ad salutem hominum, et expresse indicant hoc S. Augustinus, S. Gregorius M. et S. Thomas.

745. Prob. 2.ª p. theseos, seu *dona probabilius sunt habitus, ideoque res permanentes.*

In *Is.* XI, 2 legitur: "Et requiescet super eum spiritus Domini..."; *requiescere* autem non significat rem transeuntem per modum actus, sed rem perdurantem, ideoque habitum. Item sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas non denotant actum, sed habitum. Et si ex donis sex sunt habitus, idem de timore judicandum est. Praeterea, ut homo moveatur a mera ratione naturali, habet virtutes acquisitas, ut moveatur a ratione supernaturaliter illustrata habet virtutes per se infusas. Ergo similiter ut homo a Spiritu Sancto moveatur, debet habere habitus, qui vocantur dona Spiritus Sancti.

Hoc ipsum probatur ex S. Thoma ita loquente (1): "Dona sunt quaedam perfectiones hominis, quibus homo disponitur ad hoc quod bene sequatur instinctum Spiritus Sancti. Manifestum est autem ex supra dictis, quod virtutes morales perficiunt vim appetitivam, secundum quod participat aliqualiter rationem, inquantum scilicet nata est moveri per imperium rationis. Hoc igitur modo dona Spiritus Sancti se habent ad homines in comparatione ad Spiritum Sanctum, sicut virtutes morales se habent ad vim appetitivam in comparatione ad rationem. Virtutes autem morales habitus quidam sunt, quibus vires appetitivae disponuntur ad prompte oboediendum rationi. Unde et dona Spiritus Sancti sunt quidam habitus, quibus homo perficitur ad prompte oboediendum Spiritui Sancto."

746. Prob. 3.ª p., seu *dona esse realiter distincta a virtutibus per se infusis.*

1.º Ex *Is.* XI, 2, 3. Nam ibi inter dona Spiritus Sancti non ponitur fides; nam omnia dona habuit Christus, qui

(1) Loco proxime citato, a. 3.

fidem non habuit; et fides datur in peccatoribus, qui dona non accipiunt. Fides autem est virtus valde principalis et fundamentalis, ideoque si fides inter dona Spiritus Sancti non numeratur, idem de aliis virtutibus per se infusis judicandum esse videtur. Quod vero dona realiter distinguantur a virtutibus acquisitis, constat; nam virtutes acquisitae sunt ordinis naturalis, dona autem sunt supernaturalia.

747. **2.°** *Ex S. Gregorio M.* qui postquam enumeravit (1) septem dona Spiritus Sancti, prosequitur: "Sed habent in nobis septem filii (id est, septem dona); tres procul dubio sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei caritatique conjungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii perveniunt, nisi in fide, spe et caritate fuerit omne quod agunt." Quibus verbis manifeste distinguit realiter virtutes theologicas a donis. Et in altero testimonio adducto (2) ejusdem S. Gregorii distinguuntur virtutes cardinales a donis, ideoque haec etiam a virtutibus moralibus distinguuntur. Haec distinctio a sensu Ecclesiae confirmatur, quae in officio Pentecostes in hymno ad vesperas dicit de Spiritu Sancto, *Tu septiformis munere.* Et in missa ejusdem diei Pentecostes in hymno dicitur: *Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium.*

Et hoc ipsum confirmatur ex S. Thoma, qui asserit (3): "Dona a virtutibus distinguuntur in hoc quod virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona ultra humanum modum: quod patet in fide et in intellectu."

748. **3.°** *Ratione.* Dona et virtutes per se infusae habent objectum formale diversum. Sed habitus inter se realiter distinguuntur propter diversitatem objecti formalis, ut communiter admittitur; nam actus ab objectis formalibus speciem desumunt, et habitus infunduntur secundum speciem actuum, qui ab illis producendi sunt. Ergo. Maj. Prob. Nam dona habent pro objecto formali, ut docet (4) S. Thomas, specialem motionem Spiritus Sancti; et virtutes objectum propositum a ratione supernaturaliter illustrata.

(1) Supra, n. 743, *L. 1, Moral.*, cap. 27.
(2) Eodem numero supra, l. 2, c. 49, n. 77.
(3) *In 3. sent.*, dist. 34, q. 1, a. 1.
(4) *1. 2.*, q. 68, a. 1.

749. Prob. 4.ª p., seu *dona Spiritus Sancti esse septem.*

1.° Ex *Is.* XI, 2, 3, in quo loco septem dona, nec plura, nec pauciora, expresse nominantur. Nec dicas in textu hebraeo tantum sex nominari; nam vocabulum quod reperitur plura significare potest, et optime ad pietatem et timorem significandum adhiberi potest.

750. 2.° *Ex PP.* Numerum donorum septenarium affirmant S. Augustinus et S. Gregorius M. allati supra (1). Hoc ipsum affirmat (2) S. Hieronymus, quum dicit: "Et hoc notandum quod Spiritus Domini, sapientiae, et intellectus, consilii, et fortitudinis, et scientiae, et pietatis, et timoris Domini, id est, septenarius numerus, qui septem oculi in uno lapide dicuntur in Zacharia (cap. III), requiescat super virgam et florem, qui de Jesse, ac per hoc David stirpe surrexit." Et S. Ambrosius dicit (3): "Spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris Dei. Unum ergo flumen, sed multi spiritalium donorum meatus."

Et hoc ipsum confirmatur ex sensu Ecclesiae dicentis de Spiritu Sancto, *Tu septiformis munere*; et ab eo postulat, *Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium.*

751. Obj. 1.° Dona infunduntur, ut homo prompte sequatur motiones extraordinarias Spiritus Sancti. Ad hoc autem non requiritur habitus, qui datur ad frequenter operandum, non autem ad actus, qui raro eliciuntur, ut sunt actus, qui ex motione extraordinaria Spiritus Sancti ponuntur.

Resp. Huic difficultati ita respondet (4) F. Suarez: "Licet inter actus donorum, quidam, qui ab ordinariis legibus exorbitant, raro fiunt, nisi ex instinctu Spiritus Sancti, nihilominus non sunt illi adaequati actus horum habituum, sed per illos tanquam per notiores peculiarem modum operandi Spiritus Sancti per haec dona explicamus; potest tamen et solet Spiritus Sanctus etiam in aliis materiis virtutum, quae vel sunt in praecepto vel in consilio, hoc peculiari modo hominem ad operandum movere, ita ut in eadem materia in qua posset homo operari ex virtute, tunc altiori modo ex dono operetur, ideoque isti habitus non sunt otiosi, nec raro operantur, si justus in gratia multo tempore perseveret, et motibus Spiritus Sancti obtemperet."

752. Obj. 2.° Habitibus, ut communiter admittitur, utimur, quum

(1) N. 743.
(2) *In Is.* l. 4, cap. XI (M. L. 24, 145).
(3) *De Spiritu Sancto*, l. 1, cap. 16, n. 159 (M. L. 16, 771)
(4) *De gratia*, l. 6, cap. 10, n. 6.

volumus. Sed donis Spiritus Sancti non possumus uti, nisi a Spiritu Sancto specialiter moveamur. Ergo dona non sunt habitus.

Resp. Dist. maj.: habitibus utimur, quum volumus, si moventur ad operandum ex repraesentatione objecti, conc.; si moventur ad operandum ex speciali motione Spiritus Sancti ut cognita, neg. Quod igitur dicitur de habitibus, nimirum quod illis utimur, quum volumus, accipiendum est de illis habitibus, qui moventur ad operandum ex objecto ut cognito; non vero de illis, quae habent pro objecto specialem motionem Spiritus Sancti. Et in hoc dona a virtutibus principaliter distinguuntur: quia dona habent pro objecto formali ipsam motionem Spiritus Sancti ut cognitam, et virtutes habent pro objecto formali ipsum objectum, quod proponitur, seu per cognitionem repraesentatur. Praeterea habitus donorum dici potest nobis subjici, quia motiones Spiritus Sancti etiam speciales seu extraordinariae libertatem non tollunt: ideoque posita motione possumus illam sequi, vel repudiare.

753. Obj. 3.° SS. Patres dona Spiritus Sancti vocant virtutes. Ergo dona a virtutibus per se infusis non sunt distinguenda.

Resp Huic difficultati respondet (1) S. Thomas: "Dicendum, quod hujusmodi dona nominantur quandoque virtutes secundum communem rationem virtutis; habent tamen aliquid superveniens communi rationi virtutum, inquantum sunt quaedam divinae virtutes perficientes hominem, inquantum est a Deo motus. Unde et Philosophus (*Ethic.* l. 7, cap. 1) supra virtutem communem ponit quamdam virtutem heroicam vel divinam, secundum quam dicuntur aliqui divini viri."

Corollarium. Ex dictis sequitur donum Spiritus Sancti, de quo in praesenti agitur, ita definiri posse, scilicet: Est bona qualitas mentis a Deo infusa, qua recte vivitur et nemo male utitur, habens pro objecto formali specialem seu extraordinariam motionem Spiritus Sancti; et virtus per se infusa definiri potest: bona qualitas mentis a Deo infusa, qua recte vivitur et nemo male utitur, habens pro objecto formali bonum propositum per cognitionem supernaturalem. A Mauro (Sylvestro) donum sic definitur (2): "Est dispositio, per quam aliquis redditur bene mobilis a Spiritu Sancto per internos instinctus." Itaque apparet dona et virtutes per se infusas distingui ratione objecti formalis. Unde S. Thomas dicit (3): "Similiter autem donum, prout distinguitur a virtute infusa, potest dici id quod datur a Deo in ordine ad motionem ipsius, quia scilicet facit hominem bene sequentem suos instinctus."

(1) *1. 2.*, q. 68, a. 1, ad 1.
(2) *Opus theolog.*, l. 6, q. 79, n. 8.
(3) *1. 2.*, q. 68, a. 1, ad 3.

754. *Singula dona speciatim declarantur* (1). *Donum sapientiae* (2): Donum sapientiae consistit in hoc, quod per specialem motionem Spiritus Sancti cum quodam gustu et experientia de divinis judicatur de causa altissima, hoc est, de Deo et de divinis. Et secundum S. Thomam sapientia est etiam practica (3) et se extendit ad actus humanos, quatenus de illis per divina judicat. De hoc dono dicit (4) S. Thomas: "Ille autem qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quae est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantum per regulas divinas omnia potest judicare et ordinare. Hujusmodi autem judicium consequitur homo per Spiritum Sanctum... Unde manifestum est quod sapientia est donum Spiritus Sancti." Et idem S. Thomas etiam dicit (5): "Sic ergo circa ea quae fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra... Secundo autem oportet ut de eis homo habeat judicium rectum, ut aestimet his esse inhaerendum, et ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo judicium quantum ad res divinas, pertinet ad donum sapientiae."

De dono intellectus (6). Donum intellectus est illud, quod supposita fide et caritate per motionem specialem Spiritus Sancti discernit inter verum sensum S. Scripturae et falsum et errores, et vere doctrinam revelatam penetrat et capit. Hoc donum etiam ad operabilia secundario extendi potest, ut docet (7) S. Thomas. Ipse ita distinguit (8) donum intellectus et sapientiae, videlicet: "Sic ergo circa ea quae fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra: primo quidem ut intellectu penetrentur vel capiantur; et hoc pertinet ad donum intellectus. Secundo autem oportet ut homo de eis habeat judicium rectum, ut aestimet his esse inhaerendum, et ab eorum oppositum recedendum. Hoc ergo judicium quantum ad res divinas, pertinet ad donum sapientiae."

De dono consilii (9). Hoc donum ex speciali motione Spiritus

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 68, a. 4, ubi aliquantulum singula dona declarat; Suarez, *De gratia*, l. 2, c. 17 et sq.; Joannes a S. Thoma, *Opus theol. in 1. 2.*, q. 60, disp, 18, a. 3; Knabenbauer, *In Is.* cap. XI, v. 2-3.
(2) S. Thomas, *2. 2.*, q. 45.
(3) Loco citato proxime, a. 3.
(4) Quaest. citata, a. 1.
(5) *2. 2.*, q. 8, a. 6.
(6) S. Thomas, *2. 2.*, q. 8.
(7) Loco citato, a. 3.
(8) Loco citato, a. 6.
(9) S. Thomas, *2. 2.*, q. 52.

Sancti in rebus practicis ad salutem, praesertim in difficilioribus et in casibus inopinatis dirigit ad recte statuendum et exequendum id, quod agere oporteat. De hac re dicit (1) S. Thomas: "Est autem proprium rationali creaturae, quod per inquisitionem rationis moveatur ad aliquid agendum; quae quidem inquisitio consilium dicitur; et ideo Spiritus Sanctus dicitur per modum consilii creaturam rationalem movere; et propter hoc consilium ponitur inter dona Spiritus Sancti. Et inferius (2): "Et ideo prudentia, quae importat rationis rectitudinem, maxime perficitur et juvatur secundum quod regulatur et movetur a Spiritu Sancto; quod pertinet ad donum consilii, ut dictum est. Unde donum consilii respondet prudentiae, sicut ipsam adjuvans et perficiens."

Donum fortitudinis (3). Donum fortitudinis est illud, quod ex motione Spiritus Sancti incitat et dat vires ad sustinenda maxima pericula et mala, praesertim pericula mortis. Distinguitur a virtute fortitudinis infusae; quia haec pro motivo habet honestatem modo supernaturali propositam, quae in maximis periculis et malis sustinendis relucet, et hoc sub rationis directione; et donum fortitudinis habet divinum motivum, nimirum motionem Spiritus Sancti. De hac re dicit (4) S. Thomas: "Sed donum fortitudinis habet pro mensura sui actus divinam potentiam, de cujus auxilio confidit..." Et alibi asserit (5): "Sed ulterius a Spiritu Sancto movetur animus hominis ad hoc quod perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, et evadat quaecumque pericula imminentia: quod quidem excedit naturam humanam".

755. *De dono scientiae* (6). Donum scientiae est illud, quod per specialem motionem Spiritus Sancti recte judicat in ordine ad salutem de rebus creatis. Plura de hac re habet S. Thomas. Imprimis dicit (7): "Sed in Deo est certum judicium veritatis absque omni discursu per simplicem intuitum, ut dictum est; et ideo divina scientia non est discursiva vel ratiocinativa, sed absoluta et simplex; cui similis est scientia quae ponitur donum Spiritus

(1) 2. 2., q. 52, a. 1.
(2) a. 2.
(3) S. Thomas, *3 sent.*, dist. 34, q. 3, a. 1.
(4) Loco proxime citato, solutio prima.
(5) 2. 2., q. 139, a. 1.
(6) S. Thomas, 2. 2., q. 9.
(7) Loco citato, a. 1, ad 1.

Sancti, cum sit quaedam participata similitudo ipsius." Et inferius docet (1): "Et ideo cognitio divinarum rerum vocatur sapientia; cognitio vero rerum humanarum vocatur scientia, quasi communi nomine importante certitudinem judicii appropriato ad judicium, quod fit per causas secundas. Et ideo sic accipiendo scientiae nomen, ponitur donum distinctum a dono sapientiae; unde donum scientiae est solum circa res humanas, vel solum circa res creatas." Rursus ibidem (2) asserit: "Unde etiam oportet quod donum scientiae primo quidem et principaliter respiciat speculationem, inquantum scilicet homo scit quid fide tenere debeat; secundario autem se extendit etiam ad operationem, secundum quod per scientiam credibilium, et eorum quae ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis." Denique ipse S. Doctor quatuor dona ad intellectum spectantia sic distinguit (3): "Sic ergo circa ea quae fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra: primo quidem ut intellectu penetrentur vel capiantur; et hoc pertinet ad donum intellectus. Secundo autem oportet ut de eis homo habeat judicium rectum, ut aestimet his esse inhaerendum, et ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo judicium quantum ad res divinas, pertinet ad donum sapientiae; quantum vero ad res creatas, pertinet ad donum scientiae; quantum vero ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilii."

De dono pietatis (4). Donum pietatis est illud, quo ex speciali motione Spiritus Sancti colimus Deum ut patrem et omnia quae ad ipsum pertinent propter infinitam excellentiam et magnificentiam ipsius, non ratione beneficiorum. S. Thomas de hoc dono dicit (5): "Et quia ad pietatem proprie pertinet officium et cultum patri exhibere, consequens est quod pietas, secundum quod cultum et officium exhibemus Deo, ut patri, per instinctum Spiritus Sancti, sit Spiritus Sancti donum." Et addit (6): "Dicendum quod sicut per pietatem, quae est virtus, exhibet homo officium et cultum non soli patri carnali, sed etiam omnibus sanguine junctis, secundum quod pertinent ad patrem; ita etiam pietas, secundum

(1) Eodem loco, a. 2.
(2) Art. 3.
(3) 2. 2., q. 8, a. 6.
(4) S. Thomas, *3. sent.*, dist. 34, q. 3, a. 2; *2. 2.*, q. 121.
(5) *2. 2.*, q. 121, a. 1.
(6) Eodem loco, ad 3.

quod est donum, non solum exhibet cultum et officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, inquantum pertinent ad Deum." Item asserit (1): "Quamvis enim pietas virtus, quae latria dicitur, ipsi Deo exhibeatur; in hoc tamen accipit aliquid humanum pro mensura, scilicet beneficium a Deo acceptum, ratione cujus est debitor ei: sed pietas, quae est donum, accipit in hoc aliquid divinum pro mensura, ut scilicet Deo honorem impendat, non quia sit ei debitus, sed quia Deus honore dignus est, per quem modum etiam ipse Deus sibi honori est."

Denique de dono timoris Domini (2). Hoc donum est illud, quo ex speciali motione Spiritus Sancti declinamus mala propter summam reverentiam Deo debitam. S. Thomas de hoc dono ita loquitur (3): "Sed timor qui est donum, facit abstinere a malis propter fugam inconvenientis, quod est in separatione a Deo; et ideo ipsum Deum habet pro mensura suae operationis. Et quia modus a mensura causatur, ideo operatur supra humanum modum, et propter hoc est donum." Et alibi (4): "Hoc autem facit timor filialis, vel castus inquantum per ipsum Deum reveremur, et refugimus nos ipsi subducere." Et ibidem (5): "Timor autem principaliter respicit malum, cujus fugam importat; unde est aliquid minus virtute theologica."

756. *De nonnullis aliis ad dona spectantibus.* 1.° Dona sunt necessaria ad salutem, et statum gratiae requirunt (6). Primum probatur; nam dona, ut dictum est, secum ferunt specialem motionem Spiritus Sancti; et haec specialis motio nonnunquam necessaria videtur ad difficultates superandas et pericula vitanda. Ergo revera dona sunt necessaria ad salutem. Ex hoc autem sequitur dona Spiritus Sancti omnibus justis communicari, sicut probatum est supra (7). Alterum etiam probatur; quia dona Spiritus Sancti ponuntur, ut homines sint facile mobiles a Spiritu Sancto, et illi, qui propter peccatum sunt aversi a Spiritu Sancto, non possunt esse facile mobiles ab illo. Praeterea S. Gregorius supra

(1) *3. sent.*, dist. 34, q. 3, a. 2.
(2) S. Thomas, *2. 2.*, q. 19, a. 9; *3. sent.*, dist. 34, q. 2, a. 1, sol. 3.
(3) Loco citato ex *3. sent.*
(4) *2. 2.*, q. 19, a. 9, c.
(5) Ad 3.
(6) S. Thomas, *1. 2.*, q. 68, a. 2.
(7) NN. 742, 743.

allatus (1), asserit dona Spiritus Sancti requirere tres virtutes theologicas; hae vero virtutes non possunt stare simul sine gratia sanctificante.

2.° *Dona sunt inter se connexa, et in gratia perseverant* (2). Primo quidem, dona sunt inter se connexa; quia communicantur, ut justi facile mobiles sint a Spiritu Sancto, non in una materia; sed in omni materia donorum, ideoque omnia dona communicari necesse est. Praeterea omnia dona cum caritate connectuntur; nam homo inimicus Spiritus Sancti, ut sunt omnes mortale peccatum habentes, non est aptus, ut a Spiritu Sancto facile moveatur. Quocirca dona requirunt caritatem et gratiam sanctificantem; ideoque dicendum est dona cum caritate simul infundi. Deinde dona in patria manent; quia sunt ornamentum animae beatae, et in gloria datur locus motionibus Spiritus Sancti, ut beatus illas sequatur. Verum in patria non manebunt illi actus donorum, qui solum sunt convenientes in statu viae, ut, v. gr., superare pericula mortis.

3.° *De comparatione donorum cum virtutibus et inter se* (3). Imprimis dona sunt perfectiora virtutibus intellectualibus et moralibus; nam dona perficiunt hominem ut facile a Spiritu Sancto moveatur, virtutes vero intellectuales et morales hominem in ordine ad rationem perficiunt; et supponit majorem perfectionem disponi ad motionem Spiritus Sancti, quam ad motionem per rectam rationem. Id ipsum probatur; quia dona perficiunt intellectum et voluntatem, ut recte eliciantur actus virtutum intellectualium et moralium; ideoque virtutes intellectuales et morales a donis dependent, ideoque sunt ipsis inferiores.

Virtutes vero theologicae sunt anteponendae donis; quia ut dicit S. Gregorius M allatus supra (4), dona requirunt virtutes theologicas, et consequenter ab his dependent. Accedit quod dona non possunt facere hominem facile mobilem a Spiritu Sancto, nisi cum Deo conjunctionem habeat; haec vero conjunctio requirit virtutes theologicas, ac proinde dona a virtutibus theologicis dependent, et ita illis inferiora sunt. Id ipsum confirmatur a S. Thoma

(1) N. 747.
(2) S. Thomas, *1. 2.*, q. 168, aa. 5 et 6.
(3) S. Thomas, loco citato, aa. 7 et 8.
(4) N. 747.

dicente (1): "Quod animus hominis non movetur a Spiritu Sancto, nisi ei secundum aliquem modum uniatur; sicut instrumentum non movetur ab artifice, nisi per contactum aut per aliquam aliam unionem. Prima autem unio hominis est per fidem, spem et caritatem. Unde istae virtutes praesupponuntur ad dona, sicut radices quaedam donorum. Unde omnia dona pertinent ad has tres virtutes, sicut quaedam derivationes praedictarum virtutum."

Denique dona hoc ordine a S. Thoma collocantur, videlicet, sapientia, intellectus, scientia, consilium, pietas, fortitudo, timor; nam virtutes intellectuales virtutibus appetitus anteponuntur, et inter intellectuales, quae pertinent ad vitam contemplativam aut excellentiorem materiam habent, pertinentibus ad vitam activam praeferuntur. Et inter dona pertinentia ad voluntatem, praeferuntur ea, quae participant aliquid justitiae aliis. Timor vero ab omnibus in ultimo loco ponitur.

757. De beatudinibus et fructibus (2). Beatitudo est suprema hominis felicitas, et est unica pro singulis beatis. Hic vero plures beatitudines nominantur, quia sumuntur pro his, quae speciali modo ad unicam supremam beatitudinem consequendam conducunt. Beatitudines sic a P. Suarez definiuntur: "Sunt boni et optimi actus, et adeo excellentes, ut non possint sine gratia speciali fieri". Sunt quidam actus; nam communius ita a theologis accipiuntur, et modus loquendi Christi hoc significat, et non solent laudari habitus, sed actus. Et sunt quidem actus optimi; nam Christus vocat beatos habentes tales actus; qui certe actus debent esse supernaturales, quum positive ad salutem conducant. Praemia, quae beatitudinibus promittuntur, vel sunt ipsa suprema beatitudo, et sic ad alteram vitam pertinent; vel dispositio ad illam, et sic sunt vitae praesentis. S. Mattheus (V, 3 et sq.) octo numerat beatitudines, et S. Lucas (VI, 20 et sq.) tantum quatuor. Beatitudines a donis et virtutibus distinguuntur, quia non sunt habitus, sed actus. S. Thomas asserit singulas beatitudines singulis donis respondere (3).

De fructibus. Fructus est ultimum, quod ex arbore percipi-

(1) *1. 2.*, q. 68, a. 4, ad 3.
(2) S. Thomas, *1. 2.*, qq. 69 et 70; Suarez, *De gratia*, l. 2, c. 22; Joannes a S. Thoma, l. 2., disp. 18, a. 9.
(3) *2. 2.*, q. 8, a. 7; q. 9, a. 4; q. 19, a. 12; q. 45, a. 6; q. 52, a. 4; q. 121, a. 2.

tur, et recipitur cum quadam delectatione et suavitate. Sub metaphora fructus designantur opera bona; et ita dicitur (*Matt.* VII, 17): "Sic omnis arbor bona fructus bonos facit". Fructus prout hic sumitur definiri potest: actio honesta, quae in nobis et a nobis fit per afflatum Spiritus Sancti; ideoque debet esse supernaturalis, et importare etiam videtur rationem ultimi respective, et cum quadam suavitate et delectatione percipi. S. Paulus (*Galat.* V, 22) duodecim fructus Spiritus Sancti nominat, videlicet: "Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas". Fructus non est habitus, sed actus; nam S. Paulus opponit fructus operibus carnis (v. 19), et ipse nomen fructus aliquod transitorium significat. S. Thomas ita de fructibus loquitur (1): "Quod plus requiritur ad rationem beatitudinis quam ad rationem fructus. Nam ad rationem fructus sufficit quod sit aliquid habens rationem ultimi et delectabilis. Sed ad rationem beatitudinis ulterius riquiritur quod sit aliquid perfectum et excellens. Unde omnes beatitudines possunt dici fructus, sed non convertitur. Sunt enim fructus quaecumque virtuosa opera, quae etiam ratione suae perfectionis magis attribuuntur donis quam virtutibus".

Articulus VII (2)

De causa finali et efficiente gratiæ sanctificantis

758. Praemitt. Causae nostrae justificationis hae sunt, ut docet (3) Concilium Tridentinum, videlicet: "Hujus justificationis causae sunt, finalis quidem: gloria Dei et Christi et vita aeterna, efficiens vero: misericors Deus, qui gratuito *abluit* et *sanctificat* (*I Cor.* VI, 11) *signans* et ungens *Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae* (*Ephes.* I, 13 et sq.); meritoria autem: dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui *cum essemus inimici* (*Rom.* V, 10), *propter*

(1) *1. 2.*, q. 70, a. 2.
(2) S. Thomas, *1. 2.*, q. 1, a. 8; Suarez, *De gratia*, l. 8, c. 1.
(3) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).

niniam caritatem, qua dilexit nos (*Ephes.* II, 5), sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item: sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio; demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit..."

Ex his causis hic de causa finali et efficiente dicendum est. Nam de *meritoria* in *tractatu de Incarnatione* agitur, et de *instrumentali* in *tractatu de Sacramentis*. De causa vero formali jam actum est in hac disputatione, capite 2. Et de causa exemplari constat eam in ideis Dei contineri; et quatenus in essentia seu natura Dei habetur, jam in hac disputatione declaratum est cap. 2, a 3. Etiam Christus est nostrae sanctificationis exemplar; nam *Rom.* VIII, 29, dicitur: "Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus". De causa materiali autem non constat certo, utrum detur, necne, ut in articulo inmediato dicetur.

759. *Gloria Dei.* Inter causas finales justificationis seu gratiae sanctificantis, primo loco a Tridentino ponitur gloria Dei. Multa ex S. Scripturis adduci possunt, quae gratiam sanctificantem et omnia debere esse in gloriam Dei ostendunt. Ita legitur *Prov.* XVI, 4: "Universa propter semetipsum operatus est Dominus." Et *Is.* XLIII, 7: "Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum." Item *Rom.* XI, 36, dicitur: "Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula". Rursus *Ephes.* I, 12: "Ut simus in laudem gloriae ejus..." Et inferius, v. 14: "In laudem gloriae ipsius." Similiter in *Ps.* CVIII, 21: "Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum." Denique *Is.* XLVIII, 11: "Propter me faciam, ut non blasphemer: et gloriam meam alteri non dabo."

760. Apposite ad hanc rem dicit (1) S. Thomas: "Cum igitur principium rerum sit aliquid extrinsecum a toto universo, scilicet Deus,... necesse est quod etiam finis rerum sit quoddam bonum extrinsecum. Et hoc ratione apparet. Manifestum est enim quod bonum habet rationem finis; unde finis particularis alicujus rei

(1) *1.ª p.*, q. 103, a. 2.

est quoddam bonum particulare; finis autem universalis rerun omnium est quoddam bonem universale. Bonum autem universale est quod est per se et per suam essentiam bonum, quod est ipsa essentia bonitatis; bonum autem particulare est quod est participative bonum. Manifestum est autem quod in tota universitate creaturarum nullum est bonum quod non sit participative bonum. Unde illud bonum quod est finis totius universi, oportet quod sit extrinsecum a toto universo (1)."

761. *Gloria Christi.* Hoc indicatur in S. Scriptura. In *Joan.* V, 22, 29, dicitur: "Sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honotificant Patrem: qui non honorificant Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum." Et *Is.* LIII, 10, dicit: "Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur." Item *Ephes.* I, 20 et sq., legitur: "Suscitans illum a mortuis (Christum), et constituens ad dexteram suam in caelestibus: supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur." Et ad *Hebr.* II, 8 et sq.: "In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum; ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare." Textus allati de Christo homine loquuntur, et manifeste indicant omnia in gloriam Christi redundare. Et hoc ipsum indicatur, quum dicitur (*II Cor.* IV, 4): *Evangelii gloriae Christi.*

Praeterea Christus est Salvator mundi, sicut asseritur *I Joan.* IV, 14, his verbis: "Et nos vidimus, et testificamur quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi." Item Christus est

(1) Vide *Tractatum de Deo Creatore,* disp. 1, a. 4.

Redemptor (1), et pro hominibus omnia dona gratiae et gloriae meruit (2), ideoque omnis gratia et gloria est in laudem et gloriam Christi, tanquam in ejus auctorem.

762. *Vita aeterna.* Finem gratiae sanctificantis esse vitam aeternam constat ex iis, quae dicta sunt supra disp. 3, cap. 2 et 3. Et *Joan.* IV, 14, dicitur: "Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam." Item *Rom.* VI, 22: "Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam."

De gratia autem actuali constat in gloriam Dei ordinari; ex dictis enim elucet omnia in gloriam Dei dirigi. Similiter gratia actualis in gloriam Christi dirigitur; quia Christus est causa meritoria omnis gratiae actualis. Ordinatur etiam in vitam aeternam; quia si communicatur peccatori, hic per gratias actuales, si illis respondet, praeparatur ad justificationem acquirendam, et ad habendum jus ad vitam aeternam; si vero justo tribuitur, hic si illis respondet, auget jus ad vitam aeternam.

THESIS. Solus Deus est causa physice producens gratiam sanctificantem tanquam causa principalis (3)

763. Notandum. Causa efficiens est illa quae elicit actionem ad effectum producendum, et eo ipso est causa physice producens; quae quidem etiam definiri potest causa, quae virtute propria realiter et immediate in rei productionem influit. Haec causa est principalis, si ejus virtus non est inferior effectu producendo, sed illi aequalis vel major; et causa est instrumentalis, si effectus est majoris perfectionis quam causa et haec ad influendum in effectum indiget adjutorio causae altioris ordinis. Deus vero ita in omnibus est causa principalis, ut a nullo pendeat, et ceteras causas a se pendentes habeat; ideoque Deus in omni sua operatione est causa principalissima. Thesis posita, loquendo de facto, non de possi-

(1) Vide *Tractatum de Verbi divini Incarnatione,* disp. 18, a. 1.
(2) Loco proxime citato, disp. 17, a. 3.
(3) S. Thomas, *De veritate,* q. 27, a. 3; Suarez, *De gratia,* l. 8, cap. 3; Valentia, *In 1. 2.,* d. 8, q. 4, punct. 1; Tanner, *De gratia,* disp. 6, q. 4, dub. 1; Gonet, *De gratia,* disp. 4, *de causa gratiae,* aa. 1 et 2; Salmanticenses, *De gratia,* disp. 8 *de causis gratiae;* Card. Gotti, *De divina gratia,* q. 3, dub. 7; Hugon (Eduard.), *De gratia,* q. 5, a. 1; Herrmann, *De gratia,* p. 2, sect. 1, cap. 1, a. 3.

bili, est omnino certa, immo juxta aliquos de fide, qui hoc ex verbis Tridentini allatis n. 758 eruunt.

764. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. In Ps.* LXXXIII, 12, ubi legitur: "Gratiam et gloriam dabit Dominus." *Is.* XLIII, 25, dicit: "Ego sum, et ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor." Et ad *Rom.* III, 30, asseritur: "Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem." Iterum ad *Rom.* VIII, 33, 34: "Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet?" Denique *I Petr.* V, 10: "Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu..."

765. 2.° *Ex Tridentino et ex PP.* Tridentinum dicit (1): "Causa efficiens vero: misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat..." S. Augustinus circa verba *Ps.* LXXXIII adducta dicit (2): "Quam gratiam, nisi de qua ipse (Apostolus) dixit, *Gratia Dei sum id quod sum?* Quam gloriam, nisi de qua ipse dixit, *Superest mihi corona justitiae.*" Et ipse S. Doctor etiam dicit (3): "Quod nemo sanctorum recte dicere potuit, nisi sanctus sanctorum: *Credite in Deum et in me credite* (*Joan.* XIV, 1): ut quia ipse justificat impium, credenti in eum qui justificat impium, deputetur fides ad justitiam." Item S. Athanasius ita loquitur (4): "Si igitur Pater omnia per Verbum in Spiritu creat et renovat; quae similitudo aut cognitio creantis cum rebus creatis? Vel qui omnino fieri queat ut illa res sit creata in quo omnia creantur?"

766. 3.° *Ex S. Thoma* docente (5): "Respondeo dicendum quod nulla res potest agere ultra suam speciem, quia semper oportet quod causa potior sit effectu. Donum autem gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae, quum nihil aliud sit quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam. Et ideo impossibile est quod aliqua creatura gratiam causet. Sic enim necesse est quod solus Deus deificet, communicando consortium divinae naturae per quamdam similitudi-

(1) *Sess. 6*, cap. 7, textimonio allato n. 758.
(2) M. L. 36, 1608.
(3) *De peccator. merit. et remiss.*, l. 1, cap. 14 (M. L. 44, 119).
(4) *Epist. 1.ª, ad Serapionem*, n. 24 (M. G. 26, 587).
(5) *1. 2.*, q. 112, a. 1.

nis participationem, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi solus ignis."

767. 4.° Solus Deus potest facere filios Dei adoptivos et tribuere jus ad haereditatem seu ad visionem Dei, remittere peccata et dare Spiritum Sanctum; nam aliter Deus constitueretur a creaturis dependens. Atqui gratia sanctificans constituit filios Dei adoptivos, dat jus ad haereditatem, peccata remittit et ratione ipsius donatur Spiritus Sanctus. Ergo solus Deus est causa principalis gratiae sanctificantis; secus creatura, quae gratiam sanctificantem ut causa principalis efficere posset, Deum sibi dependentem efficeret.

768. Nec dicas Christum esse auctorem gratiae, ideoque causam principalem gratiae. Nam Christus ut homo potest dici auctor gratiae, quatenus redemit homines a captivitate peccati, et pro omnibus peccatis satisfecit, et omnia dona gratiae meruit; non vero est causa principalis gratiam sanctificantem physice efficiens. Nec Christus homo potest esse causa principalis gratiae, quia habet gratiam habitualem altioris speciei quam sit nostra; quia gratia Christi habitualis est ejusdem speciei ac est nostra, licet sit maxime intensa, ut dictum est supra (1). Unde, quum nostra gratia habitualis aliam gratiam producere non possit, idem de Christi gratia censendum est.

769. Scholion 1. *De ratione, qua gratia habitualis producitur.* Duplex productionis seu actionis genus reperitur, scilicet, creatio et eductio. Dicitur *creatio* productio rei ex nihilo, et *eductio* productio ex praesupposito subjecto. Hoc subjectum ex quo fit aliquid, idem est ac causa materialis. Eductio duplex distinguitur, altera quae fit per potentiam naturalem, sicut anima virtutes acquisitas producit; et altera quae fit per potentiam oboedientialem, videlicet quae in actum reduci necesse est per virtutem supernaturalem (2). Haec quidem potentia oboedientialis potest esse *passiva* et *activa*. Est *passiva*, si in se recipit effectum supernaturalem; et *activa* si producit effectum supernaturalem adjuta per principium supernaturale. Sic anima est potentia oboedientialis *passiva* ut recipiens in se actus supernaturales, qui ex ipsa educuntur; et est potentia oboedientialis *activa* quatenus concurrit cum principio supernaturali ad producendos actus supernaturales. Quaestio hic tractanda est, utrum gratia sanctificans ex praesupposito subjecto educatur, an creetur. Non agitur de potentia Dei absoluta, sed tantum de modo connaturali

(1) N. 649, 6.°.
(2) S. Thomas, *De virtutibus in communi*, q. unic., a. 10, ad 13; *De potentia*, q. 3, a. 8, ad 3.

productionis gratiae sanctificantis. De potentia Dei absoluta non est dubium gratiam sanctificantem per creationem produci posse.

Opiniones theologorum. Ut dicit (1) P. Suarez, fuit valde communis opinio theologorum antiquorum asserens gratiam non habere causam materialem, sed produci per creationem. Secundum eumdem P. Suarez (2) nonnulli asserunt gratiam concreari, et alii increari, et nonnulli aliter loquuntur. Altera sententia communior et probabilior est gratiam sanctificantem educi ex anima ut potentia obœdientiali. Hanc sententiam tenent S. Thomas (3), Suarez (4), Valentia (5), Gonet (6), Gotti (Card.) (7), aliique. Defensores vero praecipui creationis gratiae sanctificantis sunt scotistae, ut Frassen (8), Henno (9) etc.

THESIS. Gratia sanctificans ex potentia obœdientiali animæ educitur

770. Prob. 1.° *Ex S. Thoma* dicente (10): "Opus aliquod potest dici magnum dupliciter: uno modo ex parte modi agendi: et sic maximum opus est opus creatoris, in quo ex nihilo fit aliquid; alio modo potest dici opus magnum propter magnitudinem ejus quod fit; et secundum hoc majus opus est justificatio impii quae terminatur ad bonum aeternum divinae participationis, quam cratio caeli et terrae, quae terminatur ad bonum naturae mutabilis." Unde justificatio seu gratia sanctificans non excedit creationem caeli et terrae ratione modi productionis, sed ratione magnitudinis operis; et idcirco secundum S. Thomam gratia non creatur, sed educitur; quum non detur alter modus productionis. Et hoc ipsum ex eodem D. Thoma confirmatur. Nam secundum S. Doctorem, repugnat causa instrumentalis creationis (11), et aliunde asserit (12) dari causam instrumentalem productionis gratiae sanctificantis: ideoque secundum S. Thomam gratia sanctificans non creatur.

771. 2.° *Ratione.* Juxta Conc. Tridentinum (13) gratia sanctificans animae inhaeret. Sed quod inhaeret, habet subjectum seu causam materialem. Ergo gratia sanctificans saltem in conservari pendet a subjecto. Ergo etiam in fieri; quia productio rei fit juxta exigentiam ejusdem rei, quae fit; ac proinde si gratia sanctificans postulat inhaerere, dicendum est etiam fieri per actionem eductivam, seu qua determinatur ad inhaerendum subjecto. Praeterea gratia sanctificans, quum sit accidens (14).

(1) *De gratia*, l. 8, c. 2, n. 2.
(2) Eodem loco.
(3) *1. 2.*, q. 110, a. 2, ad 3; *De virtutibus*, q. unic., a. 10, ad 13.
(4) *De gratia*, l. 8, c. 2.
(5) In l. 2., disp. 8, q. 4, punct. 2.
(6) *De gratia*, disp. 4, a. 2.
(7) *De divina gratia*, q. 3, dub. 8.
(8) *De divina gratia*, disp. 2, a. 2, q. 2.
(9) *De justificatione*, q. 8.
(10) *1. 2.*, q. 113, a. 9.
(11) *1. p.*, q. 45, a. 5.
(12) *1. 2.*, q. 112, a. 1, ad 1 et 2; *3. p.*, q. 62, a. 1.
(13) *Sess. 6*, cap. 7 et can. 11.
(14) Supra, disp. 3, cap. 2, a. 2, schol. 3.

non potest connaturaliter existere nisi in subjecto. Ergo fieri dicendum est et conservari dependenter a subjecto, ac proinde per eductionem. Postremo omnes actus supernaturales producuntur ex praesupposito subjecto; nam aliter, quum isti actus fiant etiam a nobis, concurreremus ad aliquid creandum, quod nemo dicit. Ergo etiam habitus fiunt per eductionem; quia etiam isti ex una parte sunt accidentia; ex altera vero non repugnat fieri per eductionem rem supernaturalem; nam secus ipsi actus supernaturales fieri non possent nisi per creationem.

772. Obj. 1.° Gratia sanctificans dicitur a S. Scriptura et a Patribus *creari*. Sic in *Ps.* L, 12, dicitur: "Cor mundum crea in me Deus." Item ad *Ephes.* IV, 24: "Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis." Sed quod creatur, non fit per eductionem. Ergo.

Resp. S. Scriptura et PP. asserentes gratiam creari, triplici modo explicari possunt. 1.° Gratia habitualis dici potest creari sensu morali; quia communicatur ex nullis meritis proprie talibus. Hoc modo S. Thomas laudata testimonia interpretatur (1). 2.° Potest dici creari; quia in nulla causa naturali inest virtus ad producendam gratiam sanctificantem (2), et a solo Deo produci potest tanquam a causa principali, sicuti dictum est. 3.° Verbum creari saepe a S. Scriptura et PP. sumitur pro *facere* Ita *Ephes.* II, 10, dicimur *creati in operibus bonis*, et certe opera bona non creantur.

773. Obj. 2.° S. Thomas asserit (3) accidentia concreari; ideoque a fortiori hoc ipsum de gratia sanctificante tenendum est. Etiam S. Thomas dicit (4) *gratiam in nihilum redire;* sed quod annihilatur etiam creatur. Ergo.

Resp. S. Thomas per vocabulum *concreari* non significat stricte creari; quia in locis ipsis citatis docet creari proprie solum convenire rebus subsistentibus, et accidentia non sunt subsistentia. Deinde *in nihilum redire*, idem est, ac perire; ad annihilationem autem requiritur, ut res, quae perit, neque in potentia materiae, sive naturali, sive oboedientiali, maneat; gratia vero sanctificans in potentia oboedientiali animae remanet. Secundum S. Thomam aliquid concreari, videtur esse unam rem produci, sive per eductionem sive per creationem, cum altera, quae producitur aut conservatur per creationem.

774. Obj. 3.° Gratia sanctificans infunditur, non educitur. Item ex anima rationali educi nequit; quia in anima nihil est supernaturale.

Resp. Infundi gratia sanctificans dicitur, quia a solo Deo saltem tanquam a causa principali, produci potest; non autem ad eductionem excludendam. Deinde gratia sanctificans educitur non ex potentia naturali animae, sed ex oboedientiali; potentia autem oboedientialis definiri potest: "aptitudo rerum, ut pro arbitrio Dei, ejusque auxilio rebus ipsis indebito, munus impleant, quod naturaliter implere non valeant."

(1) *1. 2.*, q. 110, a. 2, ad 3.
(2) S. Thomas, *De potentia*, q. 3, a. 8, ad 3.
(3) *1. p.*, q. 45, a. 4; *De veritate*, q. 27, a. 3, ad 9.
(4) *2. sent.*, dist. 26, q. unica, a. 2, ad 5.

775. Scholion II. Utrum repugnet aliquid creatum posse producere gratiam sanctificantem (1). Respondendum affirmative et P. Suarez vocat hanc sententiam communem theologorum (2), et omnino tenenda videtur. Etenim gratia sanctificans ab aliqua substantia vel accidenti ordinis naturalis produci nequit; quia res ordinis naturalis supernaturalia non continent, et ideo illa perducere non possunt. Nec produci potest a substantia supernaturali, quia talis substantia repugnat, ut probavi alibi (3). Nec produci potest ab ipsa gratia sanctificante; constat enim unam gratiam sanctificantem non producere aliam. Neque ab alia gratia praesentis Providentiae; quia gratia sanctificans superat perfectione omnes alias gratias, sicut supra dictum est (4). Neque produci potest ab alia gratia sanctificante excellentiore, quam sit praesens; quia talis gratia repugnat, ut probatum est (5).

Praeterea solus Deus ut causa principalis potest peccata mortalia remittere, facere filios Dei adoptivos et jus ad vitam aeternam tribuere; quia offensa debet remitti ab offenso, maxime quum hic sit Deus; et adoptare filios ad adoptionem spectat; et similiter tribuere jus ad haereditatem pertinet ad dominum haereditatis, qui in praesenti est ipse Deus. Ergo nulla creatura quantumvis elevata, nisi fiat Deus, potest producere gratiam sanctificantem; quia aliter creatura peccata remittere posset, facere filios Dei adoptivos et tribuere jus ad haereditatem, quod certe est contra jus Dei absolutum et completam ipsius independentiam.

Item gratia sanctificans est formalis participatio divinae naturae immediate ab ipso Deo facta. Atqui talem participationem nulla creatura potest communicare, quum non sit Deus. Ergo (6).

776. Scholion III. *Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei et res miraculosa* (7). Dictum est supra (8), gratiam sanctificantem esse excellentiorem omni substantia et accidenti ordinis naturalis, et etiam superare omnia accidentia ordinis supernaturalis, et solum superari ab unione hypostatica et divina maternitate, quatenus haec exigit gratiam et cetera dona, in quodam summo gradu, quod a gratia sanctificante non fit. Tamen a gloria superatur, quatenus actu bonum infinitum clare visum inamissibiliter communicat; et etiam a fortiori, si gloria simul cum gratia sanctificante sumatur. Creatio vero caeli et terrae, licet non sit quid majus ratione operis, est quid majus ratione modi, quo caelum et terra facta sunt; haec enim facta sunt ex nihilo, et gratia ex praesupposito subjecto.

Quoad alterum, scilicet, utrum justificatio sit res miraculosa, dicit S. Thomas in operibus miraculosis tria reperiri consueverunt. Unum est, ut effectus a solo Deo fieri possit; alterum, ut in subjecto, in quo

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 112, a. 1; Suarez, *De gratia*, l. 8, c. 3; Joannes a S. Thoma, *1. 2.*, q. 112, disp. 25.
(2) *De gratia*, l. 8, cap. 3, n. 5.
(3) *In tractatu de Deo Creatore*, disp. 1, cap. 2, a. 2.
(4) Disp. 3, a. 3, schol. 2, n. 649.
(5) Loco proxime citato, 6.°.
(6) Vide S. Thomam antea allatum, n. 766.
(7) S. Thomas, *1. 2.*, q. 113, aa. 9 et 10.
(8) Disp. 3, cap. 2, a. 3, schol. 2, n. 649.

effectus producendus est, non sit dispositio ad illum, sicut in mortuo non est dispositio ad vitam, sed oppositum; denique tertium, ut effectus modo insolito fiat. Hae tres conditiones non reperiuntur in justificatione, ut absolute dicatur miraculum; nam secunda communiter non reperitur; quia in hac providentia anima est destinata propter statum elevationis ad gratiam sanctificantem recipiendam, et sic non habet ordinationem contrariam justificationi, et si peccatum mortale habeat, status elevationis postulat, ut tollatur. Prima vero conditio semper habetur; quia productio gratiae sanctificantis a solo Deo fieri potest, ut antea probatum est; tertia vero non habetur, si justificatio fiat modo consueto et ordinario; sed habetur, si fiat modo extraordinario, sicuti factum in conversione S. Pauli. Quare, quum justificatio fit modo insolito, miraculum dicendum videtur, licet desit secunda conditio, praesertim, quum ad gratiam recipiendam, nunquam detur exigentia naturalis.

CAPUT IV

De proprietatibus justificationis

Articulus I

De augmento et inæqualitate gratiæ sanctificantis (1)

777. Praemitt. Gratiam sanctificantem posse augeri est doctrina de fide, et similiter est de fide gratiam esse inaequalem in diversis subjectis, et etiam in eodem pro diversis temporibus. Jovinianus, saeculo quarto, asseruit omnia opera bona esse aequalia, et multiplicationem operum bonorum non augere bonitatem. Lutherus et alii haeretici saeculi decimi sexti statuerunt justitiam non crescere; qui certe in hac re fuerunt consequentes, quum non admitterent formam intrinsece justificantem, saltem adaequatam (2).

THESIS. Gratia sanctificans bonis operibus augetur

Haec thesis est de fide ex Conc. Tridentino dicente (3): "Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam: A. S.".

778. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Dicitur *Prov.* IV, 18: "Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem". Et *Eccli.* XVIII, 22: "Non impediaris ora-

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 112, a. 4; Suarez, *De gratia*, l. 9, cap. 1; Valentia, In *1. 2.*, disp. 8, q. 4, punct. 3; B. Bellarminus, *De justificatione*, l. 3, c. 16; et l. 4, cap. 15 et sq.; Beraza, *De gratia*, sect. 3, cap. 1.
(2) Vide dicta supra d. 3, cap. 2, a. 2, n. 614.
(3) *Sess. 6*, can. 24 (Denz.-Bannwart, n. 834).

re semper, et ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in aeternum". Rursus *Luc.* I, 28: "Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus". Item *II Petr.* III, 18: "Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi." Denique *Apoc.* XXII, 11: "Et qui justus est justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc."

779. 2.° *Ex Conc. Tridentino* ita statuente (1): "Sic ergo justificati, et *amici Dei* ac *domestici* (*Joan.* XV, 15; *Ephes.* II, 19) facti, *euntes de virtute in virtutem* (*Ps.* LXXXIII, 8), *renovantur*, ut Apostolus inquit, *de die in diem* (*II Cor.* IV, 16), hoc est *mortificando membra carnis* (*Colos.* III, 5) suae, et *exhibendo ea arma justitiae* (*Rom.* VI, 13, 19) in sanctificationem: per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur..."

780. 3.° *Ex PP.* S. Hieronymus inquit (2): "Verumtamen in eo quod se humiliat (Paulus), ostendit posse Apostolos alios minores, alios esse majores, et qui utique vas electionis dicitur, et cunctis amplius laboraverit, non est injustus Deus, ut obliviscatur operis ejus, et dispar meritum aequali mercede compenset." Item S. Ambrosius (3): "Agrestis enim ululatus est nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem servare, promiscue omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, et paupertatem quamdam caelestium remunerationum inducere: quasi Christo una sit palma quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli praemiorum." Rursus S. Augustinus (4): "Ambulatio ista, non corporis pedibus, sed mentis affectibus et vitae moribus geritur, ut possint esse perfecti justitiae possessores, qui recto itinere fidei de die in diem in sua renovatione proficientes, jam perfecti facti sunt ejusdem justitiae viatores."

781. 4.° *Ratione.* Gratia sanctificans est qualitas, ideoque est capax augmenti intensivi, quum qualitates sint capaces hujus augmenti, neque tali augmento supernaturalitas repugnare osten-

(1) *Sess. 6*, cap. 10 (Denz.-Bannwart, n. 803).
(2) *Advers. Jovinianium*, l. 2, n. 23 (M. L. 23, 319).
(3) *Epist. 42 ad Syricium*, n. 2 (M. L. 16, 1172).
(4) *De peccatorum merit. et remiss.*, l. 2, c. 13, n. 20 (M. L. 44, 164).

ditur. Aliunde, quamvis nequeat dari gratia sanctificans excellentioris speciei quam sit praesens, non apparet cur intra eamdem speciem crescere non possit, quum a Deo infinite distet. Ergo re ipsa per actus bonos supernaturales meritorie augetur gratia in justis; et peccatores diversam praeparationem ad gratiam recipiendam habere possunt, et consequenter diversam gratiam recipere. Praeterea, sicuti in *tractatu de sacramentis* probatur, sacramenta conferunt gratiam sanctificantem, et diversam secundum diversam praeparationem et frequentiam sacramentorum.

782. Corollarium. Ex dictis evidenter sequitur gratiam esse inaequalem in diversis subjectis, et in eodem pro diversis temporibus. Etenim probatum est gratiam augeri et quidem inaequaliter, quum augeatur per opera bona et per sacramenta, quae non aequaliter ab omnibus habentur. Et in eodem subjecto, quum gratia ipsius crescat, eo ipso est in illo inaequalis pro diversis temporibus.

Atque hoc ipsum ex S. Scriptura et ex S. Augustino confirmatur. In *Matth.* XIII, 23, dicitur: "Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum." Hisce autem verbis manifeste indicatur eos, qui bene agunt, non aequaliter bene agere. Item *I Cor.* III, 12, habetur: "Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc (Christum Jesum), aurum, argentum, lapides pretiosos..." Per aurum, argentum, lapides pretiosos certe diversa opera bona denotantur. Denique *II Timoth.* II, 20, legitur: "In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea..." Profecto vasa aurea et argentea inaequalitatem in recte agendo innuunt.

Et S. Augustinus docet (1): "Et induti sunt sancti justitia (*Job.* XXIX, 14), alius magis, alius minus." Et alibi (2): "Nam unde est illud quod Elisaeus poposcit, ut dupliciter in eo fieret Spiritus Dei qui erat in Elia (*IV Reg.* II, 9)? et unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum?

783. SCHOLION. I. *Utrum gratia sanctificans et virtutes per se infusae diminui possint?* Sententia communis theologorum et certa est nec gratiam sanctificantem nec virtutes per se infusas

(1) *Epistola 167 ad S. Hieronymum*, cap. 3, n. 13 (M. L. 33, 738).
(2) *Epist. 187 ad Dardanum*, cap. 5, n. 17 (M. L. 33, 838).

diminui posse (1). Non est hic quaestio utrum de potentia absoluta gratia sanctificans et virtutes per se infusae diminui possint; nam sicut augentur, sic etiam Deus absolute loquendo augmentum acquisitum posset tollere, et non amplius illud conservare. Quaestio igitur est, utrum de facto aliquando gratia sanctificans et virtutes per se infusae decrementum in sua entitate patiantur.

Gratia sanctificans et virtutes per se infusae minui non possunt. Nam si gratia sanctificans et virtutes per se infusae minuerentur, hoc esset vel posita aliqua causa ex parte hominis, vel sine illa. Atqui neutrum dici potest. Ergo. Prob. min. Non primum; quia illa causa ex parte hominis esset aliquod peccatum; quum alia convenienter assignari non possit. Sed non potest esse peccatum mortale; quia istud non minuit, sed omnino tollit gratiam et virtutes praeter fidem et spem. Deinde neque veniale; quia si per hoc minuerentur gratia sanctificans et virtutes, propter peccata venialia posset quis perdere gratiam sanctificantem, et damnari; quod certe res est inaudita. Nec alterum admitti potest, nempe hominem sine ulla causa amittere gratiam sanctificantem et virtutes per se infusas; quia solus Deus posset tollere gratiam sanctificantem et virtutes; et quum hae res sint ex se permanentes, Deus sine causa non eas perire faciet.

S. Thomas inter alia de hac re dicit (2): "Unde relinquitur quod si caritas diminuatur, causa diminutionis ejus sit peccatum vel effective vel meritorie." Et paulo inferius asserit: "Unde consequens est quod caritas nullo modo diminui possit, directe loquendo; potest tamen indirecte dici diminutio caritatis dispositio ad corruptionem ipsius; quae fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis." Nimirum peccata venialia et ablatio fervoris caritatis animum disponunt ad lethaliter peccandum, quo amittuntur et gratia sanctificans, et virtutes per se infusae.

784. Scholion II. Multae quaestiones habentur referentes ad augmentum gratiae sanctificantis et virtutum per se infusarum. Verum quum augmentum hoc fiat per actus virtutum supernaturalium et per sacramenta; quatenus fit per actus virtutum supernaturalium, videtur

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 89, a. 1; *2. 2.*, q. 24, a. 10; *De malo*, q. 7, a. 2; *1. Sent.* dist. 17, q. 2, a. 5; Suarez, *De gratia*, l. 11, c. 8; Ripalda, *De ente supernat.*, l. 6, disp. 130; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 3, cap. 1.
(2) *2. 2.*, q. 24, a. 10.

convenientius hoc tractare, quum de virtutibus in genere sermo erit. Et ita faciam, si Deus det.

Articulus II

Utrum homo possit scire se habere gratiam sanctificantem (1)

785. Praemitt. 1.° Dicimur scire ea, de quibus certitudinem habemus. Certitudo in genere est firmitas assensus excludens formidinem de opposito. Alia certitudo dicitur subjecti, alia cognitionis. Certitudo subjecti est firma et tenax adhaesio intellectus ad ejus judicium ut verum; quae quidem non semper oritur ex meritis judicii vel objecti, sed non raro ex pertinacia vel passione, ut quum haeretici suis erroribus mordicus adhaerent. Altera, seu certitudo cognitionis, consistit in connexione intrinseca cognitionis cum veritate, seu in ejus repugnantia cum falsitate. Haec in metaphysicam, physicam et moralem dividitur, prout falsitati repugnet aut absolute, aut secundum leges physicas, aut tantum secundum communem hominum agendi modum. Certitudo fidei semper est metaphysica eademque excellentior certitudine metaphysica ordinis naturalis.

Jam certitudo moralis potest esse proprie et stricte talis, aut solum late talis. Est stricte talis, quae nunquam cum falsitate propter excellentiam sui motivi in ordine morali, conjungitur, ut est, v. gr., haec veritas, scilicet, Roma existit, pro hispanis qui Romam nunquam viderunt. Est vero late talis, quae aliquando, licet raro, cum falsitate conjungitur; ideoque tollit anxietatem, sed non absolute omnem formidinem. Ad certitudinem metaphysicam vel physicam revocatur certitudo theologica, et est illa, quae ex una praemissa de fide et altera naturaliter evidenti infertur.

786. Praemitt. 2.° Calvinus et Lutherus non modo docuerunt hominem posse credere se esse justum, immo electum et praedestinatum, sed debere id facere; et hac fide homines justificari, ut eruitur ex doctrina, quam Conc. Tridentinum damnat (2). In-

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 112, a. 5; *De veritate*, q. 10, a. 10; *Quodl. 8*, q. 2, a. 4; Suarez, *De gratia*, l. 9, cap. 9; B. Bellarminus, *De justificatione*, l. 3; Valentia, *In 1. 2.*, d. 8, q. 4, punct. 4; Tanner, *De gratia*, disp. 6, q. 4, dub. 5; Gotti (Card.), *De divina gratia*, q. 3, dub. 9; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 3, cap. 3; Herrmann, *De justificatione*, cap. 3, a. 1.

(2) *Sess. 6*, cap. 9, et can. 12 et sq. (Denz.-Bannwart, n. 802, et nn. 822 et sq.).

ter catholicos tribuitur Catharino asseruisse posse dari, seclusa revelatione, certitudinem theologicam, et ideo strictam, de propria justificatione, seu de statu gratiae. Verum Conc. Tridentinum difinivit non posse dari certitudinem fidei de propria justitia, et ex ejus doctrina etiam sequitur non posse dari sine speciali revelatione certitudinem stricte talem de propria justitia.

THESIS. Nemo sine speciali revelatione scire potest certitudine fidei se esse justum, immo nec hoc scire potest certitudine stricte tali.

787. 1.ª pars theseos est de fide ex Conc. Tridentino dicente (1): "Quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum." Et can. 13 dicit: "Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa. A. S. " Item can. 14: "Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi et justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici. A. S." 2.ª vero pars, seu nec certitudo stricte talis de propria justitia haberi potest, est communis et certa; dicit (2) namque Tridentinum *quemlibet de sua gratia formidare et timere posse;* ubi vero habetur certitudo stricte talis, non possunt dari formido et timor.

788. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex Eccl.* IX, 1, 2, ubi reperitur: "Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta..." Certe, si homo sciret se esse justum, cognosceret se esse dignum amore. In haec verba dicit (3) S. Hieronymus: "Porro hic sensus est: Etiam in hoc dedi cor meum, et scire volui quos Deus diligeret, quos odisset. Et inveni justorum

(1) *Sess. 6*, cap. 9 (Denz.-Bannwart, n. 802); can. 12, 13, 14, 15 (Denz.-Bannwart, n. 822 et sq.).
(2) *Sess. 6*, cap. 9 (Denz.-Bannwart, n. 802).
(3) *Comment. in Ecclesiasten*, IX, 12 (M. L. 23, 1080).

quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, et inter ambiguum fluctuare, utrum ad probationem sustineant quae sustinent, an ad supplicium."

789. 2.° *Ex aliis S. Scripturae testimoniis,* in quibus innuitur hominem non habere certitudinem proprie talem de suo statu gratiae aut peccati. *Job.* IX, 21, dicitur: "Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et taedebit me vitae meae." Item *Ps.* XVIII, 13: "Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: et ab alienis parce servo tuo." Iterum *Prov.* XX, 9: "Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?" Et *Eccli.* V, 5: "De propitiato peccato noli esse sine metu..." Denique *I Cor.* IV, 4: "Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est."

790. 3.° *Ex PP.* S. Basilius inquit (1): "Itaque ne te ipse prae altero justificaveris: nequando Dei sententia, etsi tua justificatus, condemnere." Et S. Joannes Chrysostomus (2): "*Tu omnia scis* (*Joan.* XXI, 17); id est, praesentia et futura. Viden quanto melior factus sit (Petrus), quanto modestior, non arroganter contradicens, ut ante? Ideo turbatus est: Num forte cum amare me putem, non amo tamen: ut ante altum sapiens, et asseverans, postea superatus sum?".

Et S. Ambrosius asserit (3): "Volebat auferri opprobrium quod suspicatus est, vel quia cogitaverat in corde et non fecerat: et poenitentia licet abolitum, suspectus tamen erat, ne forte adhuc maneret ejus opprobrium; et ideo Deum precatur, ut illud auferat, qui solus novit quod nescire potest etiam ipse qui fecit." Et S. Augustinus dicit (4): "Quantalibet enim justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex justus sederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non possunt..." Item S. Gregorius M. (5): "Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subjunxit importunam se mihi existere, quoadusque scribam mihi esse revelatum quia peccata tua dimissa sunt, rem difficilem etiam et inutilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri de-

(1) *Homil. de humilitate,* n. 4 (M. G. 31, 554).
(2) *In Joan. Homil.* 87, n. 1 (M. G. 59, 479).
(3) *Sermo 5 in Ps.* 118, n. 40 (M. L. 15, 1332).
(4) *De perfectione justitiae,* cap. 15, n. 33 (M. L. 44, 309).
(5) *Epistol. l. 7, Epist. 25 ad Gregorium* (M. L. 77, 878).

beat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare." Denique S. Isidorus (1): "Quamvis per poenitentiam propitiatio peccatorum sit, sine metu tamen homo esse non debet, quia poenitentiae satisfactio divino tantum pensatur judicio, non humano. Proinde, quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Neque enim unquam oportet poenitentem habere de peccatis securitatem. Nam securitas negligentiam parit, negligentia autem saepe incautum ad vitia transacta reducit."

791. 4.° *Ratione.* Ut quis certitudine fidei posset scire se esse justificatum opus esset, ut hoc esset expresse vel saltem implicite revelatum; nam ut aliquid credatur fide divina, oportet ut revelatum sit. Atqui aliquem in particulari esse justificatum, neque est expresse revelatum, neque implicite. Ergo. Prob. min. Quod non sit expresse revelatum, est manifestum, quum talis revelatio afferri nequeat. Deinde neque implicite hoc revelatum esse, ostenditur; nam etsi de fide sit eum, qui ex toto corde in Deum convertatur justificationem accipere; item recipientem sacramenta modo debito; non tamen est de fide aliquem ex toto corde in Deum esse conversum, aut sacramenta dispositione dedita accepisse, neque evidenter de hoc constare potest, quum non perspiciamus actus nostros esse supernaturales et prout oportet, neque immediate in ipsis actibus, neque in aliquo medio infallibiliter connexo cum supernaturalitate actus. Ergo.

792. Prob. 2.ª p. seu *non datur certitudo stricte talis de statu gratiae.* Nam Conc. Tridentinum dicit (2): "Sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest..." Jam vero ubi datur certitudo stricte talis, non potest esse locus formidini et timori. Praeterea testimonia S. Scripturae et PP. allata in prima parte thesecos indicant nullum posse esse securum de statu gratiae; et si stricta certitudo dari posset, daretur perfecta securitas. Ratione id ipsum probatur: quia gratiam sanctificantem in se ipsa non

(1) *Sententiarum, l. 2,* cap. 13, n. 18 (M. L. 83, 616).
(2) *Sess. 6,* cap. 9 (Denz.-Bannwart, n. 802).

perspicimus; illius vero signa et indicia nunquam sine speciali privilegio sunt hujusmodi, ut gignant certitudinem tam perfectam, quemadmodum de existentia Romae, v. gr., habemus, qui Romam non vidimus. Alii enim homines dari nobis testimonium certum de nostro statu gratiae, non possunt, ut est manifestum. Nec conscientia nostra potest nos omnino securos reddere. Etenim, quamvis experiamur pacem et tranquillitatem conscientiae, gaudium spirituale aliaque id genus, haec tamen neque sunt signa infallibilia justificationis, nec talia ut non possit esse aliqua formido deceptionis.

Speciatim probatur de nostro statu gratiae sanctificantis non posse dari certitudinem theologicam, seu illam, quae exurgit ex una praemissa de fide et altera omnino certa naturaliter. Etenim, etiamsi hae praemissae, v. gr., *qui ex toto corde in Deum convertatur, qui sacramenta rite suscipiat, justificabitur* sint de fide; tamen cum illis conjungi altera praemissa omnino certa naturaliter, quae asserat me ex toto corde esse in Deum conversum, aut sacramenta rite suscepisse, non potest; quia non est medium naturale, quod mihi hanc perfectam certitudinem tribuat.

793. Obj. 1.° a) *Joan.* XIV, 17, dicitur: "Vos autem cognoscetis eum (Spiritum Sanctum): quia apud vos manebit, et in vobis erit." Et v. 20: "In illo die vos cognoscetis quia ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis." Haec autem verba innuere videntur cognitionem certam de habitatione divinarum personarum in nobis, ideoque de statu gratiae. b) *Rom.* VIII, 16: "Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei." Testimonium autem Spiritus Sancti rem facit de fide. c) Item *I Joan.* IV, 13: "In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis." Hic iterum affirmatur nos cognoscere nostram permansionem in Deo. d) *II Petr.* I, 10: "Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis." Ergo bona opera certam electionem faciunt.

Resp. Imprimis haec testimonia nullo modo ostendunt dari certitudinem fidei de nostra justitia, neque certitudinem stricte talem: sed ad summum innuunt certam certitudinem moralem latam, quae tollit anxietatem, sed non tribuit securitatem absolutam, nec aufert potestatem formidandi. Deinde ad singula respondetur.

Ad a) Ex illis verbis nihil evinci; quia ibi non asseritur justos esse cognituros Spiritum Sanctum in ipsis habitantem per gratiam, sed esse cognituros ipsam personam et divinitatem Spiritus Sancti per fidem; ad hanc autem cognitionem juvabit ipse Spiritus Sanctus in unoquoque justo inhabitans illuminando et auxilia praebendo. Si quis vero illa verba interpretari contendat de cognitione Spiritus Sancti prout inhabitantis per

gratiam, si de tota Ecclesia accipiantur, de fide est, aliquos in illa esse justos, in quibus Spiritus Sanctus inhabitat; at si de unoquoque justo sumantur, interpretanda sunt de cognitione conjecturali, seu de certitudine morali lata. Ad illud autem quod additur ex v. 20, dicendum est ea referri ad Apostolos, qui post resurrectionem Christi (*Luc.* XXIV, 45), et praesertim post adventum Spiritus Sancti, clarius Sacras Scripturas intellexerunt.

Ad b) Ibi non asseritur Spiritum Sanctum tribuere nobis testimonium per locutionem de eo, quod simus filii Dei seu justi; sed asseritur Spiritum Sanctum excitare et movere justos ad salutariter operandum et ad Patrem invocandum, ut apparet ex contextu. Ex eo autem quod aliquis a Spiritu Sancto excitetur ad salutariter operandum et ad Patrem invocandum, constare illi omnino certo non potest de statu justitiae propriae: immo homo modo certo non cognoscit, utrum opera, quae elicit, sint supernaturalia et a Spiritu Sancto, necne.

Ad c) Ea verba singulis fidelibus non applicantur, sed toti Ecclesiae, in qua de fide est Spiritum Sanctum habitare. Si quis autem singulis fidelibus ea applicare vellet, interpretanda essent de cognitione conjecturali.

Ad d) Testimonium S. Petri significat bona opera facere electionem certam ad vitam aeternam consequendam; non autem ad consequendam cognitionem certam de ipsa electione, aut de statu gratiae.

Alia Sacrae Scripturae testimonia similiter solvenda sunt, praesertim, quia in nullo eorum clare asseritur justos habere certitudinem stricte talem de statu gratiae, et sunt plura testimonia, quae contrarium indicant.

794. Obj. 2.° Nos possumus certo scire adimplevisse divina praecepta et sacramenta modo debito suscepisse. Sed qui divina praecepta adimplet et sacramenta modo debito suscipit, gratiam sanctificantem infallibiliter recipit. Ergo, Praeterea aliqua praecepta, ut suscipiendi sacram Eucharistiam, impleri nequeunt, nisi homo sit in statu gratiae...

Resp. Dist. maj.: nos possumus scire certitudine stricta observasse mandata, aut suscepisse sacramenta eo modo, quo requiritur ad gratiam sanctificantem recipiendam, neg.; nos possumus haec scire certitudine late tali, conc. Et contradist. min.; qui observat mandata aut suscipit sacramenta quocumque modo justificatur, neg.; certo quodam modo, de quo non constat stricta certitudine in singulis casibus, utrum adsit, conc. Communiter homines non cognoscunt nisi probabiliter se mandata omnia explevisse, aut sacramenta rite suscepisse; et hoc sufficit ad tranquillitatem concientiae; sed non ad habendam certitudinem proprie talem de statu gratiae. Deinde ad recipiendam sacram Eucharistiam, vel ad ponendam aliam actionem pro cujus exercitio requiritur status gratiae, sufficit non habere conscientiam peccati mortalis: ex eo autem quod quis conscientiam peccati mortalis non habeat, non infertur modo certo eum in statu gratiae reperiri; potest enim quis vel oblitus esse peccati mortalis commissi, vel putare jam fuisse remissum, quum re ipsa non sit.

795. Obj. 3.° Etiam aliqui PP. ita loqui videntur, ut admittant

dari certitudinem proprie talem de statu gratiae, ut videre est apud Card. Bellarminum, *De justificatione* (1), et Valentiam (2).

Resp. Testimonia PP. supra adducta ostendunt Sanctos Patres non probare nos esse plene securos de nostra justificatione. Ea vero quae ex PP. objiciuntur solvenda sunt, aut de cognitione, quae solum habet certitudinem moralem late sumptam seu conjecturalem; aut de efficacia sacramentorum, promissionum Dei et similium, quatenus est ex parte ipsorum mediorum; non vero quatenus singulis personis applicantur; quia impediri possunt variis de causis, ut v. gr., defectus dispositionis in recipiente, vel in administrante sacramenta. Quod si aliqui PP. asserunt dari de justificatione intuitionem, evidentiam, non esse dubitandum; haec non referuntur ad ipsam justificationem, quam non possumus intueri, sed ad signa ipsius, quae non sunt omnino infallibilia.

796. Obj. 4.° Si aliqua propositio universalis est de fide, est quoque de fide quaelibet particularis, quae modo certo ostendatur in illa universali contineri. Atqui de fide sunt hae propositiones universales, scilicet: *quicumque rite baptizatur, aut suscipit aliquod sacramentum,* aut *agit paenitentiam ex toto corde, accipit gratiam sanctificantem.* Aliunde modo certo constare potest hic rite baptizatur, aut aliquod sacramentum rite suscipit, aut ex toto corde paenitentiam agit. Ergo constare potest de justificatione cum plena certitudine.

Resp. Nego constare cum perfecta certitudine, seclusa speciali revelatione, aliquem esse rite baptizatum, aut aliud sacramentum rite suscepisse, aut ex toto corde ad Deum esse conversum; nam ipsa justificatio a nobis non videtur, et ejus signa non sunt omnino infallibilia. Praeterea adulti, ut baptizentur rite et sacramenta recipiant modo debito, aliqua dispositio requiritur, quae quidem actibus supernaturalibus constare debet; et a nobis actus supernaturales a naturalibus perfecta certitudine non distinguuntur.

COROLLARIUM. Quum non possit haberi, ut probatum est, certitudinem stricte talem de statu gratiae, multo minus ea de perseverantia finali dari potest.

797. SCHOLION I (3). Qualis certitudo de statu gratiae haberi potest. 1.° Personae valde spirituales, quae multis annis curarunt omni diligentia puritatem animae, quaeque assidue exercuerunt omnes virtutes et sacramenta frequentarunt, videntur posse habere certitudinem talem de propria justitia, quae actualem timorem excludat. Verum hoc ita est intelligendum, ut non excludatur potestas formidandi et timendi, immo nec ipse actualis timor, si quis, quamvis valde exercitatus in omni opere bono et in

(1) L. 3, cap. X.
(2) In *1. 2.*, disp. 8, q. 4, punct. 4.
(3) P. Suarez, *De gratia*, l. 9, cap. 11, n. 3 et sq.; Valentia, *In 1. 2.*, disp. 8, q. 4, punct. 4; Tanner, *De gratia*, disp. 6, q. 4, dub. 5, n. 120 et sq.; Beraza, *De gratia habituali*, s. 3, cap. 3, n. 968 et sq.

receptione sacramentorum, diligenter considerat suam infirmitatem et indispositionem; tamen timor actualis valde difficulter oritur. Posse autem animam valde spiritualem hanc certitudinem habere sic ostenditur.

In S. Scriptura habentur plures textus hoc indicantes. Sic in speciem legitur, *I Joan.* III, 24: "Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo..." Et IV, 18: "Timor non est in caritate: sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate." Aliunde Tridentinum (1), non requirit actualem timorem, sed potentiam formidandi et timendi. Et S. Leo M. dicit(2): "Qui autem experiri cupit, an in ipso Deus habitet: de quo dicitur: *Mirabilis Deus in sanctis suis* (*Ps.* LXVII, 36): sincero examine cordis sui interiora discutiat, et sagaciter quaerat, qua humilitate resistat superbiae, qua benevolentia obluctetur invidiae, quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis; an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas oblivisci injurias, quam imaginem et similitudinem sui Conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis (*Matth.* V. 45): "Pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos." Ac ne in multis laboret, solicitae discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium caritatem in secretis suae mentis inquirat: et si eam dilectioni Dei et proximi toto corde intentam repererit, ita ut etiam inimicis suis eadem velit tribui, quae sibi optat impendi; quisquis hujusmodi est, Deum et rectorem et habitatorem sui esse non dubitet." Quare S. Leo docet eum, qui ea signa justitiae habet quae hic assignat, non esse dubitandum eum esse justum. Hoc autem, secundum dicta, ita est accipiendum, ut non tollatur potentia formidandi; neque absolute ipsa actualis formido, neque absolute falsitas excludatur.

Id ipsum ratione probatur. Nam quaedam personae valde spirituales, quae multis annis diligenter vitare procurarunt omne peccatum, et in omni virtute se exercuerunt, et speciatim in humilitate et comtemptu sui, sacramenta frequentarunt, mun-

(1) *Sess. 6*, cap. 9 (Denz.-Bannwart, n. 802).
(2) *Sermo 8 de Epiphania*, cc. 3 et 4 (M. L. 54, 262).

dum et res mundanas contempserunt, Deum, Jesum Christum et Mariam, Matrem Dei, toto corde dilexerunt, proximum sicut se ipsas amarunt, et alia his similia habuerunt; videntur tales personae pervenire ad talem certitudinem propriae justitiae, ut difficillime de illa formident, quamvis conservent potentiam formidandi. Atque haec signa, et illa a S. Leone adducta, et alia his similia sunt signa specialis sanctitatis.

2.° Illi, qui spiritualitate non eminent, observant tamen praecepta et diligenter vitant peccata deliberata, possunt habere probabilem certitudinem de sua justitia, ut indicat (1) S. Thomas; et ideo dari potest assensus de actuali justitia, sed non sine ullo timore. Quocirca, etsi omnes, qui conscientiam peccati mortalis non habeant, et probabiliter omnibus suis obligationibus sub gravi satisfecerint, possunt et debent esse tranquilli, et sine anxietate de suo statu; nemo tamen sine speciali revelatione seu privilegio potest non habere fundamentum timoris de statu gratiae, si in motiva, quibus nititur persuasio propriae justificationis reflectat, eaque funditus scrutetur.

798. Scholion II. *Utrum detur certitudo de virtutibus per se infusis et de donis* (2). Imprimis de caritate idem dicendum est, ac de gratia sanctificante dictum est; quia semper acquiritur et amittitur cum gratia sanctificante. De virtutibus moralibus per se infusis et de donis, idem dicendum est ac de caritate. De fide et spe etiam certitudo fidei non datur; quia non est revelatum singulos fideles habere habitus fidei et spei vere supernaturales; et hoc ipsum de actibus dicatur. Nec videtur dari certitudinem theologicam de existentia actuum et habituum fidei et spei ordinis supernaturalis; quia non videntur formari posse duae praemissae, quarum altera sit de fide, et altera evidens naturaliter, ex quibus evidenter inferatur habitus fidei et spei supernaturales cum certitudine theologica in singulis fidelibus existere. Verum de habitibus supernaturalibus fidei et spei videtur dari major certitudo ordinis moralis, quam gratiae sanctificantis; nam haec facilius amittitur quam fides et spes. Denique de fide potest haberi saltem certitudo ordinis naturalis proprie talis; ratio est, quia quilibet vere fidelis experitur se vere credere ea omnia, quae ab Ecclesia catholica ut credenda proponuntur.

(1) *1. 2.*, q. 112, a. 5.
(2) S. Thomas, *1. 2.*, q. 112, a. 5, ad 2; Suarez, *De gratia*, l. 9, cap. 12; Tanner, *De gratia*, dis. 6, q. 4, dub. 5, n. 130 et sq.; Gotti, *De gratia*, q. 3, § 4, n. 40 et sq.

Articulus III

Gratia sanctificans amitti potest (1)

799. Praemitt. Gratia sanctificans, ut supra dictum est, essentialiter repugnat peccato mortali, et ita non potest dari in aliquo subjecto simul cum illo. Peccatum igitur expellit gratiam sanctificantem; quia propter ejus malitiam meretur, ut gratia auferatur a subjecto in peccatum mortale incidente. Etiam peccatum mortale expellit gratiam, quatenus est forma essentialiter gratiae sanctificanti repugnans. Gratia autem sanctificans, sicut etiam omnes virtutes per se infusae, est forma permanens; quum ex se in aeternum ad vitam aeternam jus tribuat.

In hac re erravit Jovinianus (2), beguardi et beguinae (3), Calvinus, Michael de Molinos (4). Lutherus docuit gratiam per solum peccatum infidelitatis amitti; et Chemnitius et Petrus Martyr fidem amitti posse admisserunt, sed non in perpetuum; quia ante mortem erat recuperanda.

THESIS. Gratia sanctificans semel habita quolibet peccato mortali amittitur, et quidem solo; et etiam ita amitti potest, ut non amplius recuperetur.

800. Thesis habet tres partes: 1.ª pars est quolibet peccato mortali gratia amittitur; 2.ª pars, propter solum peccatum mortale amittitur; et 3.ª pars, ita potest amitti, ut non amplius recuperetur. 1.ª et 3.ª sunt de fide in Conc. Tridentino definitae, quod ita loquitur (5): "Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum,

(1) S. Thomas, *2. 2.*, q. 24, a. 12; Suarez, *De gratia*, l. 11; B. Card. Bellarminus, *De justificatione*, l. 3, cap. 14; Beraza, *De gratia habituali*, s. 3, c. 2; Pesch (Christ.), *De gratia habituali*, sect. 4, n. 370.
(2) S. Hieronymus *contra Jovinianum*, l. 2.
(3) *Conc. Viennense* 1311 (Denz.-Bannwart, n. 471).
(4) *Propositiones ab Innocentio XI damnatae*, prop. 56 (Denz.-Bannwart, n. 1276).
(5) *Sess. 6*, cap. 12 (Denz.-Bannwart, n. 805).

quasi verum esset ,quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat." Et can. 23 (1): "Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: A. S." Item can. 27 (2): "Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quamtumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti: A. S."

801. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex S. Scriptura.* In *Ezechiel.* XVIII, 24, legitur: "Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur." Et cap. XXXIII, 12 et sq. dicitur: "Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: justitia justi non liberavit eum in quacumque die peccaverit: et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur." Et *Epist. Jac.* I, 15, dicit: "Deinde concupiscencia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem." Denique in *Epist. I Joan.* III, 8, asseritur: "Qui facit peccatum, ex diabolo est."

802. 2.º Ex Conc. Tridentino docente (3): "Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui *per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium* (*Rom.* XVI, 16), asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles ex-

(1) Denz.-Bannwart, n. 833.
(2) Denz.-Bannwart, n. 837.
(3) *Sess.* 6, cap. 15 (Denz.-Bannwart, n. 808).

cludit, sed et fideles quoque, *fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces* (*I Cor.* VI, 9 et sq.), ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adjumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur." Atque in hoc capite definiri videtur vera fidei doctrina (1).

803. **3.°** *Ex PP.* S. Athanasius dicit (2): "Verumtamen ille qui cecidit, non amplius in Deo est, eo quod Sanctus et Paracletus Spiritus, qui in Deo est, ab ipso recesserit; sed hujusmodi peccator in illo erit, cui sese ipse subjecit (diabolo)..." Et S. Cyrillus Alex. (3): "Ne quis semel purgatus a casu immunem se putaret, etiamsi nullam ad id curam adhibeat, utiliter jubet in eo permanere. Quidnam autem aliud istud est, quam quod per Paulum recte dicitur: *Quare qui sibi videtur stare, videat ne cadat?*". Item S. Augustinus (4): "Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quae per dilectionem operatur incipere vivere, et aliquandiu fideliter ac juste vivere, et postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat auferri." Denique S. Bernardus (5): "Audis recidere quam incidere esse deterius. Proinde invalescente periculo, invalescat et metus. Beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata."

804. **4.°** Ex doctrina catholica constat plures angelos amisisse gratiam sanctificantem, et illam non recuperasse. Adamus, David, S. Petrus gratiam sanctificantem perdiderunt, et illam iterum acquisierunt. Praeterea justi obligantur tum praeceptis naturalibus, tum supernaturalibus, et haec praecepta graviter infringere possunt; non enim libertas lethaliter peccandi per gratiam sanctificantem tollitur. Atqui quodlibet peccatum lethale, ut supra dictum est, repugnat gratiae sanctificanti, et ideo illam expellit. Ergo.

805. **Prob.** **2.ª p.** Si gratia tollitur, debet esse propter aliquod peccatum; quia Deus vult illam conservari in singulis indi-

(1) Vide *tractatum de Christi Ecclesia*, disp. 3, cap. 2, a. 4, n. 605.
(2) *Orat. 3.ª contr. arianos*, n. 25 (M. G. 26, 375).
(3) *In Joan.*, l. 10, cap. 15, v. 4 circa illa verba *manete in me* (M. G. 74, 362).
(4) *De correptione et gratia*, cap. 13, n. 40 (M. L. 44, 941).
(5) *Sermo 54 in cantica*, n. 11 (M. L. 183, 1043).

viduis; quum velit omnes homines salvos fieri, et gratia sanctificans est medium necessarium ad salutem consequendam. Atqui praeter peccatum mortale, non est nisi veniale; et hoc non repellit gratiam sanctificantem, ut constat ex dictis supra (1). Et S. Augustinus dicit (2): "Sicut enim non impediunt a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur."

806. Prob. 3.ª p., seu *justus ita potest cadere, ut non resurgat.* In *Ezech.* XVIII, 24 dicitur: "In praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur." Et inferius XXXIII, 13: "Et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur." Item *I Cor.* IX, 27: "Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar." Et in *Apoc.* III, 11: "Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam." Praeterea multi judaei et christiani, qui fuerunt justi, videntur postea fuisse damnati. Accedit quod si justus non posset cadere, aut si caderet, infallibiliter a casu resurgeret; omnes justi perseverantiam haberent; et hoc valde probabiliter cognoscerent, quum status justitiae, ut dictum est, cum quadam certitudine morali cognosci posset; et tamen donum perseverantiae videtur esse omnino occultum.

807. Obj. 1.° Caritas dicitur non extingui: ita *Cant.* VIII, 7, dicitur: "Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem..." Item non amitti, ut *Jer.* XXXII, 40, dicit: "Et timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant a me." Dicitur etiam caritatem non excidere; sic *I Cor.* XIII, 8: "Caritas nunquam excidit." Praeterea justus dicitur non posse peccare, quum de illo affirmetur *I Joan.* III, 9: "Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est."

Resp. Primus textus ab aliquibus intelligitur de Christo, cujus caritas est insuperablis. Si vero applicatur aliis, solum significatur justum cum gratia Dei resistere posse omnibus tentationibus et adversitatibus. Secundus textus docet Deum israelitis dedisse omnia media necessaria ad recte vivendum; non vero eis necessitatem imposuisse eosque impeccabiles fecisse. Tertius textus asserit caritatem semper ex se perseverare et nunquam perire; sed potest per peccatum expelli. Denique quartus textus tra-

(1) Disp. 1, cap. 4, a. 4.
(2) *De spiritu et littera*, c. 28, n. 48 (M. L. 44, 230).

dit justum non peccare et non posse peccare, quatenus sequitur ductum gratiae eamque conservat.

808. Obj. 2.° *I Joan.* II, 19, dicitur: "Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis." Ex his verbis deducunt haeretici eos, qui decidunt nunquam fuisse justos.

Resp. S. Joannes certe hoc non affirmat; et sensus textus allati hic videtur esse, scilicet, haeretici, quum externe tales se manifestant, jam saepe corde doctrinam haereticam tenebant, et ideo interne jam a doctrina Ecclesiae erant separati.

Sancti Patres certe cognoscunt peccatum mortale expellere gratiam sanctificantem, et omnes homines in statu viae posse graviter peccare. Quod si aliqui contrarium indicare videntur, certe non aliud significare videntur, nisi illos, qui sint bene radicati in caritate, valde difficulter cadere.

DISPUTATIO IV

De merito [1]

CAPUT I

De merito in genere

Articulus I

De notione et divisione meriti

809. *Meritum* est unus ex fructibus gratiae sanctificantis et virtutum. Fructus gratiae sanctificantis et virtutum duplex est, alter physicus, alter moralis. Fructus physici sunt actus supernaturales, qui a virtutibus per se infusis producuntur; et fructus morales sunt impetratio, satisfactio et meritum. De hoc in praesenti agendum est. Meritum significat opus libere positum quatenus dignum aliqua retributione. Meritum in bonam et in malam partem accipi potest; et ideo significare potest opus dignum praemio, et etiam opus dignum poena. Verum inter theologos, quum dicitur meritum simpliciter, semper intelligitur opus praemio dignum; et idcirco inter theologos meritum semper in bonam partem accipitur. Jam meritum ita acceptum generatim definiri potest: *obsequium alteri praestitum aptum de se movere ad alicujus doni retributionem*. Dicitur *obsequium* ad indicandum necessarium esse meritum cedere in commodum, utilitatem vel honorem illius apud quem meremur. Ex data definitione sequitur meritum

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 114; Suarez, *De gratia*, l. 12; B. Bellarminus, Card. *De justificatione*, l. 5; Valentia, In *1. 2.*, d. 8, q. 6; Salmanticenses, *De gratia*, tractat. 16, *De merito*; Henno, *De Christi gratia*, tractat. V, disp. 2.; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 4.

proprie theologicum in praesenti ordine providentiae ita esse definiendum, videlicet: *Obsequium Deo factum, aptum de se movere ad retributionem doni supernaturalis*

810. Ex traditis definitionibus inferri potest discrimen inter meritum, opus moraliter laudabile, impetrationem et satisfactionem. Imprimis omne meritum est opus moraliter laudabile, sed non vice versa; atque diversa discrimina reperiri possunt inter meritum et opus moraliter laudabile, ut ostendit P. Ripalda (1). 1.° ut opus sit meritorium oportet ut in emolumentum aut honorem remunerantis sit; ut vero sit laudabile sufficit ut opus sit conveniens operanti quatenus rationali. 2.° opus meritorium postulat animi grati et placentis manifestationem per munera; opus vero praecise quatenus laudabile non exigit nisi manifestationem bonae aestimationis. 3.° actus meritorius debet compensari a superiore vel saltem ab aequali; laus potest etiam tribui ab inferiore; sic homines possunt laudare divinos actus, quamvis non possint illis tribui praemium. 4.° actus fit magis meritorius ex sola majore dignitate personae merentis; sed non fit laudabilior, nisi actus aliquo modo sit melior.

Deinde discrimen inter meritum et impetrationem non uno modo a theologis explicatur; verum probanda videtur sententia P. Ripalda in loco proxime laudato. Impetratio juxta strictiorem significationem denotat vim movendi superiorem per humilem deprecationem; et per quamdam extensionem applicatur idem nomen ad alia significanda, quae cum humili deprecatione quamdam habent convenientiam. Negari vero non potest humilem deprecationem habere vim movendi aliquem ad aliquid impetrandum. Atque haec vis est distincta ab ea, quam obsequium alteri praestitum habet ad praemium consequendum; quare rite hac ratione impetratio a merito distinguitur. Unde quum propter opera bona a Deo obtineri possint alia bona, praeter illa, quae ratione meriti operibus bonis respondent; haec impetratione obtineri possunt. Hinc quaelibet opera bona impetratio quoque vocari possunt, quatenus per illa aliquid a divina misericordia impetratur.

Postremo satisfactio differt a merito; quia hoc exhibetur alteri per modum obsequii; illa vero per modum compensationis offensae

(1) L. 4. disp. 71, s 3.

illatae. Tamen quodlibet opus supernaturale justi est simul meritorium, impetratorium et satisfactorium: meritorium sub ratione obsequii; impetratorium sub ratione humilis petitionis, et satisfactorium sub ratione compensationis.

811. *De meriti divisione.* Praecipua meriti divisio est in meritum condignum et congruum. Meritum condignum est, quod ita habet aequalitatem cum praemio, ut accedente promissione remuneratoris praemium debeatur ex justitia; congruum vero est quod non habet aequalitatem cum praemio, sed solum aliquam convenientiam, ita ut accedente etiam promissione praemiantis non debeatur ex justitia et exigentia fundata in merito, sed potius ex fidelitate et exigentia magis proveniente ex promissione, quam ex obsequio. Haec explicatio congruit cum illis, quae dicit (1) S. Thomas, scilicet: 'Dicitur autem aliquis mereri ex condigno, quando invenitur aequalitas inter praemium et meritum, secundum rectam aestimationem; ex congruo autem tantum, quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur quod dantem decet."

Porro duplex a theologis assignatur aequalitas inter meritum et praemium, nempe arithmetica et geometrica. Dicitur aequalitas arithmetica illa, in qua invenitur aequalitas rei ad rem, ut inter venales merces et earum justum pretium. Adest vero aequalitas geometrica, quum non precise consideratur aequalitas rei ad rem; sed etiam ad personam merentem et praemiantem earumque conditionem attenditur. Meritum congruum apud Deum dividitur in infallibile et fallibile. Est congruum infallibile, quum adest divina promissio de praemio dando, et fallibile, quum talis promissio deest.

Aliae divisiones meriti sunt in *meritum apud Deum* et *meritum apud hominem,* prout persona cui obsequium praestatur, sit Deus vel homo. Item dividitur in meritum *naturale* et *supernaturale.* Meritum *naturale* est illud, quod per actus ordinis naturalis acquiritur, et *supernaturale,* quod per actus ordinis supernaturalis. In praesenti non agitur nisi de merito supernaturali apud Deum.

A quibusdam meritum dividitur etiam in *antecedens* et *conse-*

(1) *2. sent.*, dist. 27, q. 1, a. 3, in col.

quens. Meritum *antecedens* est obsequium alteri praestitum tempore aut saltem natura antecedens praemium; atque ideo movet praemiantem ad retribuendum, quia est, seu existit. Omne meritum in praesenti communiter est antecedens. Meritum vero *consequens* est obsequium alteri praestitum tempore consequens praemium; quare propter meritum consequens datur praemium ad obsequium obtinendum. Sic si rex ante victoriam duci praemium tribueret, ut dux fortiter pugnaret et victoriam obtineret, haberetur meritum consequens. Utrum hoc meritum admittendum sit tanquam verum meritum inter theologos disputatur; communior tamen sententia tale meritum non agnoscit (1).

Postremo meritum antecedens subdividitur in *strictissimum* et *minus strictum*. Meritum antecedens *strictissimum* est illud, quod a parte rei tempore antecedit praemium: hoc modo opera nostra bona supernaturalia sunt meritum respectu vitae aeternae. Meritum autem *antecedens minus strictum* est illud, quod solum ordine naturae et causalitatis, non vero executionis, praecedit praemium. Ex hoc merito Christi ante ipsius adventum Deus antiquis Patribus gratias ad actus salutares eliciendos et ad vitam aeternam promerendam contulit.

Articulus II

De conditionibus, quæ ad meritum sunt necessariæ

812. Agendum est hic de conditionibus necessariis pro merito sive condigno, sive congruo; deinde de his, quae speciatim pro merito condigno requiruntur; et denique de his, quae meritum congruum petit. Agitur primo de merito condigno, quia est principale, et meritum congruum non est meritum univocum cum condigno, sed tantum analogum.

(1) Vide Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 4, disp. 86, s. 7, n. 60 et sq., Muniessa. *De gratia*, d. 23, s. 4; Struggl, *De gratia*, d. 6, *de merito supernat.*, q. 1, a. 1, n. 4 et sq.

THESIS I. Pro merito sive condigno, sive congruo requiritur actus positivus, bonus, liber, supernaturalis, re ipsa in aliqua temporis differentia existens, et ut merens sit in statu viæ.

Hae conditiones a theologis communiter, vel saltem fere communiter requiruntur. Singula probantur.

813. *Necessarius est actus positivus.* Nam meritum est obsequium Deo praestitum. Sed pura omissio non apparet habere rationem obsequii. Praeterea ad meritum, ut posteà probabitur, requiritur actus bonus seu honestus et supernaturalis. Pura autem omissio neque est honesta, neque supernaturalis: non est honesta, quia est indifferens, ut fiat ex bono vel malo fine; sed operatio honesta opus est, ut ex bono fine fiat. Neque est supernaturalis, quia nihil habet, ex quo supernaturalitatem accipiat.

Conf. ex S. Thoma. Dicit S. Doctor (1): "Plura requiruntur ad bonum quam ad malum, eo quod bonum contingit ex tota integra causa, malum autem ex singularibus defectibus... Et ideo peccatum potest contingere, sive aliquis faciat quod non debet, sive non faciendo quod debet; sed meritum non potest esse, nisi aliquis faciat voluntarie quod debet. Et ideo meritum non potest esse sine actu; sed peccatum potest esse sine actu."

814. *Actus honestus.* Nam Tridentinum dicit (2): "Et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda." Item meritum theologicum est obsequium Deo praestitum; actus vero malus aut indifferens non est obsequium Deo tributum, quum hujusmodi actus ad Deum non ordinentur. Accedit quod actus indifferens, si detur, sicut non meretur poenam, quia non habet malitiam, similiter non potest mereri apud Deum, quia bonitatem moralem non habet.

815. *Actus liber.* Haec pars est de fide, ut constat ex propositione 3.ª Jansenii damnata, quae ita se habet: "Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione."

Prob. 1.° Ex *Eccli.* XXXI, 10, 11: "Qui potuit transgredi,

(1) *1. 2.*, q. 71, a. 5, ad 1.
(2) *Sess. 6.* cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).

et non est trangressus: facere mala et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino..."

2.° *Ex PP.* S. Hieronymus inquit (1): "Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est." Item S. Augustinus (2): "Primum, quia ipsa divina praecepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret." Et S. Bernardus (3): "Tolle liberum arbitrium, et non erit quod salvetur..." Et idem S. Bernardus (4): "Ubi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quae sunt carentia ratione animalia, nihil merentur; quia sicut deliberatione, ita libertate carent."

3.° *Ex ratione et ex S. Thoma.* Nam, ut supra dictum est, meritum est obsequium, quod alteri praestamus; obsequium autem, quod necessario praestamus, non habetur ut obsequium, nec aestimatur. Et S. Thomas dicit (5): "Cum autem mereri respectu mercedis dicatur, proprie mereri est aliquid sibi magis acquirere pro mercede; quod quidem non fit nisi quum aliquid damus quod est condignum, ei quod mereri dicimur; dare autem non possumus nisi id quod nostrum est, cujus domini sumus. Sumus autem domini nostrorum actuum per voluntatem; non solum illorum, qui immediate ex voluntate eliciuntur, ut diligere et velle, sed eorum, qui a voluntate imperantur per alias potentias eliciti, ut ambulare, loqui, et hujusmodi... Unde ad hoc quod aliquis actus sit per se meritorius, oportet quod sit actus voluntatis vel imperantis vel elicientis..." Et idem S. Doctor etiam dicit (6): "Haec autem opinio est haeretica: tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit quod vitari non possit."

816. *Supernaturale.* Meritum debere esse supernaturale est communis theologorum sententia contra paucos, et vera.

Prob. 1.° *Joan.* XV, 5, ubi legitur: "Sine me nihil potestis facere." Item *II Cor.* III, 5: "Non quod sufficientes simus cogitare ali-

(1) *Contra Jovinianum*, l. 2, n. 3 (M. L. 23, 286).
(2) *De gratia et liber. arbitr.*, cap. 2, n. 2 (M. L. 44, 882).
(3) *De gratia et libero arbitrio*, c. 1, n. 2 (M. L. 182, 1002).
(4) *Sermo 81 in cantica*, n. 6 (M. L. 183, 1174).
(5) *De veritate*, q. 26, a. 6.
(6) *De malo*, q. 6, a. unico.

quid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est." Jam vero his testimoniis manifeste indicatur nos sine gratia Christi nihil posse in ordine supernaturali. Multum autem possemus, si per opera naturalia possemus mereri dona supernaturalia.

2.° *Ex Arausicano II et ex Tridentino.* Arausicanum can. 7 dicit (1): "Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... haeretico fallitur spiritu..." Et can. 18 (2): "Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant." Item Tridentinum docet (3): "Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam *caput in membra*, et tanquam *vitis in palmites*, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent..." Et inferius (4): "Cujus (Domini) tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona."

3.° *Ratione.* Meritum aliquo modo postulat praemium. Quod autem est naturale non postulat aut exigit aliquid supernaturale; hoc enim est supra omnem exigentiam naturae .

Conditiones vero positae, ut pro merito inserviant, exigunt meritum re ipsa a parte rei existere, ut est manifestum; quia res non existens, non habet rationem obsequii.

817. *Merens debet reperiri in statu viae.* Ita certa et communis sententia.

Prob. 1.° *Eccl.* IX, 10, ubi legitur: "Quodcumque facere potest manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas." Et XI, 3: "Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit." Item *Eccli.* XIV, 17: "Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum." Rursus *Joan.* IX, 4: "Venit nox, quando

(1) Can. 7 (Denz.-Bannwart, n. 180).
(2) Denz.-Bannwart, n. 191.
(3) *Sess. 6*, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(4) Denz.-Bannwart, n. 810.

nemo potest operari." Denique *Galat.* VI, 10: "Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes."

2.° *Ex PP.* S. Cyprianus inquit (1): "Quando istinc recessum fuerit, nullus jam paenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur. Hic saluti aeternae cultu Dei et fructu fidei providetur." Et S. Hieronymus (2) ait: "Quia viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare: mortui vero nihil valent ad id adjicere quod semel secum tulere de vita." Et S. Augustinus (3): "Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri."

Haec tamen conditio non est necessaria ex natura rei, sed ex divina voluntate, quae ex S. Scriptura et ex PP. constat. Est tamen congruentia ad illam stabiliendam; quia post hanc vitam datur finis ultimus; finis vero non est locus, ut adhuc crescant in sui perfectione, qui ad illum perveniant; sed ut remunerentur ratione bonorum operum, quae in statu viae fecerunt. Possessio finis ultimi debet esse quies, non motus ad terminum. Et hoc ipsum confirmari potest ex S. Thoma dicente (4): "Dicendum, quod mereri est ejus quod movetur in finem. Movetur autem ad finem creatura rationalis, non solum patiendo, sed etiam operando... Si vero finis non sit in potestate ejus, sed ab alio expectetur, operatio erit meritoria finis. Ei autem quod est in ultimo termino, non convenit moveri, sed mutatum esse. Unde caritatis imperfectae, quae est viae, est mereri; caritatis autem perfectae non est mereri, sed potius praemio frui."

818. Obj. 1.° *Eccli.* XXXI, 10, tribuitur *gloria aeterna* illi, *qui potuit transgredi et non est transgressus;* non transgredi autem est quid mere negativum; ideoque indicari videtur actum positivum non esse necessarium ad merendum. Accedit quod non modo ad justitiam requiritur facere bonum; verum etiam declinare a malo.

Resp. *Non transgredi* fieri potest per bonam voluntatem non transgrediendi; et *Ecclesiasticus* promittit praemium non transgressioni, quae per bonam voluntatem fit. Hoc ipse Ecclesiasticus indicat, quum non transgredienti tribuit, eodem loco, v. 3, *fecisse mirabilia in vita sua*, et v. 11.

(1) *Epist. ad Demetrianum*, n. 25 (M. L. 4, 563). (Hartel G. p. 370).
(2) *In Eccli.* IX, 6 (M. L. 22, 1081).
(3) *Enchiridion*, cap. 110 (M. L. 40, 283).
(4) *I. p.* q. 62, a. 9, ad 1.

eleemosynas illius enarraturam esse omnem Ecclesiam sanctorum. Ad illud quod additur, eodem modo respondendum est, sc., declinare a malo ut sit meritorium, necesse est fieri per actum bonum supernaturalem. Dicit (1) S. Thomas: "Dicendum, quod declinare a malo, secundum quod ponitur pars justitiae, non importat negationem puram, quod est non facere malum; hoc enim non meretur palmam, sed solum vitat poenam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declinatio ostendit; et hoc est meritorium, praecipue quando aliquis impugnatur, ut malum faciat, et resistit."

819. Obj. 2.° Magis distat meritum finitum a praemio infinito, quam meritum naturale a praemio supernaturali. Sed meritum finitum justorum vitam aeternam, quae est infinita, meretur. Ergo etiam meritum naturale aliquid supernaturale mereri poterit.

Resp. Meritum finitum supernaturale est ordinis supernaturalis et ad talem ordinem dirigitur; et meritum naturale neque attingit, neque ordinatur ad supernaturalia; ideoque aliquid supernaturale mereri non potest. Deinde justi vitam aeternam tantum modo finito merentur, neque modo infinito Deum possidere possunt. Item quamvis possessio vitae aeternae sit sine ullo limite ex parte temporis; tamen nunquam duratio talis possessionis erit actu aeterna.

820. Obj. 3.° Actus naturales Christi liberi erant meritorii praemii supernaturalis. Ergo actus naturales aliquid supernaturale mereri possunt.

Resp. Actus quidem voluntatis Christi liberi erant meritorii praemii supernaturalis; sed hoc ideo, quia illi actus, saltem moraliter, accipiebant supernaturalitatem a persona divina, supernaturali et infinita; nam actus personae, a qua procedunt tribuuntur. Hoc autem in homine justo non evenit; quia in illo, nisi actus a gratia physice procedant, nullam accipiunt supernaturalitatem; quum in hominibus justis suppositum sit naturale; et gratia sanctificans, nisi physice influat, supernaturalitatem actibus non impertit.

THESIS II. Pro merito condigno requiritur, ut merens sit justus, pro se mereatur, ut meritum sit aliquo modo æquale præmio, et divina promissio; et pro merito congruo, præter conditiones necessarias pro omni merito, requiritur divina promissio, ut efficax sit.

Haec thesis est communis inter theologos et certa.

821. *Pro merito condigno requiritur gratia sanctificans.*

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. Joan.* XV, 4, legitur: "Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis." Ideoque ad ferendum fructum, et

(1) 2. 2., q. 79, a. 1, ad 2.

ad meritum requiritur gratia sanctificans, quae cum Christo nos unit. Item *Rom.* VIII, 17-18, dicitur: "Si autem filii et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis." Ex his autem verbis haec inferuntur: 1.° Requiritur status filiationis seu gratiae sanctificantis, ut simus heredes gloriae, ac proinde ut possimus mereri gloriam, seu ut quoddam ad illam habeamus jus. 2.° Debemus mereri gloriam per opera: dicitur enim, *si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* 3.° Una ex causis, cur status gratiae requiritur, est ut opera sint digna praemio; dicitur enim: *Existimo quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Hoc ipsum probatur ex *I Cor.* XIII, 3: "Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest."

822. 2.° *Ex Conc. Tridentino* quod asserit (1): "Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (*I Cor.* XV, 58)." Et inferius, can. 32: "Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum sanctificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae.... A. S." Quare Tridentinum solis justis promittit praemia propter bona opera.

823. 3.° *Ex Propositionibus Baii a Pio V damnatis.* Prop. 13.ª dicit (2): "Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur oboedientia legi." Et 15.ª: "Ratio meriti non consistit in eo, quod, qui bene operatur, habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod oboedit divinae legi." Item 18.ª: "Opera catechumenorum, ut fides et paenitentia ante remissionem pecca-

(1) *Sess.* 6.ª, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(2) Denz.-Bannwart, n. 1013 et sq.

torum facta, sunt vitae aeternae merita: quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur."

824. 4.° *Ex PP.* S. Augustinus inquit (1): "Cui redderet coronam justus judex, si non donasset gratiam misericors Pater? Et quomodo esset ista corona justitiae, nisi praecessisset gratia, quae justificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur?" Et S. Prosper (2): "Justificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo praecedente bono merito, accipit donum, quo dono acquirat et meritum."

5.° *Ratione.* In hac providentia carens gratia sanctificante est Dei inimicus, et meretur a Deo averti in aeternum. Atqui talis homo non potest mereri vitam aeternam; nam poena aeterna aversionis a Deo non admittit jus aeternae possessionis Dei; quum hae duae res, nimirum vita aeterna et poena aeterna simul dari nequeant; et unum, alterum excludit. Dicit (3) S. Thomas: "Dicendum, quod caritas non sufficeret ad merendum bonum aeternum, nisi praesupposita idoneitate merentis, quae est per gratiam; aliter enim dilectio nostra non esset tanto praemio digna."

825. Prob. 2.ª p., seu *ad meritum condignum necesse est hominem pro se ipso mereri* (4).

Nam in S. Scriptura, ubi sermo est de praemio retribuendo, hoc bonis operibus justi pro ipso tribuitur. Sic *Apoc.* XIV, 13, dicitur: "Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos." Et XXII, 12: "Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua." Item ad *Rom.* II, 6: "Qui (Deus) reddet unicuique secundum opera ejus." Similiter *Matth.* XVI, 27: "Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus." Hoc ipsum innuit Tridentinum, quum dicit (5): "Atque ideo bene operantibus *usque ad finem*, et

(1) *De gratia et lib. arbit.*, cap. 6, n. 14 (M. L. 44, 890).
(2) *Responsion. ad capitula gallorum*, cap. 6 (M. L. 51, 161).
(3) *De veritate*, q. 27, a. 2, ad 4.
(4) S. Thomas, *l. c.*, q. 114, a. 6; Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 16; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 4, cap. 1, a. 2, n. 1009.
(5) *Sess. 6*, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).

in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorder promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda" Ubi verbum *ipsorum* manifeste indicat bona opera uniuscujusque.

Ratio vero est, quia Deus voluit, ut opera bona supernaturalia uniuscujusque ad bonum ipsius ordinarentur principaliter. Congruentia vero est, quia gratia sanctificans unicuique pro sua sanctificatione tribuitur, non pro sanctificatione aliorum. Accedit, quia si quis meritum condignum alteri tribueret, se privaret illo merito; quia unum opus bonum non meretur duplex praemium condignum, sed tantum unum.

826. Prob. 3.ª p., seu *in merito condigno quaedam aequalitas inter meritum et praemium requiritur.* Ita communiter theologi; sed aliqui, ut scotistae (1), aequalitatem inter meritum et praemium ex divina promissione repetunt.

Prob. 1.° Hoc videntur probare testimonia ex *Epist. ad Rom.* et ex *Matth.* XVI, 27 antea adducta. Et *I Cor.* III, 8, dicitur: "Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem." Haec autem quamdam aequalitatem inter opera et remunerationem indicare videntur. Item *Sap.* III, 5, habetur: "Quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se." Rursus *II Thess.* I, 5: "Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini." Vita aeterna vocatur etiam corona justitiae *II Timoth.* IV, 8, his verbis: "In reliquio reposita est mihi corona justitiae." Jam vero aliquem esse dignum vita aeterna, deberi illi gloriam ex justitia significant aequalitatem inter meritum et praemium.

2.° *Ratione.* Quia justus per gratiam habitualem constituitur in ordine supernaturali et divino; ac proinde ipsius opera supernaturalia ordinantur ad Deum prout est in se possidendum; quare hoc ipso illius opera habent quamdam proportionem et aequalitatem cum possessione Dei prout est in se. Atque hoc ipsum suadet nomen *meritum condignum* communiter receptum; innuit enim meritum dignum praemio, ideoque cum illo quamdam aequalitatem habens.

(1) Vide Henno, ***De duobus gratiae effectibus***, disp. 2, a. 3, conclus. 2.ª.

COROLLARIUM. Ex textibus S. Scripturae allatis inferri videtur ipsa opera supernaturalia justorum habere ex se quamdam aequalitatem cum praemio; nam asseritur *unicuique reddi secundum opera sua, secundum suum laborem*, praemium *ex justitia tribui* etc.

827. Prob. 4.ª p. seu *requiritur divina promissio* (1). Verum ante probationem notandum est discrimen inter divinam ordinationem et divinam promissionem. Divina ordinatio est directio operum bonorum in finem, sed non necessario importat voluntatem efficacem acceptandi semper opera; promissio vero includit efficacem voluntatem acceptandi semper opera bona seu apta ad praemium; ideoque est voluntas efficax dandi praemium operibus, quae illo sint digna. De facto datur divina promissio remunerandi opera supernaturalia, saltem illa, quae sint elicita aut imperata a caritate. Haec autem divina promissio non est necessaria, ut opera sint digna praemio, sed ut efficaciter recipiatur praemium.

Prob. 1.° *Ex S. Script. Matth.* XX, 2, et sq. dicitur: "Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam... Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo: voca operarios, et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos." *Jac.* I, 12: "Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se." Item *Apoc.* II, 10: "Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae."

2.° *Ex Conc. Tridentino* dicente (2): "Atque ideo bene operantibus *usque in finem* et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda."

3.° *Ex S. Augustino.* Dicit (3) S. Doctor: "Quid debemus Deo, quando totum quod sumus, et quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus... Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti: et hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti."

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 114, a. 1; Suarez, *De gratia*, l. 12, c. 17; B. Bellarminus, *De justificatione*, l. 5, cc. 14 et 17; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 4, cap. 1, a. 2, n. 1010.
(2) *Sess. 6.ª*, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(3) *Sermo 158*, cap. 2, n. 2 (M. L. 38, 863).

Et idem S. Doctor (1): "Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo: non ei dicitur, redde quod accepisti; sed redde quod promisisti."

4.° *Ratione.* Quia Deus, utpote absolutus et supremus omnium Dominus, potest titulo dominii exigere quascumque nostras operationes, nec tenetur eas retribuere. Ergo ut exurgat in Deo obligatio actiones nostras remunerandi, necessaria ipsius promissio est.

828. **5.ª p.** *De necessariis ad meritum congruum* (2). Ut detur meritum congruum, requiruntur omnes conditiones positae pro utroque merito; et praeterea ut meritum sit efficax in actu secundo, necessaria est divina promissio vel saltem acceptatio. Nam, posito merito congruo, non est, unde Deus obligetur ad illud remunerandum, nisi ipse libere velit aut per promissionem positam ante meritum, aut per acceptationem consequentem obligari; quia ex una parte meritum congruum non est aequale praemio, ex altera vero Deus tanquam supremus Dominus potest quaelibet opera exigere, et ea non remunerare. Potest meritum congruum existere sine promissione aut acceptatione divina; quia opera supernaturalia libere posita jam habent de se quamdam convenientiam et congruam exigentiam praemii supernaturalis; posset tamen Deus pro sua voluntate illi convenientiae non satisfacere. Si vero promissio divina detur antecedens meritum, non ideo jam meritum condignum habetur: sic est promissio divina tribuendi gratiam sanctificantem illi, qui ex toto corde se converterit ad Deum, et non propterea convertenti se ex toto corde ad Deum debetur ex condigno gratia sanctificans, sed tantum congruenter et ex fidelitate debetur.

829. SCHOLION I. *Qualis debet esse libertas sufficiens ad meritum* (3). Jam constat ex dictis n. 814 requiri ad meritum libertatem a necessitate seu indifferentiae. Haec autem libertas non debet esse perfectissima; omnes enim admittunt metum gravem, v. gr., mortis, non tollere libertatem sufficientem ad meritum vitae aeternae et augmenti gratiae. Requiritur tamen perfecta

(1) *Enarrat. in Ps.* LXXXIII, n. 16 (M. L. 37, 1068).
(2) S. Thomas, *1.* 2., q. 114, a. 6; Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 32 et sq.
(3) S. Thomas, *De veritate*, q. 26, a. 6, ad 17; Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 3; Salmanticenses, *De merito*, disp. 1, dub. 3; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 4, n. 986 et sq.

deliberatio et libertas, qualis requiritur ad graviter peccandum; quia non minus requiri debet ad peccatum grave committendum, quam ad merendum vitam aeternam et augmentum gratiae. Praeterea meritum est obsequium Deo praestitum; et obsequium postulat perfectam deliberationem et libertatem. Quare imperfecta deliberatio et libertas sicut non sufficiunt ad graviter peccandum, ita sufficere non videtur ad merendum vitam aeternam et augmentum gratiae. Verum sicut mali actus semideliberati et imperfecte liberi sufficiunt ad peccandum venialiter, et ad poenam purgatorii merendam; similiter actus boni supernaturales, sed non perfecte liberi, videntur sufficere ad praemium accidentale merendum.

830. SCHOLION II. *Utrum gratia propter Christum habeat aliquid speciale, quod, secluso Christo, non haberet* (1). Videtur affirmandum ita esse: nam Christus est caput nostrum et nos membra ejus et fratres ejus. Nam ad *Ephes.* IV, 15 et sq. dicitur: "Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate." Et *I Cor.* XII, 27: "Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro." Item *Hebr.* II, 11-12: "Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis." Ex his elucet nos esse Christo conjunctos tanquam corpus et membra suo capiti, esseque illius fratres. Haec autem majorem dignitatem in ordine morali nostris meritis tribuere videntur. Praeterea dictum est (2) esse necessariam promissionem Dei, ut nostra merita sint efficacia in actu secundo et illis debeatur ex justitia remuneratio; haec autem divina promissio majorem obligationem inducere videtur eo, quod propter Christum habeatur, et Christus Deum obligare ad talem promissionem habendam voluerit.

831. SCHOLION III. *De Elia et Enoch.* De his Sanctis Patriarchis, quum adhuc vivant, quaeritur, utrum etiam nunc mereantur. Salmanticenses (3) cum aliis hoc affirmant; sed P. Suarez (4) et plures alii censent memoratos patriarchas a translatione cessasse a merito; sed iterum esse merituros, quum iterum venient ad praedicandum contra Antichristum. Alii, ut Tanner (5), rem ponunt ut dubiam. Ratio Salmanticensium est, quia Elias et Enoch adhuc vivunt, et habent omnes conditiones requisitas ad meritum. Fundamentum aliorum est, quia post translationem sunt in

(1) Suarez, l. 12, *De gratia*, cap. 19; Beraza, *De gratia habituali*, sect. 4, a. 2, n. 1005.
(2) N. 827.
(3) *De merito*, disp. 1, dub. 5.
(4) *De gratia*, l. 12, cap. 15, n. 8 et sq.; cap. 17, n. 9.
(5) *De merito*, disp. 6, dub. 2, n. 45.

statu extra legem communem, et si jugiter usque ad tempora Antichristi mererent, sanctitate ceteros omnes sanctos superarent.

Articulus III

Utrum ad meritum condignum requiratur actus elicitus aut imperatus a caritate

832. Praemitt. 1.° Constat caritatem esse excellentissimam (1) inter virtutes, eamdemque habere principalitatem respectu meriti (2); ideoque quidquid aliis virtutibus per se infusis conveniat in ordine ad meritum, hoc ipsum a fortiori et perfectiore modo conveniet caritati. Quaestio vero est, utrum solus actus caritatis mereat praemia principalia, an saltem actus aliarum virtutum debeant a caritate esse imperati, ut gloriam et gratiae sanctificantis augmentum mereant. Hic actus imperatus a caritate dicitur ille, qui elicitur ex imperio caritatis. Potest elici ab imperio caritatis actuali, aut tantum virtuali. Imperium est actuale, quum actus caritatis re ipsa existens movet ad eliciendum alium actum; et est virtuale tantum, quum actus caritatis jam non existens actu, influit tamen actu, ut alter actus eliciatur. Virtualis etiam aliquando sumitur pro actu caritatis, qui extitit, sed nihil ipsius manet; quamvis potius haec perseverantia est habitualis, quam virtualis. Unde plures dicunt actum caritatis referre omnia in Deum habitualiter, quum omnia ad Deum retulit, sed in praesenti nihil caritatis, nec virtutis manet talis actus. Tamen actus supernaturales hominis justi dicuntur etiam referri ad Deum per suam naturam, quatenus supernaturalitas dicit ordinem ad Deum ut est in se, et ad illum attingendum supernaturaliter seu prout est in se, ordinatur.

833. Praemitt. 2.° *Sententiae theologorum.* Quatuor de hac re praecipue sunt sententiae. Admodum pauci contendunt solum actum a caritate elicitum ab homine justo esse meritorium gloriae et augmenti gratiae. Alii vero volunt ad meritum substantiale requiri imperium caritatis virtuale, seu vere influens virtute in actum imperatum. Tertia sententia solum postulat actum virtu-

(1) S. Thomas, *2. 2.*, q. 23, a. 6.
(2) S. Thomas, *1. 2.*, q. 114, 4.

tum per se infusarum et a caritate distinctarum referri in Deum per actum caritatis, qui aliquando extitit, etsi nunc nihil ipsius manet. Salmanticenses hanc sententiam admittunt (1); immo addunt opera hominis justi etiam absque ullo actu caritatis esse meritoria (2), et paulo inferius asserunt plures Patres Dominicanos ita sentire (3). Denique est quarta sententia, quam defendit Suarez (4) cum multis aliis, docens omnes actus supernaturales hominis justi esse meritorios vitae aeternae et augmenti gratiae; omnes enim isti actus propter eorum supernaturalitatem ad Deum referuntur. Hanc sententiam inter alios tenet S. Franciscus Salesius (5), Capreolus (6), Lugo (Joannes) (7), Oviedo (8), Mastrius (9), Platel (10), Henno (11), Mayr (12), Struggl (13), Beraza (14) aliique.

THESIS I. Ad meritum gloriæ et augmenti gratiæ non opus est, ut actus sit elicitus aut imperatus a caritate

834. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex S. Scriptura.* Ex *Matth.* V, 3, ubi legitur: "Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum caelorum." Et inferius, v. 7: "Beati misericordes, quoniam et ipsi misericordiam consequenter." Et in eodem *Matth.* XIX, 17, Christus dicit cuidam interroganti: "Si vis ad vitam ingredi, serva mandata." Item *I Timoth.* VI, 17 et sq. dicitur: "Divitibus hujus saeculi praecipe... bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam." Jam vero in hisce testimoniis et in aliis, quae afferi possent, promittitur vita aeterna etiam actibus virtutum, qui ex caritate non sunt. Accedit quod in *Ps.* LXI, 13, *Eccli.* XVI, 13, *Matth.* XVI, 27, *Rom.* II, 6, *I Cor.* III, 8, dicitur Deus redditurus esse unicuique secundum

(1) *De merito*, disp. 4, dub. 5.
(2) Eodem loco, dub. 6.
(3) Eodem loco, n. 118.
(4) *De gratia*, l. 12, cap. 9.
(5) *Traité de l'amour de Dieu*, l. 12, cap. 8.
(6) *2. sent.* dist. 40, a. 1, conclus. 2.ª.
(7) *De fide*, disp. 10, s. 4, n. 69.
(8) *De merito, controvers.* 3, punct. 3.
(9) *De justificatione*, q. 9.
(10) *De merito*, n. 645.
(11) *De merito*, disp. 2, a. 2, conclus. 4.
(12) *De merito*, q. unica, a. 4.
(13) *De merito*, q. 2, a. 4.
(14) *De gratia habituali*, sect. 4, n. 992.

opera ejus, et non fit discrimen inter opera caritatis et alia. Ergo omnibus operibus justorum debet respondere praemium vitae aeternae.

835. 2.° *Ex Conc. Tridentino* dicente (1): "Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda." Et can. 32: "Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: A. S." Quae quidem testimonia videntur plane affirmare quaelibet hominis justi bona opera augmentum gratiae et vitam aeternam promereri. Denique Tridentinum, eodem cap. 16, etiam dicit: "Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint sive amissam recuperereverint, proponenda sunt Apostoli verba: *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino* (*I Cor.* XV, 58)."

836. 3.° *Ex PP.* *Auctor libri vocationis gentium* (2) dicit: "Cum implendae voluntatis Dei ita sit praeordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; et qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur." Et S. Augustinus (3): "Etiam vos pro modo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis praedicando; ut unusquisque etiam Paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum effectum suae familiae se debere. Pro Christo et pro vita aeterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat; impendat benevolentiam, exerceat disciplinam." Item S. Gregorius M. (4): "Et

(1) *Sess. 6*, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(2) Cap. 36 (M. L. 51, 721).
(3) *Tract. 51 in Joan.*, n. 13 (M. L. 35, 1768).
(4) *Moral.* l. 4, c. 36, n. 70 (M. L. 75, 677).

quidem apud Patrem mansiones multae sunt, et tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt; quia una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitae."

837. 4.° *Ex D. Thoma.* Dicit (1) S. Doctor: "Actus nostri sunt meritorii, inquantum procedunt ex libero arbitrio moto a Deo per gratiam. Unde omnis actus humanus, qui subjicitur libero arbitrio, si sit relatus in Deum, potest meritorius esse. Ipsum autem credere, est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam; et sic subjacet libero arbitrio in ordine ad Deum; unde actus fidei potest esse meritorius." Et ibidem etiam dicit (2): "Et ideo consideratio scientiae potest esse meritoria, si referatur ad finem caritatis, id est, ad honorem Dei, vel utilitatem proximi." Et alibi (3): "Dicendum, quod meritum fidei consistit in hoc quod homo ex obedientia Dei assentit illis quae non videt."

838. 5.° *Ratione.* Homo per gratiam sanctificantem constituitur in ordine supernaturali et divino, ac proinde ipsius opera supernaturalia, seu quae procedunt ab homine quatenus justo, respiciunt tanquam principium et finem Deum prout est in se; ergo illis operibus respondeat necesse est tanquam praemium, ipse Deus prout est in se.

839. Prob. 2.ª p. Iisdem argumentis primae partis ostenditur; quia neque ex S. Scriptura, neque ex PP., neque ex Tridentino, neque ex natura rei eruitur necessitas talis imperii. Immo Tridentinum videtur tale imperium excludere; nam ad meritum non requirit, nisi opera bona supernaturalia hominis justi.

840. Obj. 1.° *Ex S. Scriptura.* a) *Joan.* XIV, 21, dicitur: "Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum." Et *I Cor.* II, 9: "Sed sicut scripum est: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum." Item *Jac.* I, 12: "Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se." Rursus ad *Rom.* V, 5: "Spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis." Et XIII, 10: "Plenitudo ergo legis est dilectio." b) *Galat.* V, 6: "Nam in Christo Jesu neque circum-

(1) *2. 2.*, q. 2, a. 9.
(2) Ad secundum.
(3) *3. p.*, q. 7, a. 3, ad secundum.

cisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per caritatem operatur." Item *Ephes.* III, 17: "In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere..." Rursus *Coloss.* III, 14: "Super omnia autem haec, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. c) Denique *I Cor.* XIII, initio capitis, expresse affirmatur ceteras virtutes sine caritate *nihil prodesse*. Ergo tot testimoniis adductis pro caritate, indicari videtur caritatem esse necessariam ad omne meritum vitae aeternae.

Resp. Imprimis caritas prae aliis virtutibus commendatur; tum quia peccatorem ad justificationem proxime disponit; tum quia est excellentissima virtutum; tum quia justum magis directe, immediate et excellentiore modo unit cum Deo. Ad singula respondetur.

Ad a). Testimonia ibi adducta, et etiam alia sub aliis litteris, commendant quidem caritatem, et innuunt actum caritatis habere vim specialem ad merendum; verum nullo modo excludunt actus aliarum virtutum per se infusarum esse meritorios.

Ad b). Etiam ibi innuitur specialis vis caritatis ad merendum, et item significatur caritatem modo peculiari concurrere ad res divinas capiendas, et ad tendendum in perfectionem.

Ad c). Apostolus asserit sine caritate non prodesse alias virtutes; quia si caritas habitualis non habeatur, nec gratia sanctificans habetur, quae est omnino necessaria ad meritum condignum. Posset etiam dici gratiam sanctificantem non haberi, si aliae virtutes per se infusae, non habeantur licet maneant fides et spes; verum Apostolus de caritate prae aliis virtutibus mentionem facit; quia caritas est praecipua inter omnes virtutes, et magis nota quam virtutes morales per se infusae.

Id, quod ad finem infertur, negatur omnino, et constat ex dictis negandum esse. Hic addo Christum in judicio universali non esse de caritate in Deum locuturum; dicit enim in *Matth.* XXV, 34 et sq., illis, qui a dextris erunt: "Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, collegistis me: nudus, et cooperuisti me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venisti ad me." In quibus nihil expresse de caritate in Deum habetur.

841. Obj. 2.° *Matth.* XIX, 29, et *Luc.* IX, 48, et alibi, Christus promittit praemium, si opera fiant propter nomen ejus, in nomine ipsius. Ergo opera, ut sint meritoria, opus est, ut ex caritate fiant. Accedit quod apud *Matth.* X, 40, assignatur diversum praemium operi, prout istud fiat in nomine vel Christi, vel prophetae, vel justi, vel discipuli. Ergo nisi opus fiat in nomine Christi, non illi praemium vitae aeternae respondet.

Resp. Imprimis testimonia objecta non faciunt sensum exclusivum; quare etiamsi accipiantur de operante per caritatem, non infertur actibus aliorum virtutum praemium vitae aeternae non respondere. Denique quicumque opus virtutis supernaturalis operatur, recte dici potest agere propter Deum et propter Christum et in nomine Christi; tum quia opus illud tendit in gloriam Dei et Christi; tum quia est opus, saltem implicite, a Christo commendatum; Christus enim exhortatus est homines ad omnes virtutis actus (*Matth.* XIX, 17). Ad aliud, quod additur, dicendum actum virtutis perfectiorem mereri vitam aeternam perfectiore modo, et minus

perfectum, dummodo sit supernaturalis et cum ceteris requisitis ad meritum de condigno, mereri etiam vitam aeternam, sed cum minore perfectione.

842. Obj. 3.° Meritum soli caritati tribuere videtur S. Augustinus. Dicit (1) enim: "Et per hoc disce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonae, hoc est, ejus quae per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum." Et alibi (2): "Haec omnia praecepta dilectionis, id est, caritatis, quae tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene."

Resp. S. Augustinus in locis adductis et in aliis sumit caritatem aut pro caritate habituali, aut sensu lato, pro amore honestatis, non pro caritate stricte sumpta. Caritatem quidem habitualem constat esse necessariam ad meritum. Si vero caritas sumitur pro amore virtutis seu honestatis, saltem implicite conducit ad Deum; aliter enim ceterae virtutes essent vitia, quia impedirent meritum et in peccatum inducerent. Profecto S. Augustinus alias virtutes laudat, et valde laudat. Sic dicit (3): "Est virtus animi res laudabilis, prudentia bona et mala discernens, justitia sua cuique distribuens, temperantia libidines cohibens, fortituto molestias aequanimiter sustinens. Magna res, laudabilis res..." Et alibi (4): "Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverunt, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utique ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se praebens ei quod amatur; fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur; justitia, amor soli amato serviens, et propterea recte dominans; prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summae sapientiae, summaeque concordiae. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem..." S. Augustinus his verbis non identificat caritatem cum virtutibus moralibus; nam pro singulis virtutibus moralibus motivum speciale ponit, et asserit *vario affectu* constare. Docet vero has virtutes esse *amorem Dei*, summi boni; quia per actus diversi speciei revera ad summum bonum consequendum conducunt (5). Vide ea, quae de hac re supra dicta sunt (6).

843. Obj. 4.° S. Thomas dicit (7): "Quantitas meriti ex duobus potest pensari. Uno modo ex radice caritatis et gratiae; et talis quantitas meriti respondet praemio essentiali, quod consistit in Dei fruitione; qui

(1) *Contr. Julianum*, l. 4, cap. 3, n. 33 (M. L. 44, 755).
(2) *De gratia et liber. arbitr.*, c. 18, n. 37 (M. L. 44, 903).
(3) *Sermo 150*, cap. 8, n. 9 (M. L. 38, 812).
(4) *De moribus Ecclesiae cath.*, c. 15, n. 25 (M. L. 32, 1322).
(5) Vide *Dictionaire de Théologie catholique*, art. *Augustin (Saint)*, col. 2436.
(6) Disp. 3, cap. 3, a. 6, n. 736. Vide etiam S. Augustinum in *Psal.* 34, serm. 2, n. 16 (M. L. 36, 341).
(7) *S. p.*, q. 95, a. 4.

enim ex majori caritate aliquod facit, perfectius Deo fruitur. Alio modo pensari potest quantitas meriti ex quantitate operis; quae quidem est duplex, scilicet absoluta, et proportionalis... Utraque tamen quantitas meriti respondet praemio accidentali, quod est gaudium de bono creato." Et idem S. Doctor dicit (1) etiam: "Et ideo meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur." Ergo ad meritum secundum S. Thomam requiritur saltem imperium caritatis.

Resp. In primo loco, S. Thomas loquitur de caritate habituali, ut est manifestum ex corpore articuli et ex difficultatibus. Quod additur *de quantitate operis* refertur ad opera externa, quibus, si considerentur independenter ab opere interno, non respondet nisi praemium accidentale (2).

Testimonium secundo loco objectum videtur accipiendum de imperio sensu lato acceptum. Actus vero quilibet supernaturalis sensu lato dici potest imperatus, si actus supernaturalis sit hominis justi; nam omnis actus ita elicitus, ex se jam ordinatur in finem ultimum supernaturalem; et aliunde in eumdem finem ex parte operantis ordinari censetur. Nam, quum operans sit justus, ac proinde constituerit suum ultimum finem in Deo, in hunc finem referre existimatur omnia ipsius opera in talem finem referibilia. Quare, quum proprium sit caritatis omnia ordinare in Deum et velle propter ipsum, non immerito omnia opera supernaturalia hominis justi a caritate imperari dicuntur, eo quod in Deum ordinantur. Jam S. Thomas, quum asserit opera meritoria oportere a caritate imperari, ipse solum contendere videtur ea opera esse supernaturalia et hominis justi, seu dirigi in Deum ex parte operis, et etiam aliquo modo ex parte operantis. Hoc jam erui videtur ex testimoniis allatis n. 843. Sed praeterea id ipsum aliis testimoniis confirmatur.

Dicit (3) S. Thomas: "Nullus autem eorum (actus), qui voluntatem deliberatam sequitur indifferens erit, sed de necessitate vel bonus vel malus bonitate vel malitia civili; sed tamen actus bonitate civili perfectus non est susceptibilis efficaciae merendi nisi in eo qui gratiam habet; et ideo in eo, qui caret gratia indifferens est ad meritum vel demeritum; sed in illo qui gratiam habet, oportet vel meritorium vel demeritorium esse; quia sicut malus erit demeritorius, sic etiam bonus erit meritorius; quia quum caritas imperet omnibus virtutibus sicut voluntas omnibus potentiis, oportet quod quidquid ordinatur in finem alicujus virtutis, ordinetur in finem caritatis; et quum omnis actus bonus ordinetur in finem alicujus virtutis, in finem caritatis ordinatus remanebit, et ita meritorius erit; et sic comedere et bibere, servato modo temperantiae, et ludere ad recreationem, servato modo eutrapeliae, quae medium tenet in ludis, meritorium erit in eo qui caritatem habet, qua Deum ultimum finem vitae suae constituit."

Dicit (4) quoque ipse S. Doctor: "Manifestum est autem quod actus

(1) *1. 2.*, q. 114, a. 4.
(2) Vide *De viritate*, q. 26, a. 6, ad 8.
(3) *2. dist.* 40, q. 1, a. 5.
(4) *Quaest. disput., de caritate*, a. 3.

omnium aliarum virtutum ordinatur ad finem proprium caritatis, quod est ejus objectum, scilicet summum bonum. Et de virtutibus quidem moralibus manifestum est: nam hujusmodi virtutes sunt circa quaedam bona creata, quae ordinantur ad bonum increatum sicut ad ultimum finem. Sed de virtutibus aliis theologicis idem manifestum est: nam ens increatum est quidem objectum fidei, ut verum, et in quantum est appetibile, habet rationem boni; et sic tendit fides in ipsum, in quantum est appetibile, quum nullus credat nisi volens; spei autem objectum licet sit ens increatum, in quantum est bonum, tamen dependet ab objecto caritatis: est enim bonum, objectum spei, in quantum est desiderabile et consequibile; nullus enim desiderat consequi aliquod bonum nisi per hoc quod amat ipsum. Unde manifestum est quod in actibus omnium virtutum est formale id quod est ex parte caritatis; et pro tanto dicitur forma omnium virtutum, in quantum scilicet omnes actus omnium virtutum ordinantur in summum bonum amatum, ut ostensum est... Et hinc etiam apparet, quomodo caritas sit motor omnium virtutum; in quantum scilicet importat actus omnium aliarum virtutum. Omnis virtus vel potentia superior dicitur movere per imperium inferiorem, ex eo quod actus inferioris ordinatur ad finem superioris; sicut aedificativa imperat caementariae, eo quod actus caementariae artis ordinatur ad formam domus, quae est finis aedificativae; unde quum omnes aliae virtutes ordinentur ad finem caritatis, ipsa imperat actus omnium virtutum, et ex hoc dicitur motor earum. Et quia mater dicitur quae in se accipit et concipit; ideo dicitur caritas mater omnium virtutum, in quantum ex conceptione sui finis producitur actus omnium virtutum; et eadem etiam ratione dicitur radix virtutum." Ex his igitur manifestum videtur S. Thomam non asserere caritatem imperare actus aliarum virtutum, quatenus actus caritatis aut formalis, aut virtualis, aut habitualis sit forma imperans actus aliarum virtutum; sed quatenus aliae virtutes intrinsece et ex se in finem caritatis ordinantur, sicut caementaria ex se in finem aedificativae ordinatur (1).

844. Obj. 5.° Caritas est regina virtutum omnium, ceterae vero sunt ancillae. Ergo si caritati respondet tanquam praemium vita aeterna, non est aequum, ut ceteris virtutibus respondeat idem praemium.

Resp. Illa comparatio non est nisi quaedam similitudo, quae multum a perfecta paritate distat: nam omnes virtutes per se infusae sunt ejusdem ordinis supernaturalis, et ideo omnes in Deum ordinantur, licet caritas modo perfectiore. Unde in justo augmentum gratiae et gloriae respondet omnibus actibus supernaturalibus, licet actibus caritatis idem praemium perfectiore modo respondeat.

(1) Vide etiam *I. 2.*, q. 21, a. 4; q. 65, a. 2; q. 114, a. 3; *2. 2.*, q. 83, a. 13; *De caritate*, a. 11, ad 2. 3; *In 2.*, dist. 40, a. 5, ad 3 et 6.

THESIS. Omnes actus liberi et supernaturales hominis justi sunt proprie meritorii

Haec sententia probabilior et communior videtur.

845. Prob. Nam Conc. Tridentinum (1) ad rationem meriti proprie talis nihil amplius requirit. Praeterea argumenta adducta ad probandum non esse necessarium, ut detur actus caritatis ad verum meritum, probant quoque omnes actus liberos et supernaturales justi esse vere meritorios.

846. SCHOLION. **Utrum omnes actus boni et liberi hominis justi sint meritorii.**

Praenotandum 1um Ut haec quaestio solvatur nonnullas notiones philosophicas circa objecta intellectus et voluntatis repetere oportet. Dicitur objectum materiale illud in quod facultas tendit; sicut in fide est res, quae creditur. Objectum vero formale est ratio, cur objectum materiale admittitur. Objectum formale subdividitur in objectum formale *quod*, et objectum formale *quo*. Dicitur objectum formale *quod*, id propter quod objectum materiale admittitur. Ita in actu fidei objectum formale *quod* est auctoritas Dei revelantis; et objectum formale *quo* est cognitio proponens rem credendam; et potest etiam dici objectum formale *quo* actus voluntatis imperans assensum fidei. Omnes theologi consentiunt objectum materiale posse esse idem respectu actus supernaturalis et naturalis; et omnes etiam videntur consentire objectum formale *quo* esse diversum respectu actus supernaturalis et naturalis; ideoque in actu supernaturali esse supernaturale, in actu naturali naturale. Quaestio est respectu objecti formalis *quod*. Plures theologi, ut Lugo (Joannes) (2), Ripalda (3), Wirceburgenses (4), aliique, sentiunt objectum *formale quod* posse esse idem respectu actus naturalis et supernaturalis.

Inter recentiores tenent hanc sententiam Card. Billot (5), Van der Meersch (6), aliique. Atque haec sententia videtur pro-

(1) *Sess. 6*, cap. 16, et can. 32, allatis n. 835.
(2) *De fide*, disp. 1, sect. 8, n. 147 et sq.
(3) *De ente supernaturali*, l. 3, disp. 45.
(4) *De virtutibus*, disp. 1, cap. 1, a. 2, n. 15 et sq.
(5) *De merito*, thes. XX, § 2.
(6) *De merito*, cap. 2, a. 2, n. 377.

babilior, et est omnino apta, ut defendatur in justis omnia opera bona esse supernaturalia et meritoria. Nam hoc modo etiam objecta virtutum naturalium attinguntur a virtutibus per se infusis, et sic omnis actus virtutis fit a virtutibus per se infusis, et est supernaturalis, et consequenter est meritorius de condigno in homine justo. Hoc vero est valde congruum, ne justi fere inutiliter recte agant, et ut semper ac agunt secundum motiva tantum naturaliter honesta, agant meritorie.

847. Praenotandum 2um Dictum est omnes actus justi supernaturales esse meritorios; hic ulterius quaeritur, utrum omnia opera bona et libera hominis justi sint meritoria. Multi theologi hoc negant; sed plures etiam affirmant cum Vazquez (1), Valentia (2), Salmanticensibus (3) aliisque, et inter recentiores hanc sententiam tenent Card. Billot (4), Van der Meersch (5) aliique. Et haec sententia videtur probanda ut probabilior, et verior.

THESIS. Omnes actus boni et liberi hominis justi sunt meritorii

848. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Omnem actum bonum et liberum hominis justi esse meritorium videntur probare testimonia S. Scripturae allata supra (6); quibus videntur accipi ut meritoria, omnia opera bona justorum. Et ad *Philipp.* IV, 8, dicitur: "De cetero fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate." His autem verbis Apostolus ita omnia opera bona commendare videtur, ut illa habeat ut meritoria; aliter enim philippenses in opera fere inutilia pro salute induceret.

Hoc ipsum Conc. Tridentinum probare videtur in locis supra (7) adductis.

849. 2.° *Ex S. Augustino et S. Thoma.* S. Augustinus dicit (8): "Tota die Deum laudare quis duret? Suggero remedium,

(1) In *1. 2.*, disp. 217, cap. 2 et sq.
(2) In *1. 2.*, disp. 8, q. 6, punct. 3, § incipiens *Ex quo intelligitur*.
(3) *De merito*, disp. 4, dub. 5 et 6. Hi auctores pro hac sententia afferunt Capreolum, Cajetanum, Sotum, Ludovicum Granatensem aliosque, loco citato, nn. 73 et 118.
(4) Loco antea citato.
(5) Loco antea citato, n. 380.
(6) N. 834.
(7) *Sess. 6*, cap. 16, et can. 32, supra in n. 835.
(8) *Enarratio* in *Ps. XXXIV*, n. 16 (M. L. 36, 311).

unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. Quando cantes hymnum, laudas Deum: lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli inebriari, et laudasti Deum. Discedis ut dormias? Noli surgere ad malefaciendum et laudasti Deum. Agrum colis? Noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum praepara te ad laudandum Deum tota die." His verbis S. Augustinus laudat quaecumque opera bona; ideoque illa meritoria esse agnoscit, secus laudaret opera parum utilia, vel fere inutilia respectu salutis. Et idem S. Doctor dicit (1): "Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt."

S. Thomas inquit (2): "Ex quo patet quod non omnis humanus actus, etiam in singulari consideratus, est meritorius vel demeritorius, licet omnis sit bonus vel malus. Et hoc dico propter eos qui caritatem non habent, qui mereri non possunt. Sed habentibus caritatem omnis actus est meritorius vel demeritorius." Et hoc affirmat in testimonio allato supra (3). Confirmatur etiam ex difficultate undecima ex q. 2, *De malo*, a. 5, quae approbatur in responsione ad ipsam. Et alibi dicit (4): "Actus matrimonialis semper est peccatum vel meritorius in eo qui gratiam habet. Si enim ad actum matrimonialem virtus inducat, vel justitiae, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius." Ubi manifeste probatur actum justi esse meritorium, si ex aliqua virtute fiat.

850. 3.° *Ratione.* Quia videtur omnino congruum justos, quum recte operantur, re ipsa in suum ultimum finem tendere illumque lucrari, et non inutiliter agere respectu consecutionis ultimi finis. Aliter multa opera recta justorum non eos conducerent ad suum finem ultimum; quod quidem non videtur conveniens, praesertim quum saepe sit moraliter illis impossibile ex motivo supernaturali agere.

Dices 1.° Ut actus sit meritorius, debet esse supernaturalis, ut dictum est supra (5): Atqui plures justorum actus boni sunt naturales. Ergo non sunt meritorii.

(1) *Epist, 194 ad Sixtum*, cap. 3, n. 6 (M. L. 33, 876).
(2) *De malo*, q. 2, a. 5, ad 7.
(3) N. 843, ex 2. dist. 40, a. 5.
(4) 4. dist. 26, q. 1, a. 4.
(5) N. 815.

Resp. Conc. maj. et neg. min. Ratio est, quia justis simul cum gratia justificante vel sanctificante infunduntur omnes virtutes, et idcirco in illis pro singulis objectis honestis est aliqua virtus per se infusa, quae operatur semper ac illi offertur objectum honestum, quod illi respondeat et consequenter elicit actum supernaturalem. Nam, ut jam in praenotandis indicatum est, virtutes per se infusae se extendunt quoque ad objecta naturaliter honesta, ut plures theologi defendunt: et horum sententiam, Deo dante, in *Tractatu de virtutibus in genere* defendam. Quod si ex hoc sequatur virtutes acquisitas in justis non posse operari, dicendum illas operari per alias virtutes excellentiores. P. Ripalda admittit (1) dari simul actum supernaturalem et naturalem, et hoc non solum justis concedit, sed etiam aliis.

Dices 2.° Pius VI in damnatione propositionis 24 Synodi Pistoriensis in justis videtur agnoscere opera mere naturalia, ideo non meritoria. Dicitur enim in damnata propositione (2): "Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii, a natura ipsa insiti suapte natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei* (Ex S. Augustino, *De spiritu et littera*, cap. 28); perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur*, non daretur *dilectio humana licita quae non reprehenditur* (ex S. Augustino, *serm.* 349 *de carit.*): falsa, aliàs damnata."

Resp. Pius VI in damnatione memoratae propositionis damnat ceteros actus praeter caritatem stricte talem esse illicitos et malos, et asserit dari actus licitos et rectos, qui non sunt caritas proprie talis. Pontifex indiscriminatim loquitur de justis et de peccatoribus, et nullo modo affirmat opera licita et honesta naturae conformia in justis esse mere naturalia.

Dices 3.° S. Augustinus ait (3): "Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros... Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, judaeorum, haereticorum." Ergo S. Augustinus indicat justis dari posse actus bonos mere naturales, et ideo non meritorios.

Resp. Conc. ant. et nego cons. S. Augustinus quidem praeter caritatem proprie talem admittit alios actus licitos et rectos; sed utrum in justo isti actus sint supernaturales, necne, non affirmat expresse, neque negat.

(1) *De ente supernaturali*, L. 1, disp. 20, s. 2 et sq.
(2) Denz.-Bannwart, n. 1524.
(3) *Serm.* 349, cap. 2, n. 2 (M. L. 39, 1530).

Articulus IV

Rejiciuntur nonnullæ conditiones tanquam non necessariæ ad meritum (1)

851. Praemitt. Aliquis negavit facere rem praeceptam esse meritorium; sed theologi communiter tenent contrarium, et hoc quidem certum est. Calvinus, ut asserit B. Bellarminus (2), aliquo modo improbavit agere intuitu praemii; verum ita agere non impedit praemium, licet non sit necessarium ad illud; est tamen sufficiens ad praemium, si talis intentio sit supernaturalis et in homine justo. Agetur hic etiam, utrum opus debeat esse omnino nostrum, ut sit meritorium.

THESIS I. Opera præcepta sunt etiam meritoria; neque ad hoc, ut sint meritoria ita debent esse nostra, ut nullo modo sint Dei

Utraque pars theseos est omnino certa.

852. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex S. Scriptura.* Apud *Matth.* XIX, 17, legitur: "Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata." Et apud *Eccli.* XXXI, 10 et sq.: "Qui potuit transgredi, et non est transgressus... ideo stabilita sunt bona illius in Domino." In his locis observatio praeceptorum ponitur meritorium vitae aeternae.

2.° *Ex Conc. Tridentino* dicente (3): "Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint (*Apoc.* XIV, 13), consequendam vere promeruisse censeantur..."

3.° *Ratione.* Quia opera praecepta possunt cum omnibus conditionibus ad meritum etiam de condigno requisitis elici; nimirum ab homine viatore et justo, itemque libere et supernaturaliter a-

(1) Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. V et XII; B. Bellarminus, *De justificat.*, L. V, cap. 8.
(2) Loco proxime citato.
(3) *Sess.* 6.ª, cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).

gente et praestando verum obsequium Deo in ipsius gloriam et honorem. Immo praeceptum non modo non impedit rationem meriti, sed potius illam auget, quum faciat, ut addatur operi ratio oboedientiae. Accedit quod meritum est stimulus ad praecepta servanda.

853. Prob. 2.ª p. Nam si ad meritum necessarium esset, ut opera ita essent nostra, et nullo modo essent Dei, nullum meritum esset possibile; omnia enim opera hominum necessario etiam Dei esse debent; immo nec Christus ut homo mereri potuisset, quum omnia ipsius essent quoque Dei.

THESIS II. Intentio meriti vel præmii non impedit meritum; sed potest esse sufficiens ad illud, licet non sit necessaria

Prima pars hujus theseos est saltem omnino certa; 2.ª pars est communior et fere certa, et tertia est ab omnibus recepta.

854. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex S. Scriptura. Ps.* CXVIII, 112, dicitur: "Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum, propter retributionem." Et *Eccli.* XVIII, 22: "Et ne verearis usque ad mortem justificari; quoniam merces Dei manet in aeternum." Et *Matth.* VI, 33: "Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis." Item ad *Coloss.* III, 23 et sq.: "Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus: scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis." Denique *Hebr.* XI, 26, dicitur de Moyse: "Majores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem." Omnibus his testimonius approbatur non esse impedimentum pro merito intentionem mercedis recipiendae.

2.º *Ex Conc. Tridentino.* Dicit (1) enim: "Cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam..." Et can. 31: "Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur: A. S."

3.º *Ratione.* Quia regnum Dei seu vita aeterna est finis ultimus hominis. Quaerere autem ultimum finem est res omnino honesta. Ideoque non opponitur merito; quia quod est conforme

(1) *Sess.* 6., cap. 11 (Denz.-Bannwart, n. 804).

naturae humanae, non potest opponi fini ultimo ipsius. Neque amor Dei quatenus est summum bonum nostrum opponitur amori Dei propter se ipsum, ut summum bonum ipsi Deo.

855. Prob. 2.ª p. Nam *Ps.* CXVIII, 112 approbat agere propter retributionem; et in *Matth.* VI, 33 praecipitur quaerere regnum Dei; et idcirco dicendum est intentionem agendi intuitu meriti sufficere ad meritum. Et hoc ipsum ostenditur; quia amare Deum ut summum bonum pro nobis est actus honestus; et supra (1) ostensum est omnem actum honestum hominis justi esse supernaturalem et meritorium.

856. 3.ª p. Quia probatum est (2) omnes actus honestos hominis justi esse supernaturales, et ad hoc sufficit eos esse actus bonos moraliter, et sunt boni moraliter omnes actus, qui sint alicujus virtutis.

857. Obj. 1.° Apud *Luc.* XVII, 10, legitur: "Sic et vos quum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus." Ergo opera praecepta non sunt meritoria.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam in allato testimonio minime asseritur opera praecepta non esse meritoria; sed ea non afferre Deo utilitatem, quemadmodum non afferunt illi utilitatem opera consilii; Deus enim nullum ex nostris operibus capit commodum. Unde opera nostra sunt meritoria apud Deum ex eo, quod sunt obsequia Deo praestita illique honorem et gloriam externam offerentia. Hoc vero non minus convenit operibus praeceptis, quam illis, quae sunt consilii.

858. Obj. 2.° Servus non meretur apud dominum exequendo praecepta ipsius, nec debitor per solutionem debiti. Ergo a fortiori neque homo apud Deum meretur per impletionem praeceptorum.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Disparitas stat in hoc, quod meritum inter homines computatur ratione utilitatis aut commodi, quod affert; servus autem aut debitor praestando servitium aut solvendo debitum non afferunt nisi utilitatem jam aliunde debitam, quaeque proinde non postulat retributionem. E contra Deus bona opera non propter sui utilitatem aut commodum retribuit; sed quia bona opera libere posita redundant in ipsius laudem et gloriam. Et hoc omnino convenit operibus bonis praeceptis, et ita a Deo retribuenda sunt.

(1) N. 846 et sq.
(2) N. 845 et sq.

Articulus V

Utrum detur meritum de condigno et de congruo (1)

859. Praemitt. Novatores meritum proprie tale negant; et Lutherus debet negare, quum asserat justos in omni opere peccare. Calvinus, ut dicit B. Bellarminus (2), non discrepat a Luthero, nisi in modo loquendi. Alii ex novatoribus, teste eodem B. Bellarmino, aliquo modo meritum admiserunt, sed non vitae aeternae, neque ex dignitate operum. Doctrina vero catholica et de fide est dari verum meritum. Haec res jam tractata est supra (3), sed ibi de hac re actum est tanquam corollarium ex hoc, quod in singulis operationibus ad meritum non sit necessaria neque caritas actualis, neque virtualis.

THESIS I. Admittendum est verum meritum in hominibus justificatis, et quidem de condigno

Prima pars theseos, ut jam indicatum est, tenenda est de fide; dari vero meritum de condigno est doctrina communis theologorum.

860. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex S. Scriptura.* Ex *Prov.*, ubi legitur XI, 18: "Seminanti autem justitiam merces fidelis." Et in *Eccli.* XVI, 15: "Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.." Item in *Matth.* V, 12: "Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis." Rursus *I Cor.* III, 8: "Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem." Denique *Apoc.* XXII, 12: "Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua."

861. 2.° *Ex Conciliis.* Conc Arausicanum II dicit (4): "Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant." Item

(1) Suarez, *De gratia*, L. 12, cap. 1; B. Bellarminus, *De justificatione*, cap. 2 et sq.; Beraza, *De merito*, cap. 2.
(2) Loco proxime citato, cap. 1.
(3) *Art. 3*, n. 845 et sq.
(4) Can. 18 (Denz.-Bannwart, n. 191).

Conc. Lateranense IV (1): "Venturus (Christus) in fine saeculi, judicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis." Et inferius: "Non solum autem virgines et continentes, verum etiam conjugati, per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem pervenire." Et Conc. Florentinum de animabus jam plene purgatis statuit (2): "In caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius." Denique Conc. Tridentinum eam doctrinam tradit (3), et in canone 32 definit: "Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: A. S."

862. 3.° *Ex PP.* S. Irenaeus dicit (4): "Bonus igitur agonista (S. Paulus, *I Cor.* IX, 24 et sq.) ad incorruptelae agonem adhortatur nos, uti coronemur, et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quae per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam." Et S. Gregorius Nyssen. (5): "Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis qui boni benignique fuerint, atque optime vitam egerint, summa et perpetua quies tribuitur in regno caelesti: inhumanis autem et improbis ignis supplicium, idque sempiternum." Item S. Joannes Chrysostomus (6): "Ambo (justus et impius) siquidem pro dignitate recipient illic, hic quidem coronas patientiae et tolerantiae, ille vero supplicia poenasque improbitatis." Rursus S. Cyprianus (7): "Justitia opus est ut promereri quis possit Deum judicem: praeceptis ejus et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita mercedem." Denique S. Augustinus (8): "Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum a quibus in hac vita ejusdem mercedis meritum comparentur."

(1) Cap. *Firmiter* (Denz.-Bannwart, nn. 429 et sq.).
(2) *Decreto unionis cum graecis* (Denz.-Bannwart, n. 693).
(3) *Sess. 6*, cap. 16.
(4) *Contr. haereses*, l. 4, cap. 38, n. 7 (M. G. 7, 1104).
(5) *Orat. 1.ª, de pauperibus amandis* (M. G. 46, 462).
(6) *De Lazaro*, conc. 4, n. 2 (M. G. 48, 1008).
(7) *De unitate Ecclesiae*, n. 15 (M. L. 4, 511).
(8) *De perfectione justitiae*, c. 8, n. 17 (M. L. 44, 299).

863. 4.° *Ratione.* Nam in operibus supernaturalibus hominis justi habentur omnia requisita ad meritum, ut constat ex supra dictis (1); ideoque sunt meritoria. Praeterea homo justus ratione gratiae sanctificantis constituitur in statu supernaturali et habet jus ad finem supernaturalem, et per ipsam gratiam ad illum ordinatur; quocirca opera supernaturalia ipsius ad Deum possidendum ordinantur, et re ipsa exigunt Deum prout est in se. Ergo revera merentur finem ultimum, quum hoc exigant et ad hoc ordinentur; et aliter justus per opera in finem supernaturalem ordinata in illum non tenderet, neque ratione meriti, neque alia ratione.

864. Prob. 2.ª p., seu *datur meritum de condigno.*

1.° Id probant testimonia Scripturae adducta supra(2), ex quibus duo seligo. *II Thess.* I, 5, dicitur: "Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini." Et *II Tim.* IV, 8: "In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus." Reddere vero praemium, quia praemiandi sunt digni, eo quod ex justitia illis debetur, significat praemium ex condigno deberi (3).

865. 2.° *Ex Conc. Tridentino, PP. et S. Thoma.* Conc. Tridentinum reprobat (4) eos, qui asserunt non *vere mereri;* ideoque meritum est vere tale, et consequenter ex condigno. S. Augustinus inquit (5): "Et verum est; quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiae tanquam stipendium vita aeterna." Et S. Hilarius (6): "Regnumque Dei vitae nostrae stipendiis quaeramus. Et haec recte perfecteque viventium merces est, ut in novam caelestem substantiam ex hac corruptibilis corporis materia transferantur..." Item S. Basilius (7): "Quotquot igitur evangelicam viam ambulamus, mercatores sumus, observandis praeceptis comparantes nobis caelestium possessionem." Denique ex S. Thoma dicente (8): "Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitae aeternae ex condigno."

(1) N. 811 et sq.
(2) N. 826, a. 2.
(3) Vide definitionem praemii vel meriti condigni, a. 1, n. 810.
(4) *Sess. 6,* can. 32 (Denz.-Bannwart, n. 842).
(5) *Epist. 194 ad Sixtum,* cap. 5, n. 20 (M. L. 33, 881).
(6) In *Matth.* V, n. 12 (M. L. 9, 949).
(7) *Homil. in principium Proverb.,* n. 16 (M. G. 31, 419).
(8) *1. 2., q. 114, a. 3.*

866. **3.°** *Ratione.* Nam, sicut dictum est in argumento rationis primae partis, homo justus per gratiam sanctificantem constituitur in ordine supernaturali, et ad finem supernaturalem ordinatur; ideoque operibus supernaturalibus respondet vita aeterna, quae ab illis exigitur, et sic de condigno.

THESIS II. Homo potest quoque de congruo apud Deum mereri

Aliqui theologi meritum congruum aliquo modo negasse videntur (1); verum a theologis communiter tale meritum admittitur.

867. **Prob. 1.°** In *S. Scriptura* Eleemosynae (*Dan.* IV, 24), jejunio (*Jon.* III, 5 et sq.), orationi (*Bar.* II, 14 et sq.) aliisque bonis operibus tribuitur liberatio a peccato. Ergo his operibus aliquo modo respondet liberare a peccato; sed hoc non potest esse de condigno, quum ad meritum condignum status gratiae requiratur: ideoque erit meritum congruum.

868. **2.°** *Ex PP.* S. Ambrosius inquit (2): "Flevit ergo et amarissime Petrus, flevit ut lacrymis suum posset lavare delictum: et tu si veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam." Et S. Augustinus de ninivitis dicit (3): "De incerto paenitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt." Idem S. Augustinus etiam dicit (4): "Quis autem dicat eum qui jam coepit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?"

869. *Ex Conc. Tridentino.* Juxta hoc Concilium (5) dantur plures actus, qui hominem disponunt et praeparant ad justificationem. Atqui hujusmodi actus habent veram rationem meriti congrui eo ipso, quod sunt positiva dispositio et praeparatio ad gratiam sanctificantem; nam dispositio et praeparatio ad aliquid exigit aliquo modo illud ad quod disponit et praeparat; haec autem exigentia, si de actibus liberis agatur, non potest rationem meriti saltem congrui non habere.

Hoc ipsum confirmatur. Nam homo peccator de condigno mereri non potest, quum gratiam sanctificantem non possideat; po-

(1) Vide Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 32.
(2) *In Lucam*, l. 10, n. 90 (M. L. 15, 1919).
(3) *Enarratio in Ps. L*, n. 11 (M. L. 36, 592).
(4) *De praedestin. sanctorum*, n. 4 (M. L. 44, 962).
(5) *Sess. 6*, cap. 6.

test vero ponere actus habentes omnes conditiones ad meritum congruum requisitas.

870. Obj. 1.° In *Ps.* CIV, 4, legitur: "Qui coronat te in misericordia et miserationibus." Et ad *Rom.* VI, 23: "Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro." Ergo meritum non est admittendum.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam in neutro ex duobus textibus allatis negantur merita; sed utroque innuitur nostra merita fundari in gratia, cujus initium est omnino gratuitum, et gratia sanctificans primo infusa non infunditur propter meritum proprie tale. Unde recte dicit S. Augustinus (1): "Ubi cum posset dicere (Apostolus), et recte dicere, stipendium autem justitiae vita aeterna: maluit dicere, *gratia autem Dei, vita aeterna*: ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo ejus animae suae: *Qui coronat te in miseratione et misericordia* (*Ps.* CII, 4). Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est, *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari, pro bona voluntate;* ideo dixit Psalmus, *coronat te in miseratione et misericordia*: quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur." Et ipse S. Augustinus etiam dicit (2): "Sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam aeternam vocari, quia his meritis redditur, quae gratia contulit homini."

871. Obj. 2.° In *Job.* XXXV, 7, dicitur: "Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?" Et *Is.* LV, 1: "Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac." Item *Dan.* IX, 18: "Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis." Ex his textibus merita apud Deum admittenda non videntur.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Textus Job sic a S. Thoma declaratur (3): "Dicendum, quod Deus ex bonis nostris non quaerit utilitatem, sed gloriam, id est manifestationem suae bonitatis, quod etiam ex suis operibus quaerit. Ex hoc autem quod eum colimus, nihil ei accrescit, sed nobis: et ideo meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed inquantum propter ejus gloriam operamur." Textus Isaiae videtur significare dona gratiae gratis communicari, licet nostram cooperationem requirant. Denique Daniel orat pro remissione delictorum populi sui, et ideo ad misericordiam Dei recurrit.

872. Obj. 3.° S. Paulus in suis Epistolis plura meritis nostris contraria videtur docere. a) Ad *Rom.* IV, 4, 5, dicitur: "Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae Dei." b) Ad *I Cor.* IV, 7: "Quid autem habes quod non accepisti? Si autem

(1) *De gratia et libero arbitrio*, cap. 9, n. 21 (M. L. 44, 893).
(2) *De correptione et gratia*, cap. 13, n. 41 (M. L. 44, 942).
(3) *I. 2.*, q. 114, a. 1, ad 2.

accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?" c) Ad *Galat.* III, 10: "Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt." d) Ad *Ephes.* II, 8: "Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut nequis glorietur." Haec autem testimonia videntur indicare merita esse rejicienda.

Resp. ad singula. Ad a). Ibi excluduntur opera naturalia et opera legis mosaicae: non vero opera supernaturalia. Ibidem indicatur justificationem fieri gratis, non ex aliquibus meritis stricte talibus, licet etiam in peccatore cooperatio gratiae sit meritum congruum pro justificatione.

Ad b). Affirmatur omnia esse a Deo accepta, praesertim in ordine gratiae; verum per ipsam gratiam acceptam a Deo possunt justi vere mereri, quatenus omnino libere actus supernaturales eliciant.

Ad c). Dicuntur maledicti, qui posita praedicatione Christi illam non accipiebant, sed legem veterem servabant; et ideo justificari non poterant; quia justificatio per fidem Christi facienda erat. Nec fides et doctrina Christi excludunt merita, sicut probatum est.

Ad d). Dicitur nos salvos esse per gratiam, quia haec nos justificavit et dedit jus ad gloriam; prima autem gratia actualis fuit prorsus gratuita, et prima justificatio non fuit ex merito stricte tali, immo in parvulis etiam est omnino gratuita, et in adultis tantum habetur meritum congruum. Verum hoc non excludit meritum stricte tale in adultis jam justificatis.

873. Obj. 4.° Ad *Titum* III, 5, dicitur: "Non ex operibus justitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit." Ergo misericordia salvos non fecit.

Resp. Ibi agitur de prima justificatione, quae in sua radice est prorsus gratuita, et in parvulis etiam ipsa formalis justificatio est gratuita; in adultis vero habetur per meritum congruum; non per meritum stricte tale.

874. Obj. 5.° S. Hilarius dicit (1): "Non enim ipsa illa justitiae opera sufficient ad perfectae beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiae voluntate humanarum demutationum et motuum vitia non reputet." Et S. Augustinus (2): "Pretium autem quod nobis debebatur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris, sed illius gratia est." Item ipse S. Augustinus (3): "Quid est, *pro nihilo salvos facies eos?* Nihil in eis invenis unde salves, et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas." Denique S. Gregorius M. docet (4): "Et si ad opus virtutis excrevero, ad vitam non meritis, sed ex venia convalesco." Istae vero auctoritates diversis modis significare videntur non dari merita apud Deum.

Resp. SS. PP., qui citantur, aliunde constat vera merita apud Deum admittere. Testimonia autem modo adducta, ita explicanda videntur. S. Hilarius asserit requiri divinam misericordiam, quia propter demuta-

(1) *In Ps.* LI, n. 23 (M. L. 9, 322).
(2) *In Ps.* 70, n. 1 (M. L. 36, 891).
(3) *Sermo* 169, cap. 2, n. 3 (M. L. 38, 917).
(4) *Moral.* l. 9, cap. 18, n. 28 (M. L. 75, 875).

tiones et motus nostrae voluntatis in peccata venalia incidimus, quae per divinam misericordiam delentur. S. Augustinus in utroque testimonio vult nostra opera naturalia non habere vim merendi, nisi supplicium; sed nostram salutem ex gratia esse. Denique S. Gregorius videtur significare nos semper divina misericordia et humilitate indigere, et in nostris operibus facile admisceri reprehensibilia. Unde, eodem loco (1), dicit S. Gregorius: "Sed repentina tentatione percussa, quae intentione forti erecta in Deum fuerat, obortis cogitationibus transfixa curvatur; ita ut se ipsam discernere nequeat, atque inter vitia virtutesque deprehensa, ex qua parte sit valentior non agnoscat."

875. Obj. 6.° Si haberemus merita, in illis possemus confidere. Sed hoc non videtur admittendum. Ergo.

Resp. Dist. maj.: possemus confidere in propriis meritis, si hoc fiat modo ordinato, conc.; aliter, nego. Et contradist. min.: hoc non est admittendum de fiducia ordinata, neg.; de inordinata, conc. Homines generatim non habent certitudinem de suis meritis; quia nesciunt modo certo se esse justos. Verum, quum de sua justitia magnam probabilitatem habere possunt; possunt quoque aliquam fiduciam in suis meritis habere. Haec autem fiducia debet esse ordinata; et erit talis, si agnoscatur omnia nostra merita fundari in divina misericordia, et in gratia Dei et divino concursu cum nostris operationibus. Si vero, ut dicit (2) B. Bellarminus, "quis in propriis meritis ita confideret, ut ea se a se, non ex gratia Dei habere crederet, vel ceteros prae se despiceret, aut majora se merita habere existimaret, quam revera haberet: is non tam in spem erigeretur, quam in superbiae barathrum praecipitaretur."

Ipse B. Bellarminus distinguit (3) inter confidere in meritis, et confidere ex meritis. Hoc postremum est confidere, quatenus confidentia ex bonis operibus et meritis oritur; et hoc est bonum et laudabile. Unde *S. Joan. I Epist.* III, 21, dicit: "Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum."

B. Bellarminus de hac re ponit quoque tres sequentes propositiones:

"1.ª Fiducia sanctorum, quam in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis nascitur, atque ideo summo studio merita quaerenda sunt, ut apud Deum fiduciam habere possimus."

"2.ª propositio. In bonis meritis, quae vere talia esse compertum sit, fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caveatur."

"3.ª propositio. Propter incertitudinem propriae justitiae, et periculum inanis gloriae, tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia et benignitate reponere."

876. Obj. 7.° Nos sumus filii Dei; dicitur enim *Rom.* VIII, 16: "Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei." Sed filii non meritis, sed natura hereditatem acquirunt. Ergo.

Resp. Dist. maj.: sumus filii Dei naturales, neg.: adoptivi, conc. Et contradist. min.: filii naturales natura habent jus ad hereditatem,

(1) Cap. 19.
(2) *De justificatione*, l. 5, cap. 7.
(3) Loco citato.

conc.; filii adoptivi, neg. Igitur adoptans aliquem in filium, sicut libere illum adoptat, ita ponere potest conditiones ad hereditatem recipiendam. A fortiori Deus, cum sit summus Dominus omnium, ita facere potest. Et eodem loco ad *Rom.* v. 17, dicitur: "Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur." Item *Matth.* XIX, 17, dicitur: "Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata."

877. Obj. 8.° Si hominibus concedantur vera merita, fit Christo injuria; quia hoc modo salus nostra non solis Christi meritis tribuitur. Ergo.

Resp. Nego meritis nostris Christo injuriam inferri. Quandoquidem quod possimus nos mereri, id propter merita Christi est: unde ex hoc capite magis Christi meritum commendatur, quod efficax etiam est, ut nobis virtutem ad merendum communicet; quemadmodum divina Omnipotentia non diminuitur ex eo, quod possit creaturis communicare veram agendi virtutem.

878. Obj. contra 2am partem theseos primae. *Rom.* VIII, 18, dicitur: "Existimo enim quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis." Et *II Cor.* IV, 17: "Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis..." Ergo meritum nostrum non est condignum; non datur enim aequalitas inter meritum et praemium.

Resp. Passiones nostrae *non sunt condignae*, et similiter non est condignum, *quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae*, si res istae considerentur ut sunt naturales; actus vero nostri liberi et supernaturales informati gratia sanctificante sunt condigni vita aeterna. Non enim verum est tales actus non habere quamdam aequalitatem cum praemio aeternae gloriae. Nam gratia sanctificans est specialis participatio divinae naturae et facit hominem filium Dei adoptivum, constituit illum in ordine divino et ordinat illum ad videndum Deum ut est in se, tribuitque illi jus ad talem visionem; ideoque homo sanctificatus habet naturam ordinatam ad attingendum Deum prout est in se; et quum operationes sint secundum naturam et tendant ad finem ipsius, ita operationes, quae saltem mediate sunt a gratia sanctificante, sunt supernaturales et ordinantur ad Deum ut est in se attingendum, et consequenter hoc exigunt; quod certe non facerent, nisi quamdam aequalitatem cum praemio haberent. Dicendum igitur est operationes supernaturales hominis justi esse proportionatas praemio gloriae, illud exigere, et cum illo quamdam aequalitatem habere. Dico habere quamdam aequalitatem; quia non habent strictam aequalitatem, quum ex parte praemii contineatur ipse Deus infinite excellens, et omnis excellentia rei creatae sit finita. Nihilominus excellentia actus supernaturalis in justo est tanta, ut postulet procedere, saltem mediate, a speciali participatione naturae divinae, et ita esse in ordine divino seu supremo, ut ordinetur ad ipsum Deum ut est in se, illumque postulet et ad ipsum tendat.

Apposite ad hanc rem dicit (1) S. Thomas: "Gratia Spiritus Sancti,

(1) *1. 2.*, q. 114, a. 3, ad 3.

quam in praesenti habemus, etsi non sit aequalis gloriae in actu, est tamen aequalis in virtute, sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem."

Nec destruitur condignitas meriti ex hoc, quod nostrae operationes etiam supernaturales sunt totae a Deo; etenim ita sunt totae a Deo, ut non sint totaliter ab ipso; sed etiam sint totae ab homine, et libere ab homine eliciantur.

Articulus VI

Utrum Deus merita condigna ex justitia remuneret (1)

879. Praemitt. 1.° Supra (2) jam traditae sunt notiones justitiae et variae ipsius divisiones. Nunc autem noto justitiam esse virtutem, quae alterum respicit, et sic sumpta plures virtutes complectitur, quae non sunt justitia stricte talis, ut, v. gr., obedientia, gratitudo, etc. Justitia stricte talis, quae in altero verum jus supponit, dividitur in *legalem, distributivam* et *commutativam*. Justitia legalis est illa virtus, quae inclinat ad praestanda ea omnia, quae communitati vel reipublicae debita sunt in ordine ad bonum commune. Haec principaliter est in suprema auctoritate, ad quam potissimum spectat bonum commune procurare. *Justitia* vero *distributiva* est illa, quae bonorum communium distributiones dirigit, puta praemiorum, dignitatum, honorum juxta conditionem et dignitatem personarum, proportione geometrica, i. e. non servando praecise aequalitatem rei ad rem, sed ita ut qui plus meretur, plus accipiat servata debita proportione. Denique *justitia* vero *commutativa* est illa, quae inclinat ad solvenda jura secundum aequalitatem personis consideratis ut privatis.

880. Praemitt. 2.° *Opiniones theologorum.* Plures theologi negant Deum compensare merita ex aliqua justitia stricte tali (3). P. Vazquez asserit (4) Deum remunerare praemia ex gratitudine. Verum hoc non posse admitti videtur; quia Deus est incapax vir-

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 114, a. 6, ad 2; Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 30; B. Bellarminus, *De justificatione*, l. 5, c. 14; Sylvius, In *1. 2.*, q. 114, a. 3, *quaer.* 5; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 4, d. 83; Mazzella, (Card.), *De gratia*, d. 6, a. 3; Beraza, *De gratia habituali*, s. 4, cap. 1, a. 1.

(2) Disp. 3, cap. 2, a. 2.

(3) Vide P. Ripalda, loco antea citato, a. 1.

(4) In *1. 2.*, disp. 213, cap. 5.

tutis gratitudinis, quum omnia habeat a se, et nihil a creaturis; et omnia, quae in creaturis reperiuntur, a Deo accepta sunt (1). P. Suarez docet (2) retributionem meritorum et punitionem malefactorum faciendam esse a Deo secundum justitiam legalem, nisi promisisset remunerare bona opera; nam seclusa promissione, Deus, ut supremus gubernator, deberet ex sua infinita sanctitate et rectitudine facere ea, quae bonum commune requirit; bonum autem commune requirit, ut bona compensentur secundum merita, et malefacta puniantur modo debito. Ita vero agere ad justitiam legalem pertinet. Plures theologi cum Oviedo (3) tradunt Deum retribuere merita ex justitia distributiva, non ex commutativa. Plures etiam theologi cum Suarez, B. Bellarmino, Ripalda, Card. Mazzella, Beraza, locis antea citatis, asserunt Deum merita remunerare tum ex justitia distributiva, tum ex commutativa. Atque haec sententia probabilior videtur.

THESIS. Deus ex aliqua justitia retribuit merita. Et quidem hoc facere videtur tum ex justitia distributiva, tum ex commutativa

Prima pars theseos sumitur de justitia, quatenus haec accipitur praecise, prout ad alterum respectum dicit; et sumpta justitia hoc sensu, non videtur ab aliquo theologo negari.

881. Prob. 1.ª p. 1.º *Ex S. Scriptura.* In Sacris Litteris retributio respondens meritis de condigno vocatur *corona justitiae*, *merces*, comparatur iis, quae ex conventione debentur, *bravio, debito ex emptione*. Atqui haec omnia indicant merita de condigno retribui saltem ex aliqua justitia, ut est manifestum. Ergo. Prob. maj. ex diversis S. Scripturae testimoniis. In *II ad Timoth.* IV, 8, legitur: "In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus, in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus." Et *I Cor.* III, 8: "Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem." Item *Matth.* XX, 8: "Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo: voca operarios, et redde illis mercedem." Rursus ad *Philip.* III, 14: "Ad destinatum

(1) Vide P. Suarez, loco antea citato, n. 12 et sq.
(2) Loco citato, n. 21 et sq.
(3) Tract. 9, *De merito*, cap. 11.

persequor, ad bravium supernae vocationis Dei." Denique *Matth.* XIII, 46: "Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quae habuit, et emit eam."

882. **2.°** *Ex PP.* S. Basilius inquit (1): "Est et alia (justitia) a justo judice caelitus inducta, tum emendans, tum vicem rependens, quae ob reconditorum in se dogmatum sublimitatem cognitu valde difficile est." Et S. Ambrosius (2): "Si quis proposita secutus virtutibus praemia, bene certaverit, fructum remunerationis exspectet, quin etiam exigat, sicut habes scriptum: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, reposita est mihi corona justitiae.*" Et S. Augustinus (3): "Quapropter, o homo, si accepturus es vitam aeternam, justitiae quidem stipendium est..." Denique ipse S. Augustinus (4): "Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiae..."

883. **Prob. 2.ª p.,** seu *retributio meritorum fit tum ex justitia distributiva, tum commutativa.* Verum ante probationem noto ex textibus allatis S. Scripturae et PP., sumptis sensu obvio, jam sequitur Deum retribuere merita nostra ex aliqua justitia proprie tali. Atque id confirmatur. Nam merita de condigno sunt de se digna praemio, ut supra probatum est. Sed si ponitur aliquid dignum praemio cum promissione ex parte remuneratoris tribuendi illud praemium, exsurgit obligatio ex justitia propria tali in remuneratore; quia jam eo ipso videntur adesse omnes conditiones ad justitiae rationem absolute necessariae. Ergo. Neque dicatur illud quod in casu nostro ponitur jam esse remuneratoris, scilicet Dei; quia etsi actiones nostrae sint Dei, sunt etiam nostrae, quum Deus voluerit a nostra voluntate earum actionum existentiam aut non existentiam pendere.

Prob. de justitia distributiva. Justitia distributiva consistit in hoc, quod Superior subditos remuneret cum proportione ad eorum merita, ita ut qui plus habeat meriti, plus accipiat. Atqui hoc Deus perfectissime in justorum remuneratione exsequitur. Ergo.

Prob. de justitia commutativa. Servatur justitia commutativa, quum unicuique redditur secundum suum jus absolute considera-

(1) *Homil. 12 in principium Prover.*, n. 8 (M. G. 31, 403).
(2) *Sermo 7, n. 3 in Ps. 118* (M. L. 15, 1348).
(3) *Epist. 194 ad Sixtum*, n. 21 (M. L. 33, 881).
(4) *De natura et gratia*, cap. 2, n. 2 (M. L. 44, 249).

tum. Atque Deus reddit unicuique secundum ejusdem jus, non aliter ac si non adessent alii remunerandi, juxta illud quod legitur in *I Cor.* III, 8: "Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem." Ergo. Atque hoc est, quod tradit S. Thomas (1): "Illa forma divini judicii attenditur secundum rationem commutativae justitiae prout scilicet recompensantur praemia meritis, et supplicia peccatis (2)."

884. Obj. 1.° SS. PP. videntur negare Deo respectu hominum propriam justitiam convenire. Ergo .

Resp. PP. tantum significant Deum non posse constitui debitorem alicujus seclusa libera ipsius voluntate et promissione.

885. Obj. 2.° Deus nequit obligari ex justitia erga homines; alias dominium ipsius diminueretur. Ergo teneri non potest ad merita retribuenda ex justitia.

Resp. Nego ant. et ejus probationem. Deus quidem obligari nequit ex aliqua lege, quum nullum habeat superiorem. Potest tamen teneri ad operandum determinato modo ex intrinseca perfectione et rectitudine infinita ipsius; atque hoc vel absolute, vel consequenter, seu posita ipsius libera voluntate. Quare in praesenti Deus obligari potest ex justitia consequenter ad liberam ipsius voluntatem; neque per hoc dominium Dei patitur detrimentum; quia jura creaturarum erga Deum sunt ab ipso dependentia; neque possunt creaturae aliquod jus in Deum habere, nisi quatenus Deus habet actualem et liberam voluntatem tribuendi ea jura suis creaturis; ac proinde ea jura cessarent, eo ipso quod vellet Deus non amplius ea existere. Idcirco Deus semper est eodem modo liber, quia semper jura creaturarum simili modo a Deo dependent.

886. Obj. 3.° S. Thomas justitiam commutativam in Deo negat (3). Ergo haec sententia est contraria S. Thomae.

Resp. S. Thomas negat dari justitiam commutativam inter Deum et homines, eo modo, quo datur inter homines, conc.; negat absolute neg. Justitia commutativa inter homines consistit in commutationibus, venditionibus, aliisque similibus, in solvendis salariis, etc. Atque in his omnibus quaerunt homines mutuam utilitatem et commodum; Deus vero nullum commodum, nullam utilitatem ex rebus creatis capit, ut jam supra dictum est. Potest vere Deus per humanas actiones honorem et gloriam accipere, et posita divina promissione, debet haec ex justitia commutativa compensare. Verum haec justitia non est omnino stricta; nam ex una parte homines non possunt dare Deo, quod non fuerit Dei; neque Deus potest se spoliare aliquo jure. Inter homines vero ex utraque parte datur jus strictum et independens; atque ita unus alteri cedit, quod erat suum et nullo modo alterius; et post commutationem omnino commutantur et

(1) *2. 2.*, q. 61, a. 4, ad 1.
(2) Vide Sylvium, in *1. 2.*, q. 114, a. 3, *quaer. 5* et sq.
(3) *1. p.* q. 21, a. 1.

transferuntur dominia; et quod erat unius fit alterius. Deus vero ita dat, ut post donationem maneat Dominus sicut antea, et res tradita maneat prorsus Dei. Unde in *I Paralip.* 29, 14, dicitur de Deo: "Tua sunt omnia: et quae de manu tua accepimus dedimus tibi."

CAPUT II

De objecto meriti

Articulus I

De merito augmenti gratiæ et gloriæ, et de gloria accidentali

887. Praemitt. Quid sit gratia sanctificans, jam declaratum est supra (1). Gloria vero essentialis probabilius consistit in visione Dei et ipsius amore (2). Hic quaeritur, utrum homo possit mereri, et quidem de condigno augmentum gratiae. Similiter quaeritur de augmento gloriae. Non quaeritur de prima gratia, quia inferius, a. 3, probabitur primam gratiam non posse mereri de condigno, sed tantum de congruo. De prima gloria vero sermo erit in artículo proximo.

THESIS I. Justi augmentum gratiæ mereri possunt, et quidem de condigno

888. Prima pars thesecs est de fide; et 2.ª est certa et communis theologorum, licet nonnulli ex antiquioribus theologis dissenserint (3). Conc. Tridentinum definit (4): "Si quis, dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: A. S." Ex hoc can. de fide est hominem posse mereri augmentum gratiae et gloriae; non autem est de fide posse mereri primam gloriam; nam etsi Concilium distinguat inter vitam aeternam et augmentum gloriae, nonnulli theologi orthodoxi per *vitam aeternam* intelligunt

(1) Disp. 3, cap. 2, a. 2.
(2) Vide quae dixi in *Tractatu de novissimis*, cap. 3, a. 2.
(3) Vide P. Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 25.
(4) *Sess. 6*, can. 32 (Denz.-Bannwart, n. 842).

meritum gloriae in genere, praecissione facta a prima vel secunda. Ideoque non est de fide hominem posse mereri primam gloriam. Justos in sanctitate crescere posse etiam est de fide ex can. 24 (1) dicente: "Si quis dixerit, justitiam acceptam, non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam: A. S." Id ipsum statuitur in cap. 10, ubi legitur (2): "Per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur..."

889. Prob. 1.ª p. *Ex S. Scriptura. Eccli.* XVIII, 22, dicitur: "Et ne verearis usque ad mortem justificari." Et *S. Joan.* XV, 2, 5: "Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum (Pater); et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat... Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum." Item *Rom.* VI, 19: "Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae ad sanctificationem." Rursus *II Cor.* IX, 10: "Qui autem administrat semen seminanti: et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiae vestrae." Denique *Apoc.* XXII, 11: "Et qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc."

890. Prob. 2.ª p., seu *meritum augmenti gratiae est de condigno.* Nam Concilium Tridentinum asserit augmentum gratiae vere mereri (3); haec vero phrasis re ipsa meritum condignum indicat. Deinde meritum hominis justi habet omnes conditiones pro merito condigno respectu augmenti gratiae, nimirum, ut sit opus bonum, liberum, supernaturale, hominis viatoris, datur divina promissio, quaedam etiam aequalitas cum praemio; quia gratia est ordinis divini, et ad Deum attingendum ordinatur et illum exigit. Et hoc confirmatur ex S. Thoma dicente (4): "Dicendum, quod sicut supra dictum est, illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiae se extendit. Motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad

(1) Denz.-Bannwart, n. 834.
(2) Denz.-Bannwart, n. 803.
(3) *Sess. 6*, can. 32 (Denz.-Bannwart, n. 842).
(4) *I. 2.*, q. 114, a. 8.

totum progressum in motu. Terminus autem motus gratiae est vita aeterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiae, secundum illud *Prov.* (IV, 18): "Justorum semita quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectum diem", qui est dies gloriae. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni."

THESIS II. Justus vitam æternam de condigno mereri potest

891. Praemitt. Vita aeterna in thesi sumitur pro augmento gloriae; sic accepta de fide est, justum mereri vitam aeternam, ut constat ex can. 32 adducto in thesi prima. Hoc ipsum constat ex can. 26 ejusdem Sessionis dicente (1): "Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mendata custodiendo usque in finem perseveraverint: A. S." Justus vero posse mereri de condigno vitam aeternam, non est de fide; sed est certum, et communis sententia theologorum. Si vero vita aeterna acciperetur pro prima gloria, seu pro gloria respondente primae gratiae infusae, non est certum dari de illa meritum condignum, ut in articulo immediato dicetur. In thesi asseritur dari meritum condignum vitae aeternae; et hoc ipso ostenditur de illa dari verum meritum.

892. Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. II Timoth.* IV, 8, ubi legitur: "In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solam autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus." Quod autem ut justum tribuitur, eo ipso est condignum. Et *II Thess.* I, 5: "Ut digni habeamini in regno Dei pro quo et patimini." Item *Apoc.* III, 4: "Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt."

893. 2.° Rursus ex Conc. Tridentino confirmatur (2): "Haec est enim illa *corona justitiae, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse* aiebat Apostolus, a *justo judice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus* (*II Timoth.* IV, 7)."

(1) Denz.-Bannwart, n. 836.
(2) *Sess. 6, cap. 16* (Denz.-Bannwart, n. 809).

894. 3.° *Ex PP. et ex S. Thoma.* Ex PP. sufficienter probatur ex eorum testimoniis adductis supra (1). Quibus adjungo testimonium (2) S. Hilarii sic dicentis: "Ab eo potius omnia, a quo ipsi vitale exordium sumpsimus exspectemus, regnumque Dei vitae nostrae stipendiis quaeramus. Et haec recte perfecteque viventium merces est..."

S. Thomas dicit (3) in *Sed Contra*: "Quod redditur secundum justum judicium, videtur esse merces condigna. Sed vita aeterna redditur a Deo secundum judicium justitiae secundum illud (*II Timoth.* IV, 8)... Ergo homo meretur vitam aeternam ex condigno." Et eodem loco, in corpore articuli, addit: "Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitae aeternae ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam aeternam, secundum illud (*Joan.* IV, 14): "*Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*" Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in Filium Dei, cui debetur hereditas ex ipso jure adoptionis, secundum illud (*Rom.* VIII, 17): "*Si filii et heredes.*"

895. 4.° *Ratione.* Justus jam est constitutus in ordine supernaturali et divino, et opera ipsius supernaturalia ordinantur ad attingendum Deum prout est in se, tanquam finem ultimum. Ergo revera talia opera merentur de condigno vitam aeternam, seu finem ultimum supernaturalem.

896. **Obj. 1.° contra 1ᵃᵐ thesim.** Si homo augmentum gratiae mereretur, quum hoc augmentum esset sufficiens praemium, non posset alterum praemium mereri; et ita non posset vitam aeternam mereri.

Huic difficultati respondet (4) S. Thomas: "Dicendum, quod praemium est terminus meriti. Est autem duplex terminus motus, scilicet ultimus, et medius, qui est et principium et terminus; et talis terminus est merces augmenti. Merces autem favoris humani est sicut ultimus terminus his, qui finem in hoc constituunt; unde tales nullam aliam mercedem recipiunt." Atque haec mer-

(1) NN. 862 et 882.
(2) *In Matth.*, cap. 5, v. 12 (M. L. 9, 949).
(3) In *I. 2.*, q. 114, a. 3.
(4) 1. 2., q. 114, a. 8, ad 1.

ces augmenti gratiae videtur in omni casu statim communicari, ut dicetur in *Tractatu de virtutibus per se infusis.*

897. Obj. 2.° Nihil potest esse causa rei, quam non continet. Atqui gratia minus aucta gratiam magis auctam non continet. Ergo.

Resp. S. Thomas (1): "Dicendum, quod augmentum gratiae non est supra virtutem praeexistentis gratiae, licet sit supra quantitatem ipsius; sicut arbor, etsi sit supra quantitatem seminis, non est tamen supra virtutem ipsius."

898. SCHOLION. *De gloria accidentali* (2). De hac re egi in *Tractatu de novissimis* (3); et in praesenti agitur de illa, quatenus ad meritum condignum spectat. Dicuntur beatitudo accidentalis ea omnia, quae ad statum beatitudinis pertinent, et non pertinent ad visionem beatam, aut ad amorem vel gaudium beatificum, neque formaliter, neque virtualiter, neque radicaliter. Asseritur igitur beatitudinem accidentalem, quae essentialem consequitur et est cum illa connexa, mereri a justo de condigno.

Nam justi merent de condigno beatitudinem essentialem, ut probatum est. Ergo simili modo merent ea omnia, quae vel ex natura rei, vel ex divina ordinatione beatitudinem essentialem consequuntur; cum enim quis rem aliquam meretur, eo ipso existimatur mereri cetera omnia, quae rem illam consequuntur, aut sine quibus haberi illa modo convenienti non potest. Quod vero gloria accidentalis non mereatur per se, seu per actus praecise tantum illius meritorios, ostenditur: quia actus meritorii gloriae etiam accidentalis debent esse supernaturales et eliciti a justo; quia actus aliter eliciti non videntur proportionati ad ea obtinenda, quae ad statum beatitudinis supernaturalis spectant. Actus autem supernaturales hominis justi sunt meritorii vitae aeternae, ut dictum est; et sic meritum accidentale cum essentiali conjungi debet.

Ex hoc vero sequitur illos, qui aureolas merentur, eas mereri per actus, qui sint meritorii etiam praemii essentialis.

Articulus II

Utrum homo justus de condigno primam gloriam mereri possit

899. Praemitt. Prima gloria dicitur illa, quae primae gratiae sanctificanti respondet. Illi, qui ante usum rationis justificantur non possunt primam gloriam mereri; ad hoc enim necessarii sunt actus boni, liberi et supernaturales, qui ante omnem usum rationis non habentur. Quaestio igitur de illis est, qui cum usu rationis san-

(1) Loco antea citato, ad 2.
(2) Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 29.
(3) Disp. IV, a. 7.

etificantur; de istis quaeritur utrum primam gloriam, et quidem de condigno, mereri possint. Negat hoc P. Ripalda (1) cum aliis; sed affirmat (2) P. Suarez cum Beraza (3) et multis aliis.

THESIS. Justus primam gloriam de condigno mereri potest

Thesis defenditur ut probabilior.

900. Prob. 1.° *S. Scriptura et Patres docent*, ut ex dictis constat, justos mereri vitam aeternam seu gloriam aeternam, et non distinguunt et inter primam gloriam et ipsius augmentum. Ergo hoc ipso indicant justos mereri et primam gloriam et augmentum ipsius; et quidem de condigno, quum possint adesse omnes conditiones requisitae.

901. 2.° *Ex Conc. Tridentino et ex S. Thoma.* Conc. Tridentinum asserit justos *vere mereri vitam aeternam et augmentum gloriae;* ideoque videtur innuere justos non modo mereri augmentum gloriae, sed etiam ipsam primam gloriam; quia secus inutiliter repeteretur justum mereri augmentum gloriae; *vita enim aeterna* sumeretur pro augmento gloriae, quum non sit verisimile Concilium sumpsisse vitam aeternam modo abstracto, seu pro gloria in genere, seu modo indeterminato. Accedit quod Concilium tacet de merito gratiae, seu primae gratiae infusae; quia tale meritum condignum non datur; ergo quum mentionem faciat de merito augmenti gloriae et simpliciter de merito vitae aeternae, indicare videtur utrumque de condigno mereri; utrumque enim innuitur vere mereri. Praeterea idem Concilium dicit (4): "Atque ideo bene operantibus *usque in finem* (*Matth.* X, 22) et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda." Ubi similiter asseritur mereri *vitam aeternam,* ideoque totam; et quidem ex condigno, quum tribuatur tanquam merces.

S. Thomas dicit (5): "Dicendum, quod praeparatio hominis

(1) *De ente supernaturali,* l. 4, disp. 89.
(2) *De gratia,* l. 12, c. 28.
(3) *De merito,* n. 1028 et sq.
(4) *Sess. 6,* cap. 16 (Denz.-Bannwart, n. 809).
(5) *I. 2.,* q. 112, a. 2, ad 1.

ad gratiam habendam quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae; et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiae, quae jam habetur, sed gloriae, quae nondum habetur."

902. 3.° *Ratione.* Homo in eodem instanti, in quo ei infunditur gratia sanctificans, potest habere contritionem perfectam aut alium vel alios actus supernaturales. Atqui in hac hypothesi sive contritio perfecta, sive alius vel alii actus supernaturales sunt condigni vita aeterna; dantur enim omnes conditiones ad meritum condignum; ideoque merentur primam gloriam, quam antea ex defectu gratiae sanctificantis non meruerunt.

903. Obj. 1.° Ex Conc. Tridentino (1) non probatur justum mereri primam gloriam; tum quia quum Concilium dicit justum mereri vitam aeternam, potest significari gloria in genere praescindendo a prima vel secunda; tum quia sicut Concilium facit mentionem vitae aeternae et augmenti ipsius, etiam memorat consecutionem vitae aeternae, quae certe non est praemium ab ipsa vita aeterna distinctum.

Resp. Neg. assertum. Ad primam probationem dico, si mereri vitam aeternam significat mereri gloriam in genere, hoc ipso justus potest mereri de condigno tum primam gloriam, tum ipsius augmentum; nam et prima gloria et ejus augmentum continentur sub gloria in genere considerata. Deinde si justi non merentur primam gloriam, revera Tridentinum per meritum vitae aeternae et augmentum ipsius unam eamdemque rem significaret, quod tamen videtur contra sensum obvium verborum. Ad 2^{am} probationem nego paritatem, quia jam ex se patet mereri aliquam rem et ipsius consecutionem non esse duo distincta praemia; fit tamen a Tridentino mentio de eadem re sub illo duplici aspectu, quia multi vitam merentur aeternam, et eam tamen non consequuntur, propterea quod in letalis peccati statu decedunt.

904. Obj. 2.° Prima gloria jam debetur titulo hereditatis per ipsam gratiae sanctificantis infusionem. Ergo eadem non titulo mercedis seu meriti de condigno debetur.

Resp. Conc. ant. et nego cons. Quia nulla est repugnantia in eo, quod eadem res duplici titulo debeatur; quare eadem gloria deberi potest et propter contritionem existentem simul cum gratia sanctificante, et propter istam titulo hereditatis.

905. Obj. 3.° Ultima dispositio ad gratiam sanctificantem jam totum praemium quod merebatur accepit per infusionem ipsius gratiae sanctificantis; nam tota perfectio et libertas illius ultimae dispositionis jam aderat pro priori ad gratiae sanctificantis infusionem; ideoque jam pro illo priori debuit illi dispositioni respondere totum praemium: sed pro illo priori nihil nisi gratiam sanctificantem meruit de congruo: ergo revera illi ultimae dispositioni solum respondet tanquam praemium gratia sanctificans.

(1) *Sess.* 6, can. 32.

Resp. Dist. assertum: ultima dispositio ad gratiam sanctificantem jam totum praemium, quod merebatur accepit per infusionem ipsius gratiae sanctificantis et omni titulo, quo poterat illud mereri, nego; totum praemium, sed non omni modo, quo poterat illud mereri, conc. Igitur ultima dispositio ad justitiam meretur gratiam sanctificantem de congruo, et mediante ista gloriam; sed simul potest mereri immediate gloriam de condigno, quatenus in eodem illo instanti jam invenitur dignificata per ipsam gratiam sanctificantem. Nihilominus non potest ultima dispositio in eodem instanti justificationis mereri novam gloriam, sed illam tantum quae respondet primae gratiae sanctificanti; quia actus supernaturales non merentur gloriam, nisi per eamdem mensuram, qua merentur gratiam sanctificantem; quare quum ultima dispositio tantum mereat in instanti justificationis eam gratiam sanctificantem, quae pro illo instanti tribuitur propter meritum de congruo, non potest mereri majorem gloriam in illo instanti, quam illam quae titulo hereditatis respondet primae gratiae.

906. Obj. 4.° Homo non potest mereri de condigno primam gratiam sanctificantem. Ergo neque primam gloriam.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Ratio disparitatis consistit in hoc, quod homo non potest mereri de condigno, nisi habeat gratiam sanctificantem: ergo hoc ipso non potest mereri de condigno primam gratiam sanctificantem, nisi dicatur primam gratiam sanctificantem mereri se ipsam et esse causam sui metipsius, quod nullatenus dicendum est.

907. Obj. 5.° Saltem prima gloria non semper debetur propter meritum de condigno.

Resp. Conc. assertum: quia tantum affirmatum est primam gloriam posse mereri de condigno; quod quidem jam verum est, si in aliquibus casibus datur meritum de condigno primae gloriae. Si vero quaeratur, quando datur meritum condignum primae gloriae, quando vero non datur, haec dicenda videntur: 1.° semper ac detur justificatio sine ullo praevio actu, non datur meritum primae gloriae. 2.° Si in ipso actu justificationis non detur ullus actus supernaturalis tunc existens, quamvis praecesserit, etiam non videtur dari meritum condignum primae gloriae; quia in ipsa justificatione nullus datur actus supernaturalis, qui de condigno mereri possit primam gloriam. 3.° Si in ipso instanti justificationis detur contritio perfecta, aut amor Dei super omnia, in hoc casu secundum auctores omnes nostrae sententiae datur meritum primae gloriae. 4.° Si in ipso instanti justificationis adsit quidem actus supernaturalis physice existens, sed de se non sufficiat ad justificationem obtinendam, disputatur inter auctores nostrae sententiae, utrum adsit, necne, meritum condignum primae gloriae. Videtur tamen adesse tale meritum: quia in hac hypothesi habetur simul cum gratia sanctificante actus supernaturalis, seu actus cum omnibus conditionibus, ut habeatur meritum condignum primae gloriae; nec refert quod ille actus non sit causa totalis gratiae infusae; quia ut sit causa primae gloriae saltem partialis, sufficit coexistentia cum gratia sanctificante in eodem instanti (1).

(1) Vide plura de hac re apud Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 28; B. Bellarminum, *De justificatione*, l. 5, cap. 2.; *Arriaga*, d. 56, s. 5.

Articulus III

Utrum homo possit sibi vel alteri gratiam sanctificantem mereri

908. Praemitt. Gratia sanctificans jam supra declarata est. Quaeritur, utrum gratiam sanctificantem possimus mereri. Et communis sententia et certa est, nos de condigno mereri non posse primam gratiam sanctificantem. De merito vero congruo est nonnulla dissentio inter theologos; nam alii distinguunt inter meritum congruum strictum et latum; et negant hominem posse sibi mereri gratiam sanctificantem de congruo stricto, et affirmant de congruo lato. Jam vero videtur dicendum secundum notiones de merito congruo supra traditas hominem mereri posse de congruo gratiam sanctificantem. Juxta suos defensores congruum strictum est illud, quod non solum fundatur in opere, sed etiam in operante, quia sit Dei amicus.

THESIS I. Homo non potest sibi mereri de condigno primam gratiam sanctificantem, potest tamen de congruo [1]

Haec assertio est communis theologorum et certa.

909. Prob. 1.ª p. 1.° *Ex epist. ad Rom.* III, 24, ubi legitur: "Justificati gratis per gratiam ipsius." Quae quidem verba sic declarantur a Conc. Trid. (2): "Gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur."

910. 2.° Si homo mereretur de condigno primam gratiam sanctificantem, id praestaret aut pro priori ad ipsius infusionem, aut pro posteriori. Atqui neutrum dici potest. Ergo. Prob. min. Non pro priori; quia ante infusionem gratiae sanctificantis, homo non est adhuc Deo gratus et ipsius filius adoptivus, quod tamen necessarium est ad meritum de condigno. Neque pro posteriori; quia non potest homo mereri eam formam, per quam consti-

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 114, aa. 5 et 6; Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 24, et cc. 37 et 38.
(2) *Sess. 6*, cap. 8 (Denz.-Bannwart ,n. 801).

tuitur dignus merito, nam aliter ipsum meritum constitueret praemium; unde cum meritum sit causa moralis praemii, esset suimet-ipsius moralis causa.

911. Prob. 2.ª p. In *Ps.* L, 19, dicitur: "Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies." Deinde textus Scripturae indicati supra (1) id probant. Et apud *Zachariam*, I, 3, dicitur: "Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum."

PP. etiam supra citati (2) hoc ipsum probant. Denique Conc. Tridentinum dicit (3): "Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur." His autem verbis Concilium affirmat hominem ita se praeparare posse ad justificationem, ut illam infallibiliter consequatur; ideoque illam de congruo mereri.

912. Obj. In *I Joan.* I, 9, dicitur: "Si confiteamur peccata nostra, (Deus) fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra." Ergo Deus ex justitia seu de condigno remittit peccata. Idem affirmare videtur S. Augustinus in expositione in *epist. ad Rom.* (4).

Resp. In testimonio S. Joan. sermo est de remissione peccatorum venialium hominis justi; quocirca testimonium illud extra quaestionem est. Si quis vero velit testimonium illud accipere de peccatis mortalibus, tunc dicendum est justum ibi significare idem ac aequum et rectum. Qua postrema ratione declarandus est S. Aug., praesertim quum oppositum alibi doceat.

THESIS II. Homo non potest alteri mereri de condigno primam gratiam sive actualem sive habitualem, potest tamen de congruo.

Haec assertio est communiter recepta.

913. Prob. 1.ª p. Quia neque in Scripturis, neque in traditione habetur promissio Dei vi cujus opera unius acceptentur tanquam meritum condignum pro altero, sed e contra Scriptura, CC. et PP. ubicumque loquuntur de bonorum operum retributione pro ratione meriti, solum disserunt de retributione respectu ipsius operantis. Ergo hoc ipso non potest unus mereri de condigno pro alio; quia ad meritum condignum divina promissio requiritur.

(1) N. 867.
(2) Eodem numero proxime laudato.
(3) *Sess. 6*, cap. 7 (Denz.-Bannwart, n. 799).
(4) *Inchoata expositio in Epist. ad Rom.*, n. 9 (M. L. 35, 2093).

Unde cum juxta sacras Litteras Deus acceptat opera bona hominis justi tanquam meritum condignum pro ipso operante et quidem juxta totum operum valorem, hoc ipso ea opera non sunt pro aliis meritum condignum, habent enim valorem finitum et determinatum. Quare solius Christi est privilegium posse de condigno gratiam sive actualem, sive habitualem pro aliis promereri.

914. **Prob.** **2.ª p.** **1.°** *Ex Epist. Jacob.* V, 16, ubi legitur: "Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua." Et in *I Joan.* V, 16: "Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem."

915. **2.°** Tum ex communione sanctorum per quam scimus, justos se invicem juvare in ordine ad salutem, tum ex Ecclesiae praxi, quae orat pro perfectione et perseverantia justorum et pro peccatorum conversione.

916. **3.°** *Ex S. Thoma* dicente (1): "Sed merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam: quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat. Et in hoc casu loquitur auctoritas Jeremiae XV, 1."

Articulus IV

Utrum justus possit sibi mereri reparationem post lapsum (2)

917. **Praemitt.** Quaestio est, utrum justus, dum est justus, possit sibi mereri reparationem post lapsum, pro casu, quo laberetur. Imprimis omnes consentiunt non posse mereri de condigno reparationem post lapsum; et haec est res omnino certa. Deinde S. Thomas (3) negat dari meritum congruum de hac re, quem sequuntur Vazquez et alii. Verum ipse S. Thomas alibi (4) videtur

(1) *I. 2.*, q. 114, a. 6.
(2) S. Thomas, *I. 2.*, q. 114, a. 7; Suarez, l. 12, *De gratia*, cc. 27 et 38; Vazquez, In *I. 2.*, q. 114, a. 7; B. Bellarminus, *De justificatione*, l. 5, c. 22; Tanner, Disp. 6, *De gratia*, q. 6, dub. 9; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 4, disp. 95.
(3) Loco citato.
(4) *In commentariis in Epist. ad Hebr.*, cap. 6, lect. 3.

admittere meritum congruum, quod admittunt etiam B. Bellarminus, Suarez et alii, praesertim si multa opera bona praecesserunt lapsum. Hoc autem congruum non habet divinam promissionem, et ideo fallibile est.

THESIS. Nemo sibi mereri potest reparationem post lapsum de condigno; sed potest justus illam sibi mereri probabilius de congruo.

918. Prob. 1.ª p. Dicit enim Conc. Tridentinum (1): "Gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur." Haec verba non modo conveniunt primae justificationi, quae fuit absolute prima; sed etiam ei, quae fuit prima post lapsum; nam Concilium nullam facit distinctionem, neque indicat. Tamen solum videtur excludere meritum proprie tale seu condignum. Praeterea ad meritum condignum, ut probatum est, requiritur promissio Dei; nulla autem est promissio reparandi omnes lapsos. Item, si ex justitia omnes lapsi essent reparandi, sequeretur omnes, qui semel justi fuerint, esse praedestinatos et non posse damnari; quia si laberentur ex justitia essent reparandi. Denique si lapsi ex justitia essent reparandi, peccatum mortale non auferret jus ad gloriam; contrarium tamen supra probatum est (2).

919. Prob. 2.ª p. Nam ille, qui in peccatum incidit, ante lapsum potuit esse vir pius, omnes virtutes exercens et exemplum pro omnibus; tali autem viro congruum est, ut pro vita exercita ante lapsum Deus illi tribuat gratiam, qua lapsus ipsius reparetur, et status gratiae restituatur. Deinde justus potest a Deo petere, ut ei restituatur status gratiae, si in lapsum inciderit; et haec oratio a S. Thoma probatur (3); congruum ergo videtur, ut talis oratio exaudiatur. Denique supra probatum est (4) justum posse consequi gratiam sanctificantem pro peccatore; ergo congruum est ut etiam pro se ipso possit illam consequi.

(1) *Sess. 6*, cap. 8 (Denz.-Bannwart, n. 801).
(2) Cap. 4, a. 3, n. 800 et sq.
(3) *1. 2.*, q. 114, a. 7, ad 1.
(4) Art. 3.

920. Dices 1.° *Ezech.* XVIII, 24, dicitur: "Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur."

Resp. Haec accipienda sunt non absolute, sed si lapsus in sua iniquitate perseveraverit; nam inferius, v. 30, dicitur: "Convertimini, et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; et non erit vobis in ruinam iniquitas." Per peccatum tollitur quidem jus ad gloriam, et merita condigna mortificantur; sed bona opera supernaturalia, quae in statu justitiae facta sunt, retinent vim ad divinam bonitatem et misericordiam movendam, ut tribuat auxilia, quibus gratia sanctificans restituatur; et hoc re ipsa est mereri de congruo reparationem post lapsum.

921. Dices 2.° Meritum justi per peccatum letale amittitur. Ergo meritum, quod justus acquisivit evanescit per ipsum lapsum, et ideo non potest reparari.

Resp. Per peccatum letale amittitur meritum condignum, sed non meritum congruum. Jam antea probatum est peccatorem de congruo mereri posse propriam justificationem. Nec verum videtur peccatorem esse prorsus indignum omni retributione; quia hoc solum verum videtur, si agatur de retributione ex justitia, et de restitutione condigna et debita; non autem si sermo sit de retributione, quae potius liberalitati et misericordiae dantis tribuenda est, quam merito.

B. Bellarminus, loco antea citato, dicit hoc meritum congruum admittendum esse pro lapsis ex infirmitate vel ignorantia; non vero pro lapsis ex malitia.

Articulus V (1)

Utrum justus perseverantiam finalem emerere possit

922. Praemitt. Quid sit perseverantia finalis et quaenam ejus divisiones declaratum est supra (2). In praesenti quaeritur utrum justi emereri possint perseverantiam finalem, id est, conservare gratiam sanctificantem per totam vitam, et consequenter nunquam in peccatum letale incidere. Si agitur de merito condigno certum est et ab omnibus theologis admissum non posse justum emereri perseverantiam finalem. Si vero agitur de merito congruo plures

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 114, a. 9; B. Bellarminus, *De justificatione*, l. 5, c. 22; Suarez, *De gratia*, l. 12, cc. 26 et 38; Valentia, In *1. 2.*, d. 8, q. 6, punct. 4; Sylvius, In *1. 2.*, q. 114, a. 9; Tanner, *De gratia*, disp. 6, q. 6, dub. 9; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 4, d. 94; Herrmann, *De merito*, cap. 3, n. 1058; Beraza, *De merito*, nn. 1040, 1049.

(2) Disp. 1, cap. 4, a. 5.

illud admittunt, ut B. Bellarminus, Suarez, Valentia, Sylvius, Ripalda, Herrmann, Beraza, pluresque alii.

THESIS. Justus non potest emereri de condigno perseverantiam finalem; probabilius de congruo illam emereri potest

923. Prob. 1.ª p., seu *non dari meritum condignum.*

1.° *Ex Conc. Tridentino,* quod de munere perseverantiae dicit (1): "Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, *qui potens est eum, qui stat, statuere* (*Rom.* XIV, 4), ut perseveranter stet..." Hic autem modus loquendi, satis innuit perseverantiam finalem per meritum stricte tale obtineri non posse. Et idem Concilium perseverantiam finalem vocat (2) *magnum donum; donum* autem, et a fortiori magnum, significat aliquid gratuitum, non aliquid ex merito proprie tali debitum.

924. 2.° Quia totus valor cujuslibet actus meritorii compensatur per augmentum gratiae et gloriae; nam juxta locutiones S. Scripturae et PP. gloria seu vita aeterna, et consequenter augmentum gratiae, tribuitur secundum totum meritum condignum, immo et ultra illum. Ergo justus non potest mereri de condigno perseverantiam; quia bona ipsius opera supernaturalia alio modo remunerantur.

925. 3.° Meritum condignum perseverantiae responderet vel singulis actibus meritoriis post justificationem elicitis, vel tantum alicui eorum collectioni, aut eximio vel eximiis quibusdam actibus. Atqui nihil horum dici potest. Ergo. Prob. min. Imprimis meritum condignum perseverantiae non potest singulis actibus respondere; quia si ita esset, jam ex eo quod justus posuisset aliquem actum meritorium, esset infallibiliter salvandus, quod est manifeste contra experientiam, ex qua constat aliquos justos cadere, immo probabiliter damnari. Neque dici potest alterum: quia nullum est solidum fundamentum ad tribuendam hanc praerogativam alicui actuum meritoriorum collectioni, aut eximio vel eximiis quibusdam actibus. Ergo.

Atque hoc confirmatur. Nam *Rom.* XI, 20, dicitur: "Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time." Et *I Cor.* X, 12: "Ita-

(1) *Sess. 6,* cap. 13.
(2) *Sess. 6,* cap. 12 et can. 23 (Denz.-Bannwart, nn. 805 et 833).

que qui se existimat stare, videat ne cadat." Item Conc. Tridentinum docet (1) hominem justificatum posse peccare; quod certe non stat cum dono perseverantiae.

926. Prob. 2.ª p. 1.° *Ex S. Augustino* dicente (1): "Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest."

927. 2.° *Petitio perseverantiae est sancta et pia;* est enim res maxime ad salutem aeternam ordinata, quaeque in ipsa oratione dominica continetur. Dicit (2) S. Augustinus: "An vero quisquam eorum (sanctorum) est, qui non sibi poscat a Deo ut perseveret in eo; cum ipsa oratione, quae Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligatur." Atqui petitio sancta et pia est de se impetratoria. Ergo justus potest donum perseverantiae impetrare, ac proinde etiam illud mereri; quia quaelibet impetratio etiam meritum est congruum. S. Cyprianus etiam docet in *Tractatu de oratione dominica* (3), in illa contineri petitionem perseverantiae.

928. 3.° Congruum videtur divinae misericordiae et largitati, ut hoc donum concedat cooperantibus divinae gratiae cum omni diligentia et sollicitudine; quia in operibus justorum inveniuntur omnes conditiones requisitae pro merito congruo respectu hujus doni.

Hoc tamen meritum congruum, quatenus meritum, non est infallibile; quia deest divina promissio. Verum videtur infallibile ratione impetrationis, ut infra in scholio dicitur.

929. Obj. 1.° Ad *Hebr.* VI, 10, legitur: "Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis." Ergo perseverantia ex merito condigno debetur.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Deus enim non obliviscitur operum supernaturalium justorum; quia ea remunerat per augmentum gratiae, et per gloriam, si in statu gratiae usque ad mortem perseverent. Et etiam remunerat opera peccatorum, quae in statu gratiae facta sint, si convertantur et in statu gratiae decedant.

930. Obj. 2.° Mereri de condigno augmentum gratiae majus quid-

(1) *De dono perseverantiae*, cap. 6, n. 10 (M. L. 45, 999).
(2) Loco proxime citato, cap. 2, n. 4, col. 996.
(3) Hartel (Guil.), pag. 267.

piam videtur, quam mereri unum auxilium efficax, et per hoc alterum, et ita usque ad perseverantiam consequendam. Atqui justus de condigno meretur augmentum gratiae. Ergo a fortiori potest mereri perseverantiam.

Resp. Imprimis videtur quidem aliquid majus mereri de condigno augmentum gratiae, quam mereri unum auxilium efficax; sed videtur quid majus mereri seriem auxiliorum efficacium, quibus de condigno perseverantia finalis obtineatur, quam augmentum gratiae sanctificantis. Verum quidquid de hoc sit, Deus opera meritoria justorum remunerat secundum totum suum valorem per augmentum gratiae et gloriae; ideoque non potest dari meritum condignum perseverantiae. Quod autem ita sit, constat ex doctrina S. Scripturae, PP. et CC., in quibus traditur meritum augmenti gratiae, et meritum vitae aeternae, et hoc ipso innuitur non dari aliud meritum condignum.

931. Obj. 3.° Justus vitam aeternam meretur. Ergo etiam perseverantiam, quae est medium ad vitam aeternam.

Resp. Conc. ant. et neg. cons. Nam consecutio ipsa vitae aeternae, ut docet Tridentinum (1), non debetur, nisi detur mors in statu gratiae.

932. SCHOLION. *Utrum per impetrationem perseverantiam finalem obtineri modo infallibili possit* (2). Affirmandum videtur; nam Christus dixit (*Joan.* XVI, 24): "Petite et accipietis." Et perseverantiam finalem cum recitatione orationis dominicalis continuo petimus. Quocirca, si modo debito petimus, debemus confidere nos perseverantiam finalem esse infallibiliter consecuturos (3). Dicit (4) S. Augustinus: "Vos itaque etiam ipsam oboediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum (*Jac.* I, 17), sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a praedestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur." Et ipse Sanctus Doctor etiam dicit (5): "Quid? cum dicimus, *veniat regnum tuum*: num aliud poscimus, nisi ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis?" Denique ipse Sanctus Augustinus dicit (6): "Imo, cum constet alia Deum, danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam: profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat (7)."

S. Thomas de hac re dicit (8): "Et similiter perseverantiae donum aliquis petendo a Deo impetrat vel sibi vel alii, quamvis sub merito non cadat."

(1) *Sess. 6*, can. 32 (Denz.-Bannwart, n. 842).
(2) Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 38, n. 16.
(3) *De dono perseverantiae*, cap. XXII, n. 62 (M. L. 45, 1030).
(4) Loco citato, n. 5, col. 997.
(5) Eodem loco, n. 39, cap. XVI, col. 1017.
(6) *De dono perseverantiae*, cap. 16, n. 39, col. 1017.
(7) Vide dicta supra, n. 328, scholion.
(8) *I. 2.*, q. 114, a. 9, ad 1.

Articulus VI

Nonnulla dubia meritum respicientia breviter solvuntur

933. Quares 1.° *Utrum actus exterior meritum augeat?*

Resp. Negative. Hic pro actu exteriore intelligitur omnis ille actus, qui a voluntate non est elicitus. Ratio responsionis est, quia ad meritum requiritur actus bonus et liber; et nullus actus, qui non sit elicitus a voluntate formalem libertatem et bonitatem habet. Actus exterior tantum per accidens potest augere meritum, quatenus nempe faciat, ut actus interior voluntatis sit magis meritorius. Quum vero actus exterior et interior consideratur ut unus actus, tum quidem talis actus habet meritum, sed ratione actus interioris (1).

934. Quaer. 2.° *Utrum actus imperatus ipsius voluntatis addat meritum actui imperanti?* (2).

Resp. Dicitur actus imperatus ipsius voluntatis, ille, qui est objectum alterius actus ipsius voluntatis, qui dicitur imperans. Dicuntur quoque actus imperans et imperatus ejusdem voluntatis, actus illi, qui se habeant ut intentionem finis, et ut medium ad talem intentionem, sicut sunt actus, quo quis vult expellere efficaciter peccatum, et actus contritionis perfectae. Quaesito igitur respondendum est, si uterque actus, imperans et imperatus, sunt boni, supernaturales et liberi, unusquisque proprium meritum habet, et ita conjunctio utriusque auget meritum. In praesenti enim, quum ambo actus sint voluntatis, uterque potest esse formaliter bonus et liber. Si vero actus imperatus non sit liber, tunc omne meritum ad actum imperantem pertinere videtur; nam ut actus sit meritorius, praeter bonitatem formalem et supernaturalem debet habere quoque libertatem.

935. Quaer. 3.° *Utrum opera justorum propter eorum unionem cum Christo sint aestimabiliora etiam in ordine ad praemium?* (3). Justi uniuntur cum Christo, sicut *palmes cum vite* (*Joan.* XV,

(1) S. Thomas, *1. 2.*, q. 20, a. 4; Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 6.
(2) Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 11.
(3) Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 19. Vide etiam dicta supra, n. 661.

5), sicut *corpus et membrum ipsius* (*I Cor.* XII, 27); item sicut *fratres ejus* (*Hebr.* II, 17). Propter hanc vero specialem conjunctionem cum Christo videntur opera justorum esse saltem aestimabiliora in ordine ad praemium, et probabiliter etiam aliquod augmentum in praemio recipere. Propter hanc ipsam causam videtur Deus magis se obligare ad solvendum praemium.

936. Quaer. 4.° *Utrum continuatio seu perseverantia in eodem actu meritum augeat?* (1).

Resp. Affirmative. Continuatio enim in eodem actu perinde est, ac si ponerentur diversi actus toto illo tempore, quo perseverat actus. Atqui si illo tempore quo actus perseverat, successive actus distincti elicerentur, unusquisque eorum proprium meritum haberet. Ergo similiter continuatio ejus actus.

Dices. In qualibet parte temporis sunt infinitae partes. Ergo si meritum actus creseit pro ratione temporis, quilibet actus erit infinite meritorius.

Resp. Quaelibet pars temporis, quantumvis ponatur divisibilis, tamen non constituit nisi tempus finitum et limitatum; quare ratione durationis non potest actus, nisi meritum finitum comparare.

937. Quaer. 5.° *Utrum meritum augeatur ratione majoris sanctitatis personae?* (2).

Resp. De hac re duplex sententia habetur. P. Arriaga cum aliis docet per augmentum gratiae sanctificantis non augeri meritum. Verum S. Thomas contrarium indicare videtur, quum dicit (3): "Quanto enim majori caritate et gratia actus informatur, tanto magis est meritorius." Hanc sententiam affirmantem augeri meritum per augmentum gratiae sanctificantis sequuntur Suarez (4), Valentia (5), Ripalda (6), Maurus (7), et plures alii. Atque haec sententia videtur probabilior, et ita probatur.

1.° Opera supernaturalia accipiunt dignitatem a gratia sanctificante; quia, sicut supra demonstratum est, sine gratia sanctificante non sunt meritoria de condigno, et cum illa efficiuntur con-

(1) Suarez, Loco citato, cap. 21.
(2) Suarez, Eodem loco, cap. 22; Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 4, disp. 81.
(3) *2. sent.* dist. 29, q. 1, a. 4.
(4) Loco proxime citato.
(5) *In 1. 2.*, disp. 8, q. 6, punct. 3.
(6) Loco citato.
(7) *De merito, Quaest. 104*, quaeritur 5.°.

digna. Ergo si gratia sanctificans evadat major, communicabit operibus majorem dignitatem, atque ideo magis erunt meritoria.

2.° Excellentia personae reddit illius opera magis aestimabilia, et consequenter digna majore praemio. Sed gratia sanctificans, quo major est, reddit personam magis excellentem, quum illam cum Deo magis conjungat. Ergo.

De ratione vero, qua meritum crescit propter majorem sanctitatem non constat. Vide P. Ripalda (1).

938. Quaer. 6.° *Utrum meritum crescat ratione difficultatis vel intensionis actus?* (2).

Resp. Affirmative: ratio est, quia actus virtutis eo est magis meritorius, quo est magis aestimabilis. Atqui actus virtutis elicitus cum majore difficultate aut intensione est magis aestimabilis, quum requirat voluntatem firmiorem et efficaciorem. Ergo. Agitur de voluntate elevata per gratiam. S. Thomas dicit de hac re (3): "Dicendum, quod opus aliquod potest esse laboriosum et difficile dupliciter, uno modo ex magnitudine operis; et sic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti... Alio modo ex defectu ipsius operantis; unicuique enim est laboriosum et difficile, quod non prompta voluntate facit, et talis labor diminuit meritum..." Unde difficultas et labor, quae ex parte operis procedunt, si superentur modo supernaturali, augent meritum; si vero procedunt ex infirmitate laborantis diminuunt meritum.

Recte observat (4) Maurus viros sanctos facile exercere, quae tironibus sunt difficilia. Haec sunt ejus verba: "Viri sancti et perfecti, dum opera ex se difficilia assidue orandi, jejunandi, praedicandi etc., exercent sine difficultate, imo cum magna facilitate et delectatione, regulariter non minus, sed magis merentur quam tirones, qui eadem opera exercent cum magna difficultate ac repugnantia. Ratio est, quia in viris perfectis illa facilitas oritur ex magnitude virtutis et caritatis tum actualis, tum habitualis; in tironibus difficultas oritur ex defectu virtutis et caritatis; sed facilitas orta ex magnitudine virtutis et caritatis non minuit, sed auget meritum."

(1) Loco antea citato, s. 8.
(2) Vide P. Ripalda, *De ente supernaturali*, l. 4, disp. 90, sect. 9.
(3) *1. 2.*, q. 114, a. 4, ad 2.
(4) *De merito*, q. 104, n. 31, quaer. 4.°.

939. Quaer. 7.° *Utrum justus gratias efficaces mereri possit?*

Resp. Non potest illas mereri de condigno. Nam meritum condignum compensatur per augmentum gratiae et gloriae, et per ea, quae cum tali augmento sunt necessario connexa. Tamen de congruo gratias efficaces mereri potest; nam supra dictum est justum per impetrationem posse perseverantiam finalem infallibiliter impetrare. Ad hoc autem necessarium est mereri per ipsam impetrationem de congruo gratias efficaces. Justo quoque gratiae sufficientes debentur, ut gratiam sanctificantem conservare possit.

940. Quaer. 8.° *Utrum peccator possit mereri de congruo auxilia sufficientia ad justificationem?*

Resp. Affirmative. Quia in S. Scriptura eleemosynae, orationi etc. tribuitur remissio peccatorum. Praeterea opera supernaturalia peccatoris Deo placent, ac proinde congruum est, ut ea remunerentur, quod quidem convenienter fit per auxilia gratiae, quae propter actus supernaturales praecedentes conferantur.

941. Quaer. 9.° *Utrum Deus remuneret supra condignum?*

Resp. Sanctus Thomas dicit (1) de hac re: "Et ideo Deus semper dat ultra condignum de bonis, et semper mala poenae irrogat citra condignum." Et B. Bellarminus affirmat (2) esse communem sententiam theologorum Deum remunerare supra condignum, et hoc ipsum affirmat (3) P. Tanner. Sex diversi modi explicandi illud axioma a P. Suarez ponuntur (4), et inter illos videtur probabilior modus explicandi, qui quarto loco ponitur; et in hoc consistit, quod Deus intra justitiam potuit eligere minus praemium (5), et selegit majorem. Atque hunc modum explicandi memoratum axioma etiam approbat P. Tanner (6).

942. Quaer. 10.° *Utrum bona temporalia cadant sub merito?* (7)

Resp. Huic quaestioni ita respondet (8) S. Thomas: "Dicendum est quod si temporalia bona considerentur prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam aeternam, secundum

(1) *4. sent.*, dist. 46, a. 2, quaestiuncula 3.
(2) *De justificatione*, l. 5, c. 19.
(3) *De gratia*, disp. 5, q. 6, dub. 10.
(4) *De gratia*, l. 12, cap. 31, n. 12 et sq.
(5) Loco citato, n. 14.
(6) Loco citato, n. 256.
(7) Suarez, *De gratia*, l. 12, cap. 38, n. 20; Tanner, *De gratia*, disp. 6, q. 6, dub. 10.
(8) *1. 2.*, q. 114, a. 10.

hoc directe et simpliciter cadunt sub merito, sicut et augmentum gratiae, et omnia illa quibus homo adjuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam. Tantum enim dat Deus viris justis de bonis temporalibus, et etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum in vitam aeternam; et in tantum sunt simpliciter bona hujusmodi temporalia... Si autem considerentur hujusmodi temporalia bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid; et ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid; inquantum scilicet homines moventur a Deo ad aliqua temporaliter agenda..."

Et haec tractatui de gratia finem imponunt.

A. M. D. G.

Index Summorum Pontificum, Patrum, aliorumque auctorum, quorum in opere fit mentio

(Citantur numeri marginales)

A

Alexander VII, 240.
Alexander VIII, 345, 377, 537.
Alexander de Hales, 508.
Alvarez (Didacus), 83, 133, 405, 406, 512.
S. Ambrosius, 255, 346, 414, 516, 536, 562, 583, 588, 590, 596, 618, 628, 644, 671, 704, 750, 780, 868, 882.
S. Anastasius I, 236.
Antoine (P. G.), 679.
Arriaga (Rodericus), 91, 200, 270 284, 467, 531, 650, 907, 937.
S. Athanasius, 632, 644, 702, 704, 710, 765, 802.
Auctor librorum *De vocatione omnium gentium*, 536, 541, 550, 551, 836.
S. Augustinus frequentissime citatur et plurima ex illo adducuntur.

B

Bañez (Dominicus), 200, 497, 512.
S. Basilius, 162, 189, 414, 516, 596, 618, 644, 704, 790, 865, 882.
Becanus (Martinus), 679.
Bellarminus (Beatus Robertus, Card.), 1, 91, 200, 331, 364, 466, 467, 488, 510, 531, 535, 550, 553, 555, 556, 558, 568, 569, 578, 593, 596, 614, 630, 650, 665, 679, 777, 785, 795, 799, 808, 827, 851 ,859, 875, 879, 880, 907, 917, 921, 922, 941.
Benedictus XV, 423.
Beraza (Blasius), 1, 48, 83, 91, 133, 200, 221, 245, 264, 270, 284, 287, 306, 324, 329, 331, 341, 346, 410, 460, 466, 510, 523, 525, 550, 553, 554, 556, 569, 592, 618, 630, 633, 638, 639, 650, 662, 677, 678, 698, 699, 710, 741, 777, 783, 785,797, 799, 808, 825, 827, 829, 830, 833, 859, 879, 880, 899, 922.
S. Bernardus, 39, 85, 116, 596, 628, 632, 802, 814.
Berti (Jo. Laurent.), 331, 370, 424.
Billot (Ludovicus, Cardinalis), 1, 48, 83, 679, 846, 848.
Billuart (Carolus), 1, 200, 221, 235, 284, 331, 341, 364, 368, 405, 534, 535, 543, 553, 556, 598, 639, 662 679, 699.
S. Bonaventura, 270, 650.
S. Bonifacius I, 231
S. Bonifacius II, 234.
Bulsano (A.), 550.

C

Cajetanus Card. (Thomas de Vio), 200, 508, 847.
S. Caelestinus I, 231.
Caesarius, Arelatensis, 234
Caperan (Ludovicus), 534.
Capreolus (Joannes), 1, 508, 650, 833, 847.
Cassiodorus, 33.
P. Claudius Aquaviva, 468.
Chrysostomus (S. Joannes, Dr.), 61, 121,, 193, 212, 248, 255, 290, 315, 346, 352,, 410, 427, 516, 536, 554, 564, 590, 623, 627, 690, 862.
Clemens Alexandrinus, 255, 536.
Clemens VIII, 468, 469.
S. Clemens Romanus, 536, 576, 588.
Clemens XI, 241, 345, 394, 537.
Clericus a Belliberone, 331, 562.
Corluy (Josephus), 525.
Cornely (Rodulphus), 448, 553, 592.
S. Cyprianus, 290, 323, 450, 516, 618, 816, 862, 927.

S. Cyrillus Alex. 61, 410, 427, 581, 596, 618, 623, 644, 702, 704, 710, 802.
S. Cyrillus Hieros., 566.

D

Dictionnaire de Théologie catholique sous la direction de A. Vacant, 221, 842.
Durandus, 735.

E

Einig (Petrus), 48, 83, 556, 614 662, 679.
Esparza (Martinus), 539, 679.

F

Ferrariensis (Franciscus de Sylvestris), 508.
Franzelin (Joan. Bap. Card.), 699, 704, 710.
Frassen (Claudius), 48, 200, 284, 331, 432, 510, 553, 556, 662, 686, 769.
S. Fulgentius, 33, 39, 61, 212, 234, 337, 414, 545, 550, 551.
Funk (Franc. Xavier), 536.

G

Gannatus (Bernardus de), 508.
S. Gelasius I, 231, 234.
Gonet (Joannes), 1, 200, 287, 364, 534, 556, 583, 598, 639, 650, 662, 677, 679, 741, 769.
Goudin (Antonius), 405.
Gotti (Vincent. Ludovic. Card.), 1, 264, 270, 364, 535, 553, 556, 598 679, 769, 785, 798.
Granada (Ludovicus), 847.
S. Gregorius Magnus, 61, 33, 152, 193, 582, 590, 666, 716, 743, 747 750, 756, 836, 874.
S. Gregorius Naz., 248, 290, 536, 566, 581, 666.
S. Gregorius Nyss., 862.

H

Haunoldus (Christophorus) 679.
Henao (Gabriel de), 468.
Henno(Franc.), 48, 200, 556, 662, 762, 808, 826, 833.
Hermas, 255.
Herrmann (Joannes), 1, 83, 200, 235, 264, 329, 371, 372, 424, 550, 553, 556, 583, 614, 630, 634, 638, 639, 649, 650, 662, 679, 699, 714, 785, 922.
S. Hieronymus, 33, 121, 162, 221, 236, 255, 290, 323, 410, 427, 562, 581, 750, 780, 788, 799, 814, 816.
Hilarius, non Episcopus Arelatensis, 234.
S. Hilarius, Episcopus Arelatensis, et Dr. 315, 596, 865, 874, 894.
S. Hormisdas, 234.
Hugon (Eduardus), 48, 418, 419, 420.
Hurter (H.), 639, 648, 700.

I

S. Ignatius Martyr, 588.
Innocentius III, 737.
Innocentius X, 240, 549, 394.
Innocentius XI, 799.
S. Irenaeus, 51, 346, 644, 862.
S. Isidorus, 2, 33, 790.

J

Janssens, 235.
Joannes a S. Thoma, 1, 364, 405, 536, 598, 639, 662, 741, 754, 757, 775.
S. Joannes Damascenus, 346, 644.
Joannes Maxentius, 234.
S. Justinus, 255, 626.

K

Kilber (Henricus), 91.
Knabenbauer (Josephus), 754.

L

Lahousse (Gustavus), 1, 48, 200, 376, 510, 556, 633.
S. Leo M. 61, 231, 346, 566, 588, 596, 644, 661, 797.
Leo X, 238.
Leo XIII, 710, 712.
Lessius (Leonardus), 1, 91, 303, 314, 326, 439, 466, 467, 509, 511, 549, 639, 648.
Ligorius (Alphonsus Maria de), 287, 371, 372, 424.
Lossada (Ludovicus), 733.
Lugo (Joannes de), 534, 833, 846.

M

Maldonatus (Joannes), 320.
Marius Mercator, 221, 236.
R. P. Martin (Ludovicus), 423.
Mastrius (Bartholomaeus), 432, 833.
Maurus (Sylester), 1, 48, 679, 741, 753, 937, 938.
Mayr (Antonius), 48, 91, 270, 655, 833.
Mazzella (Camillus, Card.), 83, 123 200, 264, 284, 303, 531, 534, 553, 630, 639, 650, 662, 679, 693, 710, 879, 880.
Mendive (Josephus), 1, 91, 231, 341, 556, 568, 650.
Meyer (Livinus), 477, 497.
Migne, Cursus completus theologiae, tom. 10, disp. 12, 241.
Molina (Ludovicus), 1, 91, 200, 214, 467, 469, 470, 471, 472, 473, 484, 485, 491.
Muniessa (Thomas), 83, 200, 583, 679, 682, 811.

N

Natalis Alexander, 233.

O

Optatus Milevitanus, 255.
Origenes, 562, 596.
Orosius, 221, 536.
Oviedo (Franc.), 48, 639, 679, 833, 880.

P

Pallavicinus (Sfortia, Card.), 622.
Paulus V, 468, 469.
Pesch (Christianus), 1, 48, 83, 221, 239, 284, 341, 535, 556, 614, 650, 662, 679, 699, 741, 799.
Perrone (Joannes), 303.
Petavius (Dionisyus), 331, 632, 639 648.
Petrus, diaconus, 234.
S. Pius V, 239.
Pius VI, 537, 850.
Pius IX, 537.
Pius XI, 509.
Platelius (Jacobus), 200, 650, 833.
Prado (F. Norberto del), 83, 364, 405, 406, 421, 422, 423, 470, 471, 472, 473, 483, 501, 504, 505.
Praepositus Generalis Societatis Jesu, 423.
S. Prosper, 33, 232, 234, 309, 316, 323, 414, 545, 824.

R

Rhodes (Georgius de), 679
Ripalda (Joannes Martínez de), 1, 48, 83, 91, 133, 159, 239, 264, 272, 273, 275, 283, 351, 466, 534, 553, 555, 556, 639, 649, 650, 662, 677, 678, 714, 732, 733, 783, 810, 846, 879, 880, 899, 917, 922, 937, 938.
Ruiz de Montoya (Didacus), 48, 91, 255, 264, 418, 467, 549, 556, 699.

S

Salesius (S. Franciscus, Episcopus et Dr.), 509, 833.
Salmanticenses, 1, 83, 270, 284, 287, 405, 535, 556, 583, 639, 649, 650, 677, 679, 699, 714, 809, 829, 831, 833, 847.
Schiffini (Sanctus), 1, 91, 221, 341, 376, 510, 534, 535, 556, 650, 672, 699, 741.
Schneemann (Gerardus), 466.
Scotus (Joannes), 1, 200, 650, 662, 686, 735, 741.
Sigebertus Gemblacensis, 237.
S. Sixtus III, 231.
Sotus (Dominicus), 200, 841.
Struggl (Marc. M.), 48, 83, 284, 303, 460, 510, 531, 639, 650, 811, 833.
Suarez (Franciscus), saepissime citatur.
Sylvius (Franc.), 48, 329, 510, 534, 741, 879, 883, 922.

T

Tabarelli (Richardus), 83, 200, 303, 535, 556, 562, 679.
Tanner (Adamus), 91, 364, 467, 552, 583, 591, 650, 662, 679, 741, 763, 785, 797, 798, 831, 917, 922, 941, 942.
Tepe (G. B.), 303.
Tertullianus, 414.
Theophilactus, 596.
S. Thomas, frequentissime citatur, et fere nunquam fit ipsius mentio, quin aliquod testimonium ipsius S. Doctoris adducatur.

Thomassini (Ludovicus), 632, 639, 648.
Tixeront (J.), 221.
Toletus (Franciscus, Card.), 320, 462.
Tournely (Honor.), 200, 221, 237 331, 534.

V

Val (Honoratus del), 83, 159, 331, 370, 535, 556, 679.
Valentia (Gregorius de), 1, 91, 270, 303, 313, 341, 467, 510, 534, 535, 550, 553, 556, 583, 598, 650, 662, 679, 741, 763, 769, 777, 785, 795, 797, 809, 847, 922, 937.
Van der Meersch (Josephus), 1, 83, 200, 303, 534, 556, 662, 699, 734, 741, 846, 848.
Vazquez (Gabriel), 1, 48, 159, 180, 467, 598, 679, 741, 847, 880, 917.
R. P. Vitelleschi (Mutius), 468.
Viva (Dominicus), 200, 284, 460, 534, 535, 549, 639, 650, 679.

W

Wagner (Anton.), 341.
Wenzl (Alphonsus), 679.
Wirceburgenses, 1, 48, 200, 221, 235, 237, 239, 241, 284, 331, 376, 510, 534, 535, 553, 556, 630, 650, 662, 846.

Z

S. Zosimus, 231.

Index alphabeticus rerum præcipuarum

(Citantur numeri ad marginem positi)

A

Actus. Actus entitative supernaturales sunt illi, qui ex se ordinantur ad Deum ut est in se attingendum, 46.- Actus hujusmodi debent esse actus intellectus vel voluntatis, 47.- Ut actus ad salutem conducat juxta Vazquez sufficit, ut actus dirigatur a cognitione congrua, seu sub qua homo recte operatur, saltem naturaliter; juxta alios sufficit gratia supernaturalis quoad modum; sed communior sententia sequirit actum entitative supernaturalem ut ad salutem conducat, 48.— Actus ad salutem per se conducentes, seu gratia actualis ad salutem ducens, debent esse entitative supernaturales, et hoc probatur ex S. Scriptura, 49.— Item ex Conciliis, 50.— Item ex PP., 51.— Item ex ratione theologica, 52.— Non sufficit actus esse supernaturales, quoad modum, et varii modi dicendi impugnantur, 53.— Concilia et PP. non solum docent actus patriae esse supernaturales; sed hoc ipsum indicant de actibus viae salutaribus, 54.— Homo potest cum gratia facere actus entitative supernaturales, 55.—

Alexander de Hales. Hic auctor non docet gratiam efficacem consistere in physica praedeterminitione, 508.

Amitti potest gratia. Doctrina catholica de hac re et doctrina haereticorum, 799.— Quodlibet peccatum mortale expellit gratiam sanctificantem, et hoc est de fide, 800. — Et probatur, 801, 802, 803, 804, — Gratia sanctificans propter solum peccatum mortale expellitur, 805.— Justus potest ita cadere, ut non resurgat, 806.— Solvuntur difficultates in contrarium, 807, 808.

Amor. Quid sit amor; alius est amor *benevolentiae*, alius *concupiscentiae;* uterque potest esse naturalis et supernaturalis; sive amor benevolentiae, sive concupiscentiae potest esse *perfectus* et *imperfectus;* tam perfectus quam imperfectus potest esse naturalis et supernaturalis, 198.— Amor benevolentiae dividitur etiam in efficacem et inefficacem: et amor efficax potest esse talis *affective* et *effective*, vel tantum affective; similiter amor concupiscentiae dividi potest, 199.— Certum est hominem posse amare Deum amore imperfecto et naturali: et etiam certum videtur hominem per longum tempus non posse solis naturae viribus amare Deum amore perfecto et efficaci tum affective, tum effective; quaestio vero est, utrum homo solis naturae viribus possit amare Deum amore perfecto, sed affective tantum. De hac re est duplex sententia, utraque probabilis; sed sententia affirmans videtur probabilior. 200.— Probatur hominem viribus naturae posse amare Deum amore perfecto et efficaci affective, sed non effective, 201.— Testimonia S. Scripturae, Conciliorum et Patrum, tribuentium caritatem vel amorem gratiae loquuntur de amore supernaturali, 202.— Etiam de amore supernaturali interpretandi sunt Conc. Arausicanum II, can. 25 et S. Augustinus ad Vitalem, 203.— S. Thomas negat hominem in statu praesenti posse amare Deum modo perfecto amore affective et effective, 204.— Licet homo amet Deum super

omnia naturaliter, non ideo justificatur nec vitabit peccatum, 205, 296, 207.

Auctoritas S. Augustini in materia de gratia. Id probatur ex Pontificibus Romanis S. Caelestino, S. Gelasio, S. Hormisda, S. Bonifacio, Joanne II, 32.— Id ipsum ostenditur ex Conc. Florentino, 32.— Patres id ipsum probant, ut S. Hieronymus, S. Prosper, S. Fulgentius, Cassiodorus, S. Gregorius M., S. Isidorus, 33.— Tamen singulae Augustini sententiae ex se non sunt certo infallibiles et orthodoxae, nisi constet contineri in S. Scriptura, vel in Conciliis Oecumenicis, vel in Litteris Pontificiis, 34.— Ipse S. Augustinus confessus est se non semel errasse, 35.

Augmentum et inaequalitas gratiae sanctificantis. Augmentum et inaequalitas gratiae sanctificantis, 777.— Errores Joviniani, Lutheri et aliorum haereticorum, 777 — Gratia sanctificans bonis operibus supernaturalibus augetur, et hoc probatur, 778, 779, 780, 781.— Corollarium ex dictis, quod etiam ex S. Scriptura et ex S. Augustino confirmatur, 782.— Gratia sanctificans et virtutes per se infusae minui non possunt, 783.— Aliae quaestiones referentes ad gratiam sanctificantem et virtutes hic non tractantur, 784.

Augustinus (*Sanctus*), de gratia efficaci. Res magni momenti est cognoscere quid S. Augustinus senserit de gratia efficaci, 474.— S. Augustinus facit gratiam efficacem illam, quae est vocatio congrua, seu talis, quae affectionibus et dispositionibus subjecti est accommodata, 475.— Idem Augustinus dicit Deum facere ut credamus per vocationem, 476.— Idem S. Doctor comparat gratiam efficacem luci et voluntatem oculo, et asserit gratiam non juvare eos, qui illi respondere non conantur, 477.— Alibi ab ipso Sancto Doctore tribuitur efficacia gratiae, quia voluntas a Deo praeparatur, non quia praedeterminatur, 478.— Secundum S. Augustinum primus homo habuit adjutorium, quo, si vellet, in justitia permanere posset; et boni angeli per liberum arbitrium steterunt, 479.— Homines miris modis inducuntur ad credendum, 480.— Gratia facit nos audire, discere, dirigi, credere et bene operari, quod etiam a libero arbitrio pendet, 481.— Homo potest secundum Augustinum per gratiam mutare voluntatem in melius, 482.— Ad finem ejusdem numeri ponuntur alia testimonia in confirmationem doctrinae S. Augustini. Quidam ex adversariis ponit secundum S. Augustinum gratiam efficacem habere hos characteres, videlicet: auferre duritiam cordis, transmutare liberam hominis voluntatem ex mala in bonam, inclinare liberam voluntatem ad bene agendum indeclinabiliter et insuperabiliter, augere libertatem voluntatis humanae, communicare perseverantiam in bono et discernere bonos e malis. Ostenditur hos omnes characteres non requirere physicam praedeterminationem, et bene stare cum gratia efficaci prout explicata est, 483.— S. Augustinus docet esse difficile conciliare gratiam cum libertate, et huic doctrinae Molina non contradicit, 434.— Doctrina Molinae quoad substantiam non est nova, 485.— Non est contra doctrinam explicatam debere esse supernaturalem omnem actum salutarem, 486.— Gratia quam S. Augustinus propugnabat contra Pelagium, non exigit physicam praedeterminationem, 487.— S. Augustinus non ponit physicam praedeterminationem ut discernentem consentientem a non consentiente, 488.— Nec alia causa illam ponit, 489.— Deus movet voluntatem indeclinabiliter et insuperabiliter, quia illi eas gratias communicat, quibus scit voluntatem humanam esse infallibiliter consensuram, 490; et Deus etiam scit voluntates humanas ab ipso magis pendere, quam ab homine, sed semper est in potestate hominis consentire vel dissentire, eodem loco.— Doctrina Molinae accussatur semipelagianismi; verum id fundamento caret, ut constat ex dictis antea, et ex his quae hic dicuntur, 491.— Explicatur quid sit secundum S. Augustinum vocare secundum propositum, 492.

B

Beatitudo et fructus. Quid sit beatitudo, et quid beatitudines. Sunt actus optimi, 757.— Quid sint fructus; sunt actus boni, ut nomen ipsum indicat, 757.

C

Cajetanus (*Thomas de Vio, Card.*). Hic auctor videtur contrarius gratiae efficaci per physicam praedeterminationem, 508.

Capreolus. Hic auctor recipit doctrinam Bernardi de Gannato, qui dicit: "Si autem dicat quod non est in potestate voluntatis agere vel non agere, libertatem tollit..." 508.

Caritas. Haec virtus est principalissima inter omnes virtutes, et hic quaeritur, utrum sola caritas mereatur gloriam et gratiam sanctificantem, 832.— Opiniones theologorum de hac re, 833.— Ad meritum non requiritur actus elicitus a caritate, et hoc ostenditur, 834, 835, 836, 837, 838. Nec requiritur actus imperatus a caritate, 839.— Explicantur opposita, 840, 841, 842, 843, 844. Omnes actus boni et liberi hominis justi sunt meritorii et supernaturales, 845, 846, 847.— Specialim probatur omnes actus bonos et liberos hominis justi esse meritorios, 848, 849, 850.— Solvuntur opposita, 850.

Causa. Causa gratiae actualis. Plures theologi sentiunt dari qualitatem non vitalem, quae sit causa primae illustrationis intellectus et primae affectionis voluntatis, licet in modo explicandi differant; sed alii theologi talem qualitatem non admittunt. 83.— Haec postrema sententia probatur, quia talis qualitas seu motio in S. Scriptura contineri non videtur, 84.— Hoc ipsum probatur ex Tridentino et ex PP., et S. Thoma, 85.— Neque *Apoc.* III, 20, neque *Rom.* VIII, 14, dicitur aliquid pro qualitate vel motione non vitali, 86. Nec S. Augustinus sententiae contrariae favet, 87.— Neque Concilia et Patres adversariis favent, 88.— Neque alia, quae objiciuntur, probant. 89, 90. Omnes theologi consentiunt primam gratiam excitantem a solo Deo produci; verum de aliis gratiis est quaestio inter theologos. Altera sententia docet auxilia gratiae concurrere physice in productionem actuum salutarium, immo etiam influere, quum jam habentur habitus per se infusi. Altera sententia docet gratiam actualem produci a solo Deo in iis, qui non habent habitus per se infusos, et per habitus per se infusos cum concursu supernaturali Dei in iis, qui habitus per se infusos habeat, 91, 107.— Variis argumentis probatur gratiam excitantem non influere physice in actus salutares, 93, 94, 95, 96; sed influit tantum moraliter, 92. 97. In homine non habente habitus per se infusos divina Omnipotentia est causa physica gratiae; in eo vero qui habitus per se infusos habet hi habitus sunt causae gratiae, simul cum concursu supernaturali Dei; hoc probatur, 99, 100, 107.— Quid sint habitus per se infusi, et quo modo operentur, 98.— S. Paulus doctrinae positae non opponitur, 101.— Neque opponitur Conc. Arausicanum II, canonibus 5, 6. 7, 102.— Nec oppositum docent Milevitanum II, can. 4, nec Tridentinum, sess. 6, cap. 5, 103.— Nec contrarium sentiunt SS. PP., nec S. Bernardus, *De gratia et libero arbitrio*, 104.— Nec ratio contrarium suadet, 105.— Gratia excitans et gratia physice adjuvans realiter distingui; et gratia moraliter excitans, et gratia moraliter adjuvans est una eademque gratia, 106.

Causa finalis. Conc. Tridentinum enumerat causas justificationis, de quibus hic agendum est. Causam finalem dicit esse gloriam Dei, Christi et vitam aeternam, 758. In hoc numero explicatur, cur hic de aliis causis non agitur. Gloriam Dei esse finem ultimum justificationis exponitur, 759, 760. Similiter de gloria Christi ostenditur, 761. Et idem de vita aeterna, 762.— Deus est causa physica pricipalis gratiae sanctificantis: definitur quid sit causa efficiens; quid causa princi-

palis, et quid instrumentalis, 763; ostenditur solum Deum esse causam principalem gratiae sanctificantis, 764, 765, 766, 767.— Solvitur quod in oppositum objicitur, 769 770, 771. — Explicatur quod in oppositum objicitur, 772, 773, 774.— Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei et res miraculosa, 776.

Concordia liberi arbitrii P. Molina, et ipse P. Molina defenduntur contra nonnullas impugnationes, 463, 470, 471, 472, 473.

Concursus. Concursus intellectus et voluntatis in actus supernaturales et stricte tales. Facultates naturales et concurrentes in actus supernaturales vocantur oboedientiales; potentia oboedientialis alia est activa, alia passiva, 109, 110.— Potentiae naturales spirituales elevari possunt ad producendos actus supernaturales per elevationem extrinsecam, 111.— Probatur voluntatem influere in actus salutares, aliquo modo, 112, 113.— Etiam influere physice et immediate, 114, 115, 116, 117.— Intellectus etiam influit in actus salutares, 118.— Concursus facultatum naturalium in actus salutares non ostenditur repugnare ex *Rom.* IX, 16, neque ex VIII, 14, 119.— Neque hoc ostenditur ex S. Augustino, 120.— Neque ex aliis PP., 121.— Neque gratia, quamvis sit tota ratio supernaturalitatis actus, impedit potentias naturales elevatas influere in actus supernaturales per eamdem actionem cum ipsa gratia, 127.— Potentiae naturales sunt intrinsece inepfae ad aliquid supernaturale faciendum ex se ipsis, non autem elevatae per principium supernaturale, 123.— Actus supernaturalis, licet a potentia naturali etiam producatur, est simpliciter supernaturalis, 124.— Vitalitas communicatur actui supernaturali per potentiam vitalem naturalem, non solam, sed elevatam per principium supernaturale, 125.— Quamvis actus supernaturales sint tales adaequate, non impediunt influxum principii naturalis, 126.— Influxus potentiae naturalis non est secundum perfectionem talis potentiae; sed secundum elevationem, 127.— Sententia hic defensa non favet pelagianis, nec semipelagianis, 128.— Principium supernaturale et naturale per eandem actionem operantur, 129.— S. Thomas non videtur contrarius sententiae his defensae, 130, 131.— Facultates naturales influunt in rem supernaturalem ut causae instrumentales, 132. — Facultates naturales concurrere possunt in actus supernaturales sine adjutorio supernaturali intrinseco, sed adjutae per divinam omnipotentiam, 111, 133, 134,— S. Thomas non videtur contrarius huic sententiae, 136, 137.

Conditiones non necessariae ad meritum. Opera esse praecepta non est impedimentum pro merito, et hoc explicatur, 851, 852.— Neque est impedimentum opera esse Dei, 853.— Neque intentio praemii impedit praemium, et hoc explicatur, 854; sed intentio praemii est sufficiens ad praemium, 855; licet non sit necessaria, 856.— Solvuntur opposita, 857, 858.

D

Decretum P. Claudii Aquaviva, Praepositus Generalis Societatis Jesu statuens sententiam a PP. Societatis defendendam circa gratiam efficacem, ita fuit postea a Congregatione Generali septima Societatis Jesu et a P. Mutio Vitelleschi, praeposito generali, declarata, ut non excludat sententias benigniores a PP. Societatis Jesu, 468.

Distributio gratiae efficacis. Gratia efficax distribuitur a Deo cum scientia futuri consensus, 455, 456. — Deus gratiam efficacem communicat per decretum efficax benevolum, 457.— Speciale beneficium facit Deus, quum largitur gratiam efficacem, 458.— Deus non expectat voluntates nostras ad agendum, 459.— *Scientia media* nec divinam omnipotentiam restringit, nec facit aliquem non posse reprobari, aut non posse converti, 460.— Scientia media, licet gratiam efficacem intrinsece non constituat, tamen est necessaria, ut Deus cognoscat eventum communicationis gratiae effi-

cacis, et sine laesione libertatis obtineat actum liberum, quem voluerit, 461.— Deus justis causis non tribuit gratiam praevissam efficacem, 462.— Admitti possunt praedifinitiones illae virtuales, quae actum oppositum non impediunt, 463.— Discrimen inter scientiam mediam et praedefinitiones, 464.— Praedefinitio, licet non sit absolute efficax, potest constituere decretum benevolum et speciale beneficium, 465.

Dona Spiritus Sancti. Quid sint dona Spiritus Sancti, et variae de ipsis opiniones, 741.— Admittenda sunt dona Spiritus Sancti, et hoc probatur ex S. Scriptura, 742, ex PP., 743, ex S. Thoma, 744.— Dona probabilius sunt habitus, 745; et realiter distincta a virtutibus per se infusis, 746, 747, 748.— Et tantum septem, 749, 750.— Explicantur quae in contrarium afferuntur, 751, 752, 753.— Singula dona explicantur, 754, 755.— Dona sunt necessaria ad salutem et requirunt gratiam; sunt inter se connexa; sunt perfectiora virtutibus intellectualibus et moralibus; sed minus perfecta quam virtutes theologicae.

E

Effectus gratiae sanctificantis. Secundum catholicos peccata vere remittuntur; sed inter illos disputatur, utrum remittantur per physicam oppositionem cum gratia sanctificante, aut tantum per moralem, 662.— Opiniones haereticorum, 663. — Juxta doctrinam catholicam peccata vere remittuntur, et hoc est de fide, 664.— Probatur per gratiam sanctificantem peccata vere remitti, 665, 666, 667.— Solvuntur difficultates ex S. Scriptura, 668 669.— Gratia sanctificans non modo delet peccata, sed hoc facit physice et ex natura sua; gratia sanctificans vere delet peccata. Hoc probatur ex S. Scriptura, 670, ex PP., 671, ex Tridentino, 672.— Gratia sanctificans delet peccata ex natura sua et physice, et ostenditur hoc ex S. Scriptura, 673, ex Tridentino, 674, ex S. Thoma, 675 et ex ratione, 676.— Peccata mortalia in praesenti providentia non remittuntur nisi per infusionem gratiae sanctificantis, 677; eodem numero tractatur, utrum de potentia absoluta peccatum mortale remitti possit sine infusione gratiae; utrum peccatum remitti possit sine retractatione; utrum unum peccatum mortale possit remitti sine alio; utrum peccatum remitti possit antequam sit, vel dum actu est.— De remissione venialium extra sacramentum, 678. — Quaeritur, utrum peccatum mortale et gratia sanctificans absolute inter se repugnent, et dantur diversae sententiae, 679.— Peccatum mortale et gratiam sanctificantem absolute repugnat dari simul, et hoc probatur ex S. Scriptura, 680; et ex Conc. Tridentino, 681, et rationibus theologicis, 682, 683.— Explicatur quod in contrarium opponitur, 684. — Explicatur quid sit hominem esse justum, sanctum, gratum Deo et ipsius amicum, et filium Dei adoptivum, 685.— Protestantes negant gratiam facere homines justos, sanctos, gratos Deo et ipsius amicos et filios Dei adoptivos; sed catholici affirmant haec omnia per gratiam sanctificantem fieri, 686; sed aliqui catholici affirmant haec tantum moraliter a gratia sanctificante fieri; sed sententia communior tenet fieri physice, 686.— Gratia sanctificans facit homines justos et sanctos, et hoc ex natura sua, 687, 688, 689.— Gratia sanctificans facit homines gratos Deo et ipsius amicos, 690, 691, 692, 693, et hoc facit physice et ex natura sua, 694.— Gratia sanctificans facit hominem filium Dei adoptivum, 695, 696, 697; et hoc facit ex natura sua, 698.

Errores circa gratiam. Pelagius: fuit anglus et monachus; describuntur ejus mores et ingenium, 221.— Praecipui discipuli Pelagii fuerunt Caelestinus, Julianus et Annianus, 222.— Praecipui errores Pelagii sunt tres: gratiam ex meritis conferri, justum in hac vita sine peccato vivere posse, non dari peccatum originale. His erroribus adjunguntur: hominem sine gratia mandata servare posse, et gratiam solum juvare

ad rem facilius faciendam; liberum arbitrium esse unicam gratiam, quam cum ipsa natura accipimus; liberum arbitrium tantum juvatur per legem et doctrinam; orationem non esse necessariam. Praeterea docebat justos esse sine macula et ruga; parvulos non baptizari ad peccata delenda, sed pro consecutione regni caelestis; Adamum moriturum, sive peccaret, sive non peccaret. 223. — Inter catholicos alii admittunt Pelagium admisisse auxilia gratiae interioris et gratiam sanctificantem; alii hoc negant. Tamen omnes catholici admittunt Pelagium negasse necessitatem gratiae ad salutem, et defendisse gratiam dari ex meritis naturalibus, 225. — Pelagius docebat parvulos non baptizatos consequi vitam aeternam, sed non regnum caelorum, 225, ad finem. — Variationes Pelagii saltem in modo loquendi, 226, 227. — Quid Pelagius statuebat circa possibilitatem, voluntatem et actionem, 228. — Tria Pelagii fundamenta, 229.— Plura Concilia doctrinam pelagianismi damnarunt, 230.— Plures Pontifices Romani pelagianismum damnarunt, 231.— Praecipuus impugnator pelagianismi fuit S. Augustinus, 231, ad finem.— Errores Semipelagianorum. Quinam fuerunt semipelagiani; praecipui sectatores semipelagianismi, 232.— Errores semipelagianorum, 233, ad finem.— Impugnatores Semipelagianismi fuerunt S. Augustinus, S. Prosper et plures alii, 234.— Semipelagianismus damnatus fuit a Summis Pontificibus et Conciliis, 234.— Errores alii circa gratiam. De ethnicis et Judaeis, 235.— Praecursores Pelagii, 236.— De haeresi praedestinatiana, 237.— Errores circa gratiam Lutheri, Calvini, Baii, Jansenii, Quesnelli, aliorumque, 238, 239, 240, 241, 242.—

Existentia meriti condigni et congrui. Doctrina haereticorum; doctrina catholica, 859. Admittendum est verum meritum re ipsa existens, et id probatur ex S. Scriptura, 860; et ex Conciliis, 861; et ex PP., 862; et ratione, 863.— Existit meritum vere condignum, et probatur ex S. Scriptura, 864; et ex Tridentino et ex PP., 865; item ratione, 866.— Homo re ipsa meret etiam de congruo, et hoc ostenditur ex S. Scriptura, 867; et ex PP., 868; et ex Tridentino, 869.— Opponuntur plura ex S. Scriptura contra verum meritum, 870, 871, 872, 873. Opponuntur etiam aliqua ex PP., 874. Opponuntur etiam aliqua per rationem, 875, 876, 877.— Etiam nonnulla opponuntur contra condignitatem meriti, 878.

F

Ferrariensis, seu Franciscus de Sylvestris. Hic auctor ita docet: "Sed quia divina providentia unumquodque secundum naturae suae conditionem gubernat et movet, homo autem est liberi arbitrii, potestque divinam motionem sequi et non sequi; inde est, quod aliqui divinam hanc motionem sequentes, se ad gratiam praeparant, aliqui vero ipsam non sequentes, non se praeparant ad gratiam, sed illi magis impedimentum praestant peccando." 508.

G

Gratia. Sumitur pro *pulchritudine*, pro *amore benevolo*, pro *gratiarum actione*, pro *dono omnino gratuito*, 1.— Ex quatuor acceptionibus nominatis, quarta est praecipua; haec quarta acceptio difinitur, et definitio explicatur; Sancti Patres eamdem notionem tradunt, 2. — De amore benevolo, quatenus est gratia, 3. — Fertur judicium de variis gratiae acceptionibus, 4. — Etiam dona naturalia vocari possunt gratia; sed gratia theologice et stricte sumpta est sola gratia supernaturalis; definitur haec gratia et definitio evolvitur, 5.— Gratiae divisio. In gratiam Dei et gratiam Christi dividitur, 6; in gratiam increatam et creatam, 7; in gratiam internam et externam, 8; in gratiam gratis datam et gratum facientem, 9; in gratiam habitualem et actualem, 10; in gratiam supernaturalem quoad substantiam et supernaturalem

tantum quoad modum; in gratiam elevantem et medicinalem, 11; in gratiam intellectus et voluntatis.

Gratia excitans. Gratia actualis subdividitur in excitantem et adjuvantem, 12.— Definitur gratia excitans, et etiam adjuvans; gratia excitans vocatur etiam *praeveniens* et *operans*, et gratia adjuvans, *comitans, cooperans, subsequens*, 12.— Gratia excitans non modo potest esse judicium, sed etiam simplex apprehensio, 13.— Gratia excitans formaliter consistit in illuminatione intellectus et pia affectione voluntatis, 14.— Hoc de illuminatione intellectus probatur ex S. Scriptura, 15; et ex Tridentino, 16.— Probatur item de pia affectione ex S. Scriptura, 17; item ex Conciliis et PP., 18. — Item ratione, 19.— Gratia excitans est prima gratia quam Deus homini communicat, et importat actus indeliberatos et vitales, 20.— Probatur gratiam excitantem esse primam gratiam internam ex Tridentino, 21.— Et ex S. Augustino, 22.— Probatur gratiam excitantem importare actus indeliberatos et vitales ex Tridentino, et ex S. Augustino, 23,— Et argumento theologico, 24.— Illustrationem salutarem et piam affectionem esse actus inefficaces, 25.— Actus gratiae excitantis possunt esse varii, ut probatur ex S. Scriptura, 26.— Id ipsum ex Tridentino ostenditur, 27.— Et etiam ex Patribus, 28.— Et ratione, 29.— S. Augustinus non exigit omnia debere esse ex caritate proprie tali, 30.— Gratia excitans etiam per actus deliberatos constitui potest, et hoc ex Arausicano, Tridentino et ratione probatur, 34.— Gratia adjuvans. Quid sit late, et proprie; ejus divisio in moraliter et physice adjuvans, 36.— Probatur gratiam adjuvantem admittendam esse ex S. Scriptura, 37.— Ex Conc. Tridentino, 38.— Ex PP., 39.

Gratiae aliae declarationes. In operantem et cooperantem. Explicatur haec divisio; non est illi contrarius S. Thomas, 40.— Gratia operans et cooperans sunt eaedem cum gratia excitante et adjuvante, 41.— Gratia operans et cooperans applicari quoque possunt gratiae habituali; sed principaliter sumuntur ut gratiae actuales; opinio D. Thomae, et aliorum, 42.— Gratiae subdivisio in praevenientem, comitantem et subsequentem. Haec gratiae divisio fundatur in S. Scriptura et traditione, et speciatim in Tridentino, 43.— Haec divisio varie explicatur secundum terminos, cum quibus comparatur; S. Thomas ponit quinque effectus gratiae, 44.— Haec subdivisio gratiae habituali etiam applicatur; gratiae praevenientis, excitans et operans sunt eaedem gratiae cum diversis respectibus; similiter gratiae comitans, subsequens, adjuvans et cooperans; alia subdivisio gratiae actualis est in gratiam sufficientem et efficacem, 45.

Gratia est omnino gratuita. Id traditur, 56, 57. Gratuitas gratiae probatur ex S. Scriptura, 59.— Item ex Conciliis, 60.— Item ex Patribus, 61.— Item ratione theologica et S. Thoma, 62.— Ea quae objiciuntur ex *Ps.* XXII, 6; *Ps.* XXXVII, 14; *Ps.* CXVIII, 147; *Paralip.* XV, 1, 2; *Prov.* XVI, 1; *Zacharia*, 1, 3. Singula explicantur, et ostenditur nihil probare contra gratiae gratuitatem, 63.— Similiter ostenditur nihil contineri contra gratiae gratuitatem *Matth.* XXV, 15; nec ad *Rom.* VII, 18, 64.— S. Thomas non docet vires naturae sufficere ad meritum congruum, 65.— Nec Deus est acceptor personarum, quia pro suo arbitrio gratias distribuit, nec quia opera mala merentur punitionem, ideo bona opera naturalia merentur praemium gratiae, 66.— Gratia naturaliter nullo modo impetrari potest, 67.— Et hoc probatur ex Conc. Arausicano, 68.— Id ipsum ex S. Scriptura probatur, 69.— Et ex S. Augustino, 70.— Et ratione theologica, 71. — Nec huic doctrinae S. Thoma opponitur, 72, 73.— Homo nullo modo potest positive se disponere ad gratiam recipiendam; et hoc probatur ex Conc. Arausicano et ex S. Augustino, 74, 75, 76, 77, 78.— Nec S. Thomas huic doctrinae opponitur, 79.— Nec ad gratiam habendam requiritur per vires naturales posse consequi, 80; nec virtutes naturales remu-

nerari, 81.— Naturaliter impedimenta gratiae tolli possunt, 82.

Gratia efficax. Nulla est controversia de gratia efficaci in actu secundo; omnes gratiam efficacem in actu secundo reponunt in ipso consensu salutari. Tota igitur controversia est de gratia efficaci in actu primo, 437.— Secundum S. Augustinum ut gratia sit efficax, debet esse congrua, i. e, debet aptari subjecto, cui tribuitur, 437.— Item debet esse infallibiliter connexa cum consensu, 438.— Non ex suis intrinsecis, sed externe, 438.— Praecipue congruitas gratiae efficacis est ejus infallibilis connexio cum consensu, eodem loco.— Gratia efficax dicit ordinem, per denominationem extrinsecam, ad consensum; item ad locum, tempus, circumstantias, effectiones personae, cui tribuitur, 439.— Gratia efficax continet virtutem sufficientem ad actum salutarem eliciendum: est instrumentum generale Dei ad consequendos actus infallibiliter et sine laesione libertatis; denique est beneficium speciale prae sufficienti, 440.— Secundum communem sententiam Patrum Societatis gratia efficax nihil habet intrinsecum, quod gratia sufficiens habere non possit; et ex suis intrinsecis nihil habet, quod dissensui repugnet, 441.— Probatur gratiam efficacem nihil intrinsecum continere quod gratia sufficiens habere non possit, immo gratia sufficiens potest esse perfectior efficaci, 442.— Item probatur gratiam efficacem esse auxilium adaequate praeveniens et infallibiliter connexum cum consensu per scientiam mediam, 443, 444, 445.— Quaedam opposita, praesertim ex S. Scriptura, solvuntur, 446, 447, 448.— Non sequuntur absurda ex eo, quod gratia fiat efficax per consensum conditionate futurum, 449.— Explicatur qua ratione S. Scriptura et PP. in negotio salutis omnia Deo tribuunt, 450. — Concilium Tridentinum non favet Luthero et Calvino, 451.— Gratia efficax in actu primo a solo Deo pendet, neque est contra jura Dei voluntatem creatam determinare suam operationem liberam, 452.— Gratia non est efficax pro priori ad consensum conditionate futurum, nec consensus tribuit gratiae virtutem agendi, 453.— Gratia inefficax intrinsece habere potest omnia, quae habeantur a gratia efficaci, 454.

Gratia efficax ab intrinseco non videtur admittenda. Quid sit gratia ab intrinseco efficax; talis gratia physice vel moraliter consensum necessario trahit; quinam hanc gratiam defendunt, 424.— Gratia ita efficax ab intrinseco, ut physice vel moraliter consensum necessario trahat rejicienda videtur.— Hoc probatur ex S. Scriptura, 425.— Item ex Conciliis, 426.— Similiter ex PP., 427.— Etiam ex S. Thoma, 428.— Hoc etiam ratione probatur, 429.— Declarantur ea, quae ex S. Scriptura opponuntur, 430, 431.

Gratia efficax haereticorum. Lutherus et Calvinus asserunt hominem post peccatum originale amisisse libertatem: Jansenius docet post peccatum originale hominem necessario sequi quod ipsum magis delectat, 390.— Explicatur libertas et ipsius praecipue divisiones, 391.— Lutherus, Calvinus et Jansenius docent hominem sub gratia efficaci operari necessario, 392,— Homo sub gratia efficaci libere operatur, et hoc ostenditur ex S. Scriptura, 393. — Id ipsum ostenditur ex Conciliis et Summis Pontificibus. 394. — Item ex S. Augustino, 395. — Eadem res probatur ratione, 396. — Sententiae Lutheri, Calvini et Jansenii omnino sunt rejiciendae, 397.— S. Scriptura nullo modo asserit gratiam efficacem tollere libertatem, et singuli textus, qui opponuntur, declarantur, 398.— Ecclesia in suis precibus non indicat gratiam efficacem tollere libertatem, 399.— S. Augustinus non significat gratiam tollere libertatem, 400, 401, 402.— Nec S. Augustinus Jansenio favet, 403, 404.

Gratia necessaria in peccatoribus et injustis. Pro peccatoribus est necessaria gratia actualis, qua excitantur et vocantur, et praeterea principium physice operans, quod quidem principium aut est gratia increata, aut habitus fidei vel spei,

262, 263.— Justus ad salutariter operandum requirit gratiam actualem et habitus supernaturales, 264. Hoc Probatur ex Conc. Tridentino, 265. — Hoc ipsum probatur ex Summis Pontificibus et ex S. Augustino, 266. — Item ratione, 267. — Habitus supernaturales non sufficiunt sine gratia actuali, 268.— Nec objecta externa sufficiunt, nisi detur gratia actualis, 269.— Ad peccata mortalia vitanda per longum tempus secundum communiorem theologorum sententiam est necessaria gratia sanctificans, 270.— Hoc probatur ex S. Thoma, 270.— Peccatores fideles, haeretici et infideles possitivi habent sufficientem notitiam verae religionis, ut cum gratia Dei converti possint, 271; infideles vero negativi nullam verae religionis notitiam habent; verum Deus illos juvabit, ut ad veram conversionem pervenire possint, 271.

Gratia efficax non est praemotio physica. Explicatur quid sit praemotio physica; ut recte intelligatur afferuntur plures auctores defensores promotionis physicae, et ipsorum explicatio praemotionis, 405.— Ex testimoniis defensorum praemotionis physicae infertur, qua ratione praemotio physica sit definienda; communius distinguitur a concursu simultaneo; praemotio est necessaria in ordine naturali et in supernaturali, 406.— Gratia efficax non est praemotio physica, 407. — Quid sentiat B. Bellarminus de praemotione physica; quid P. Suarez.— Probatur ex S. Scriptura gratiam efficacem non esse praemotionem physicam, 408.— Id ipsum ex Conciliis ostenditur, 409.— Item ex Patribus, 410.— Id ipsum probatur ex S. Augustino, 411. — Gratia physice praemovens non permittit gratiam sufficientem, 412.— Ratione theologica probatur praemotionem physicam non esse gratiam efficacem, 413.— Aliqui Patres physicae praemotioni non favent, 414.— Praemotio physica revera libertatem tollere videtur, 415.— Quamvis Deus sit primum movens, primum agens, primum determinans etc., non potest physice praedeterminare, 416.— Negatur per concursum simultaneum non servari libertatem, 417.— Non potest esse falsum systema, cujus principia sunt certa, et conclusiones concatenatae cum illis, 418. — Haec necessaria connexio inter principia certa et praemotionem physicam non ostenditur, 418. — Dominus non solum est causa entis, sed etiam omnium differentiarum entis, 419. — Verum si Deus determinat ad unum, tollit libertatem, 419. — Sententia S. Thomae, 419.— Praemotio physica non sinit libertatem, 420-421, 422, 423, Exponitur doctrina P. Prado (Norberti del).

Gratia efficax secundum plures scotistas. Quid sit gratia efficax recepta a pluribus scotistis; quomodo explicant scotitae decretum *condeterminans*, 432. Non potest admitti decretum condeterminans efficax, quia cum libertate non posse stare videtur, 433, 434, 435.— Solvuntur ea, quae opponuntur, 436.

Gratia gratis data. Quomodo se habeant inter se et distinguantur gratiae gratum facientes et gratiae gratis datae, 553.— Singulae gratiae gratis datae declarantur, 554.— Nonnulla dubia solvuntur, 555.

Gratia sanctificans. Gratia sanctificans plures requirit dispositiones, 597; disputatur utrum ultima dispositio ab ipsa gratia sanctificante producatur, 598.— Posita ultima dispositione, in instanti producitur gratia sanctificans, 599; quamvis ut omnia requisita detur, requiritur tempus, 560; licet non absolute requiratur, 561.— De prioritate inter actus, qui sunt praeparatio ad sanctificationem, 602, 603, 604, 605, 606.—Ultima dispositio ad sanctificationem est prior ipsa sanctificatione, 609.— Quid de S. Thoma, 610.— Varii sensus in quibus vocabulum justitia accipi potest, 611.— Ex his sensibus hic sumuntur quae ad rem faciunt, 612.— Quid sit justificare, 613.— Diversi haereticorum errores, 614.— Sententia catholicorum, 615. — Justitia vel gratia sanctificans est donum homini intrinsecus inhaerens, 616; et hoc probatur ex S. Scriptura, 617, ex

PP., 618, ex Tridentino, 619 ratione theologica, 620. Gratia sanctificans est permanens, et hoc ostenditur ex S. Scriptura, 621, ex Tridentino, 622, ex Patribus, 623, ratione theologica, 624.— Rejiciendae sunt omnes sententiae haereticorum, 625.— Solvuntur difficultates ex S. Scriptura, 626, 627.— Explicantur difficultates ex SS. PP., 628.— Item e ratione, desumptae 629. Spiritus Sanctus non est gratia sanctificans, et hoc probatur ex S. Scriptura, ex Tridentino, ex Patribus et ratione theologica, 630. — Exponuntur opposita ex S. Scriptura, 631; et ex Patribus 632. — Gratia sanctificans realiter distinguitur ab anima et ab ejus potentiis, 633. — Gratia sanctificans est accidens absolutum, spirituale, et qualitas quaedam; hoc explicatur et probatur, 634, 635, 636, 637.

Gratia sanctificans quoad essentiam. Declaratur quid sit essentia et natura Dei; quid sit participatio, formalis et virtualis; univoca et analoga; natura in ordine naturali et in ordine supernaturali, 638.— Opiniones theologorum ad explicandam ipsam naturam gratiae sanctificantis, 639.— Gratia sanctificans est quaedam natura in ordine supernaturali, et hoc probatur ex S. Scriptura, 640.— Gratia sanctificans non est Spiritus Sanctus, aut aliqua persona divina, 641.— Gratia sanctificans est radix omnium virtutum et donorum supernaturalium, 642; et est realiter distincta a caritate, 642, ex quibus infertur gratiam sanctificantem esse quamdam naturam. Gratia sanctificans est specialis participatio naturae divinae, et hoc ostenditur ex S. Scriptura, 643, et ex PP., 644, et ex propositione 42 Baii damnata, 645,— Gratia sanctificans est radix virtutum supernaturalium et donorum, et hoc probatur, 646.— Gratia sanctificans est etiam specialis participatio naturae divinae ethice, 647.— Refutantur sententiae non approbatae, 648. — De excellentia gratiae sanctificantis, 649. — Gratia sanctificans et caritas distinguuntur ratione munerum, 650; utrum etiam distinguantur inter se realiter, disputatur, 650. — Gratia sanctificans et caritas realiter inter se distinguuntur, et hoc ostenditur ex S. Scriptura, 651, ex Conciliis, 652, ex S. Thoma, 653, ratione, 654. — Solvuntur difficultates ex S. Scriptura, 655; item ex S. Augustino, 656; similiter ex Tridentino, 657; et etiam ex ratione depromptae, 658, 659. — Gratia sanctificans est simplex qualitas et est propter merita Christi, 660, 661.

Gratia sufficiens. Ejus explicatio; divisio in gratiam praecisive, positive et negative sufficientem; item in gratiam proxime et remote sufficientem, 341. — Lutherus et Calvinus gratiam sufficientem negarunt; Jansenius admisit hominem sequi illud, quod eum magis delectat; item admisit gratiam magnam et parvam, potentiam absolutam et relativam, 342. — In statu naturae lapsae datur gratia tribuens completam potestatem et expeditam ad agendum, licet non sequatur operatio; idque ex Veteri Testamento et ex Novo probatur, 343. — Hoc ipsum ex Conciliis probatur, 344. — Etiam ex propositionibus damnatis, 345. — Et ex PP., 346. — Et ex S. Augustino, 347. — Denique ratione theologica, 348. — Gratia sufficiens tribuit quoque vires relative sufficientes, 349. — Gratia vere sufficiens in praesenti statu debet constare gratia excitante intellectus et voluntatis, et omnibus principiis physicis necessariis ad operandum, et concursu Dei, et hoc probatur, 351; tamen gratia sufficiens potest esse solum remote sufficiens, 350. — Neque ex Veteri, neque ex N. T. aliquid probatur contra gratiam vere sufficientem, 351, 352.— Ecclesia agnoscit gratiam vere sufficientem, 353. — Causaliter et virtualiter non requiruntur plura ad agendum, quam ad habendum posse agere, 354.— Gratia mere sufficiens non dicit negationem consensus ex defectu potestatis ad agendum, 355.— Gratia vere sufficiens tribuit omnia necessaria ad expedite agendum, 356.— Ad expedite agendum non est necesse dari aequalem

excitationem in bonum et in malum, 357.— De mente S. Augustini circa gratiam sufficientem, 358, 359, 360, 361, 362.— De Causa inefficaciae gratiae mere sufficientis, 363. Quid sit beneficium; gratia sufficiens est beneficium materiale et formale, 376. — Probatur gratiam sufficientem esse beneficium materiale, 377, 378, 379. — Probatur etiam esse beneficium formale, 380. — Non est melius carere auxilio sufficienti quam illud habere, 381. — Gratia vere sufficienti carere non est utilius quam illam accipere, 382. — Gratia vere sufficiens prodest, si homo illa utatur, ut potest, 383. — Potest orari pro gratia sufficienti, quatenus tribuit verum posse, 384. — Deus non tribuit auxilium sufficiens, quia erit inefficax, 385. — Deus per concessionem auxilii sufficientis tribuit id, quod est necessarium, ut homo recte agere possit, 386. — Gratia sufficiens non facit malum illi, qui illam recipit; sed recipiens per abusum suae libertatis facit sibi malum, 387. — Deus praevidet auxilia sufficientia futura esse inefficacia ex culpa hominis, 388. — Deus nihil vult contra suam praescientiam quum vult hominem gratiae sufficienti cooperari, 389.

Gratia sufficiens diverse exposita. Patres Ordinis S. Dominici tribuunt gratiae sufficienti posse agere, sed non actu agere, 364. — Verum gratia vere sufficiens debet tribuere posse actu agere, neque praedeterminatio requiritur ad hunc effectum, 364; idque probatur, 365, 366, 367. — Solvuntur difficultates in oppositum, 368, 369. — Augustinienses dividuntur in rigidiores et mitiores. Sententia rigidiorum, quum non concedat gratiae sufficienti potestatem expeditam ad agendum, admitti nequit; de sententia vere mitiorum idem dicendum est, quod de sententia S. Alphonsi dicetur, 370. — Doctrina S. Alphonsi Maria de Ligorio de gratia sufficienti haec est ad substantiam, quod attinet; gratia sufficiens tribuit potentiam ad faciendas res faciliores et ad orandum, et per orationem obtinetur gratia efficax, quae talis ab intrinseco, 371; Praeterea Deus, ignorando eventum, tribuit gratiam sufficientem, 372. — Verum haec doctrina videtur rejicienda, tum quia admittit gratiam efficacem ad intrinseco, tum quia tribuit Deo operari modo caeco, 373. — Item nullus habetur textus sive S. Scripturae, sive Traditionis, in quo talis doctrina tradatur, 374. — Videntur esse testimonia Scripturae tribuentia gratiae sufficienti vim pro rebus difficilioribus; nec probatur per solam orationem obtineri gratiam efficacem, 375.

H

Habitus per se infusi a quo excitentur. Excitatio potest esse immediata et mediata, 272. — Solus Deus est causa per se immediate excitans habitus intellectus per se infusos, 273. — Res etiam creatae et naturales possunt quoque mediate et per accidens excitare habitus per se infusos, 274.

I

Inhabitatio divinarum personarum in homine. Quid sit inhabitatio et missio, et quomodo inter se distinguuntur. Quid sit donum; multiplici sensu accipitur respectu Dei, 699. In justificatione non solum datur dona creata, sed etiam persona Spiritus Sancti; immo secundum sententiam multo communiorem et probabiliorem etiam personae Patris et Filii donantur, 700. — Spiritus Sanctus donatur, 701, 702; et etiam Pater et Filius donantur, 703, 704, 705. — Doctrina proposita confirmatur ex S. Thoma, 706. — Divinae personae sunt specialiter in homine ratione gratiae sanctificantis, 707. — Inhabitatio non est propria Spiritus Sancti, sed communis tribus personis; tamen inhabitatio appropiatur Spiritui Sancto, et haec appropriatio explicatur, 708. — Inhabitatio divinarum personarum in homine perficitur per augmentum gratiae sanctificantis, 709. — Etiam in justis

Veteris Testamenti habitabant divinae personae, nec S. Cyrillus Alexandrinus oppositum docet, 710. — Explicatur in quo consistat haec specialis conjunctio divinarum cum homine ratione gratiae sanctificantis, 711, 712.

L

Lex naturalis. — Quid sit; observari potest modo salutari, et modo naturali et honesto; priore modo sine gratia servari nequit; et posteriore modo servari potest viribus naturae per breve tempus, 208. — Potest quidem homo servare physice legem naturalem, quam haec lex sit proportionata naturae humanae; sed non potest moraliter propter difficultates occurrentes, 209. — Probatur ex S. Scriptura hominem non posse moraliter per longum tempus servare legem naturalem, 210. — Id ipsum ex Conciliis ostenditur, 211. — Etiam ex PP., 212. — Item ratione, 213. — S. Scriptura non docet contrarium, 214. — Deus non potest non praecipere aut prohibere ea, quae praecipit aut prohibet lex naturalis; quum haec sint necessario bona aut intrinsece mala, 215. — Homo nec unum praeceptum legis naturalis servare potest si gravia impedimenta diu durantia occurrant contra illud, 216. — Quae sunt impossibilia moraliter stricte, nunquam fiunt, 217. — Homo per habitus, quos acquirit, non potest legem naturalem diu servare, 218. — Homo in statu naturae integrae posset per longum tempus servare legem naturalem, 219. — De qualitate gratiae necessaria ad legem naturalem per longum tempus custodiendum, 220.

M

Meritum. Definitio meriti, 809. — Discrimen inter meritum, impetrationem et satisfactionem 810. — Divisiones meriti; aequalitas arithmetica et geometrica; meritum naturale et supernaturale; aliae meriti divisiones, 811. — De conditionibus ad meritum, 812. — Est necessarius actus positivus, 813; Actus honestus, 814; actus liber, 815; supernaturalis, 816; requiritur status viae, 817. — Solvuntur opposita, 818, 819, 820. Meritum condignum et congruum. Hoc meritum requirit statum gratiae sanctificantis, 821-824. — Meritum condignum postulat, ut homo mereat pro se, 825; et etiam quaedam aequalitas inter meritum et praemium, 826; et necessaria est quoque divina promissio, 827. — Pro merito congruo requiruntur omnes conditiones ad meritum in genere, 828. — Qualis libertas requiritur ad meritum, 829. — Utrum meritum habeat aliquid speciale, quod secluso Christo non haberet, 830. — De Elia et Enoch, 831.

Meritum augmenti gratiae et gloriae. Explicantur notiones praeviae, 887, 888. — Justi mereri possunt augmentum gratiae, 889. — Et possunt illud mereri de condigno, 890. — Justi mereri possunt gloriae augmentum de condigno, 891. — Et hoc probatur, 892, 893, 894 895. — Solvuntur opposita, 896, 897. — De gloria accidentali, 898.

Meritum gratiae sanctificantis. Homo non potest sibi mereri primam gratiam sanctificantem de condigno, 908. — Et hoc probatur, 909, 910. — Potest tamen de congruo 911. — Explicatur quod opponitur, 912. — Homo non potest de condigno mereri alteri gratiam sive actualem, sive habitualem primam, 913. — Potest tamen de congruo, et hoc probatur, 914, 915, 916.

Meritum perseverantiae. Justus non potest de condigno mereri perseverantiam; sed probabilius potest de congruo, 902. — Probatur justum de condigno non posse mereri perseverantiam, 923, 924, 925. — Sed posse probabilius de congruo, 926, 927, 928. — Solvuntur opposita, 929, 930, 931. — Impetratio videtur posse consequi perseverantiam infallibiliter, 932.

Meritum primae gloriae. Explicantur termini et opiniones theologorum, 899. — Justus primam gloriam mereri potest, et hoc probatur ex S. Scriptura, 900. — Ex Triden-

tino et ex S. Thoma, 901. — Ratione, 902. — Solvuntur ea, quae ex Tridentino opponuntur, 903. — Solvuntur aliae difficultates, 904, 905, 906. — Non semper datur meritum primae gloriae, et explicatur quando datur, et quando non datur, 907.

Meritum reparationis post lapsum. Justus de condigno non potest sibi mereri reparationem post lapsum, 917. — Hoc probatur, 918. — Probabilius vere potest homo, dum est justus ,sibi de congruo fallibili mereri reparationem post lapsum,, 919. — Explicantur ea, quae opponuntur, 920, 921.

N

Necesitas gratiae. Quid sit veritas ordinis naturalis; quid sit cognosci immediate et mediate per sensus, 138. — Veritates naturales aliae speculativae, aliae practicae; hae veritates cognosci possunt singillatim et collective; necessitas alia est physica, alia moralis, 139. Circa necessitatem gratiae ad res naturales cognoscendas fuerunt diversae opiniones; sed sententia communis theologorum est singillatim veritates naturales cognosci posse, si intellectui rite proponantur, 140, 141. — Probatur veritates speculativas naturales sine gratia cognosci posse, singillatim, 142, 143, 144, 145. — Item probatur de veritatibus practicis singillatim, 146, 147. — Sine gratia cognosci nequeunt omnes veritates sive speculativas, sive practicas, 148. — S. Paulus *I Cor.* IV, 7, non indicat omnia esse a Deo recepta per aliquam gratiam, 149. — S. Thomas per *vulnus ignorantiae*, et S. Augustinus per *profunditatem ignorantiae*, per *ignorantiam veritatis*, minuunt vim naturalem rationis, 150. — Licet homo sine ulla gratia possit cognoscere plures veritates naturales, non tamen omnes, 151. — Debitum est homini posse cognoscere veritates naturales singillatim sine ulla gratia, si illi modo convenienti proponantur, 152. — Testimonia S. Scripturae non indicant hominem sine gratia non posse cognoscere aliquam veritatem practicam, 153. — Neque Conc. Milevitanum II, neque Arausicanum II, docent hominem non posse habere aliquid honestatis naturalis sine gratia, 154. — Homo naturaliter non habet perfectam prudentiam, 155. — Homo, si in statu naturae purae esset constitutus, non esset illi debitum cognoscere collective omnes veritates naturales, 156. — Declaratur quid requiratur ut opus sit bonum naturaliter, 157. — Exponitur quid requirant haeretici ut opus aliquod sit bonum. Exponitur opinio Joannis Hus, Lutheri, Calvini, Baii, Jansenii, Quesnelli, 158. — Nonnulli theologi catholici tenuerunt hominem sine gratia, saltem naturali, non posse facere opus, quod sid bonum ex omni parte; sed communior theologorum sententia, et quae omnino tenenda videtur, docet hominem in statu naturae lapsae posse opera aliqua bona ex omni parte facere, 159. — Haec sententia probatur ex S. Scriptura, 160. — Etiam ex propositionibus damnatis, 161. — Etiam ex Patribus, 162. — Denique ratione, 163. — Ex *Epist. ad Rom.*, II, 14, recte videtur probari hominem sine gratia posse aliqua opera bona facere, 164. — Peccator aliqua bona opera facere potest, nec ex S. Scriptura contrarium probatur, 165. — Ut aliquod opus sit bonum naturaliter non requiritur fides supernaturalis, 166. — Non requiritur ut opus sit bonum naturaliter originem ducere ex fine supernaturali, 167. — Concilium Arausicanum II non negat hominem ex se posse recte agere naturaliter; sed negat aliquid ex se posse facere ad salutem conducens, 168. — Opera ut sint bona naturaliter, sufficit ut referantur ad Deum finem ultimum naturalem, 169. — Requiritur quidem ut homo recte operetur, cogitatio congrua; sed non omnis cogitatio congrua est supernaturalis, 170. — Licet voluntas sit ab ultimo fine per peccatum deordinata, non est, cur non possit elicere opus bonum naturaliter, 171. — Deus est exorandus ad recte agendum supernaturaliter; et eti-

am exorandus est, ne in peccatum incidamus, 172. — Neque in hac providentia ostenditur necessitas gratiae pro singulis bonis operibus ordinis naturalis, 173. — Non omnia opera infidelium sunt peccata, neque philosophorum vitia, 174. — Neque omnia opera peccatorum sunt peccata, 175. — S. Augustinus vocat opera infidelium peccata sensu lato, et alicubi etiam illa ut bona aliquo modo agnoscit, 176, 177, 178. — Et ipse S. Doctor opera peccatorum dicit peccata, quia ad salutem aeternam non ducunt.

Necessitas gratiae ad actus salutares. Quinam sint actus salutares; actus ad salutem conducere possunt negative et positive; possunt esse supernaturales quoad modum, et quoad substantiam, 243. — Ut actus sint salutares debent esse supernaturales, 244. — Id probatur ex S. Scriptura, 245. — Id ipsum probatur ex Conciliis, 246. — Probatur etiam ex Summis Pontificibus, 247. — Item probatur ex PP., 248. — Etiam ratione ostenditur, 249. — Actus salutares debent esse supernaturales quoad substantiam, et hoc ostenditur ex S. Scriptura, 250. — Item ex Conciliis et ex S. Augustino, 251. — Hoc ipsum ratione probatur, 251. — Probatur etiam ex S. Thoma, 252. — Ad actus salutares eliciendos gratia physice requiritur, 252. — Initium et augmentum fidei, et credulitatis effectus debent esse supernaturalia, quoad substantiam, nec in justo actus naturales boni sunt meritorii vitae aeternae, 253. — Declarantur textus S. Scripturae, qui adducuntur ut oppositi doctrinae propositae, 254. — Exponuntur Sancti Patres, qui afferuntur ut contrarii, videlicet, Hermas, S. Justinus, Clemens Alex., S. Joannes Chrysostomus inter graecos, et inter latinos, Optatus Milevitanus, S. Ambrosius et S. Hieronymus, 255. — Motiva credulitatis ostendunt fidem catholicam esse evidenter credibilem; sed si haec motiva naturaliter proponuntur, intellectus autem supernaturaliter minime illustratur, non inducunt ex se ad fidem ut supernaturalem, 256. — Quamvis initium fidei sit donum supernaturale, non inde sequitur aliquod absurdum, 257. — S. Scriptura non indicat aliqua opera naturalia esse necessaria ad salutem, 258. — In statu innocentiae erat etiam gratia necessaria ad salutem, 259. — Bona opera naturalia non sunt inutilia, sed perficiunt hominem, et tollunt impedimenta ad gratiam recipiendam, 260. — Homo nihil potest facere solis viribus naturae quod gratiam exigat, 261.

P

Peccata venialia. Justus sine gratia non potest vitare omnia venialia, immo nec mortalia, 284. — Concilium Tridentium definivit justum per totam vitam non posse vitare omnia peccata venialia, 248. — Impotentia potest triplex esse, metaphysica physica et moralis; singulae definiuntur, 285. — Justus habet impotentiam moralem, strictam vitandi omnia peccata venialia; et haec necessitas non est determinata sed vaga, 286. — Necessitas incidendi in aliqua venialia est antecedens, 287. — Utrum justi sanctiores possint vitare omnia peccata venialia plene deliberata disputatur, 287. — Ad vitanda omnia venialia requiritur privilegium stricte tale, 287. — Probatur ex S. Scriptura justum per aliquod tempus notabile non posse vitare omnia venialia, 288. — Id ipsum probatur ex Conciliis, 289. — Item probatur ex PP. 290. — Ostenditur etiam ratione, 291. — S. Scriptura non affirmat homines sanctiores praeter Virginem Mariam esse immunes ab omni peccato veniali, 292, 293. — Nec laudes, quae Job tribuuntur ostendunt eum ab omni peccato veniali fuisse immunem, 294. — Nec alii textus Scripturae, nec testimonia Ecclesiae contrarium probant, 295. — Peccata quae cum morali necessitate fiunt ab hominibus non tribuenda sunt Deo, 296. — Necessitas peccandi venialiter non opponitur fini propter quem venit Christus, 287. — Ex eo quod justus

possit singula peccata venialia vitare, non sequitur posse vitare omnia, 298, 299. — Est doctrina catholica Beatam Virginem Mariam nullum omnino peccatum etiam levissimum comisisse per totam vitam, 300. — Non est de fide nullum alium praeter Virginem Mariam fuisse immunem ab omni peccato, sed videtur certum, 301. — Privilegium concessum B. Virgini Mariae fuit valde extraordinarium, 302.

Peccatores fideles. Hic quaeritur de gratia ad paenitendum pro peccatoribus fidelibus, 510. — Inter peccatores inveniuntur aliqui indurati et excaecati; quid sit obduratio et excaecatio; causae obdurationis et excaecationis, 511. — Calvinus et Jansenius negant omnibus dari gratiam sufficientem ad salutem; etiam aliqui catholici affirmant non omnibus obduratis et excaecatis dari gratiam sufficientem ad salutem; verum sententia communissima inter catholicos est Deum omnibus fidelibus largiri gratiam sufficientem ad salutem, 512. — Immo peccatores fideles ordinarios et baptizatos de fide est habere gratiam sufficientem ad salutem, 513. — Deum dare gratiam sufficientem ad salutem peccatoribus fidelibus ordinariis probatur ex S. Scriptura, 514. — Item ex Conciliis, 515. — Item ex Patribus graecis et latinis, 516. — Probatur etiam ex S. Augustino, 517. — Ratione, 518. — Ostenditur etiam peccatoribus excaecatis et induratis dari gratiam sufficientem ad salutem, 519. — Hoc confirmatur ex S. Augustino et ex S. Thoma, 520, 521. — Explicantur difficultates ex S. Scriptura, 522, 523, 524, 525. — Explicatur Concilium Tridentinum, 526. — Declaratur S. Augustinus, 527, 528. — Nulla sunt peccata, quantumvis gravia, quae impediant gratiam sufficientem suis temporibus, neque homines dum sunt in statu viae sunt absolute excaecati et indurati, 529. — Homines possunt confirmari in gratia, sed non destitui omni auxilio sufficienti, neque ex hoc excluditur omne peccatum ignorantiae, 530. — Deus omnibus fideliter tribuit gratiam saltem remote sufficientem ad peccata mortalia vitanda, 531, 532.

Peccatores infideles. Qui sint infideles; infideles positivi et negativi; qua ratione subdividuntur infideles positivi, quaeritur hic, utrum omnibus infidelibus detur gratia saltem remote sufficiens; item quaeritur de modo, quo gratia infidelibus datur, 533. — Sententia Calvini, Jansenii et aliorum, 534. — Exponuntur variae theologorum sententiae circa modum dandi gratiam infidelibus, 534. — Deus tribuit gratiam saltem remote sufficientem ad salutem, et hoc probatur ex S. Scriptura, 535. — Item ex PP. graecis et latinis, 536. — Hoc ipsum ostenditur ex propositionibus damnatis a Summis Pontificibus, 537. — Et ex S. Thoma, 538. — Item ratione theologica, 539. — Explicantur ea, quae ex S. Scriptura, Arausicano et Tridentino opponuntur, 541, 542. — Exponuntur etiam illa, quae in oppositum ex S. Augustino afferuntur, 543, 544. — Opponuntur etiam aliqua ex S. Prospero et ex S. Fulgentio, 545. — Oratio est medium generale ad obtinendas quascumque gratias, 546. — De inscrutabilibus judiciis Dei, 547. — Declarantur sententiae, quae videntur probabiliores circa modum dandi gratiam infidelibus, 548 — Ex doctrina proposita non sequitur infideles graviter peccare, quum resistunt gratiis remote sufficientibus, neque omnes actus bonos infidelium esse supernaturales, 548. — Exponuntur sententiae circa illud axioma, scilicet, facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam, 549. — De inaequali distributione gratiae, 550. — Haec inaequalitas demonstratur, 550; non procedit ex acceptione personarum, eodem numero. — De causis inaequalis distributionis gratiae, 551, 552.

Perseverantia finalis. Variis modis perseverantia accipi potest, et singuli modi explicantur, 303. — Divisiones variae perseverantiae, de qua hic agitur, 304. — Declaratur sensus canonis 22, sess. 6ae Tridentini, 305. — Probatur ex S. Scri-

ptura Veteris et Novi Testamenti omnibus justis dari gratiam sufficientem ad perseverandum 306. — Id ipsum ex Conciliis probatur, 307; id ipsum infertur ex propositione prima Jansenii ab Innocentio X damnata, 307. — Probatur hoc ipsum ex S. Augustino, 308. — Eadem res probatur ex eo, quod Deus non deserit, nisi deseratur, 309. — Probatur etiam ratione theologica, 310. — Auxilium proxime sufficiens ad perseverandum, saepe obtinendum est per orationem; et hoc probatur ex Tridentino et ex S. Augustino, 311. — Auxilium, de quo sermo est in Tridentino, sess. 22, accipiendum est de auxilio sufficienti, quod omnibus justis datur, 312. — Justis datur auxilium sufficiens ad perseverandum proxime vel remote, non semper proxime, nisi oretur, 313. — Ut justus perseverare possit, sufficit gratia vere sufficiens, 314. — S. Petrus, quum Christus negavit, habuit saltem gratiam remote sufficientem, quae cum oratione poterat fieri proxime sufficiens; nec probatur S. Petrum ante negationem jam graviter peccasse, 315. — S. Augustinus non asserit aliquibus tolli vires ad recte faciendum, ne perseverent, 316. — S. Augustinus non asserit aliquibus justis non conferri gratiam ad perseverandum, 317. — Explicatur S. Thomas, quum dicit minimam gratiam sanctificantem sufficere, 318. — Non est verum justos non posse peccare ex ignorantia, si semper haberent gratiam saltem remote sufficientem 319. — Gratia habitualis sine actuali non sufficit ad vitanda peccata. 320. — Perseverantia in statu gratiae usque ad finem vitae est donum Dei, immo magnum Dei donum; et hoc ex S. Scriptura probatur, 321. — Item ex Conciliis, 322 — Et ex SS. PP., 223. — Perseverantia usque in finem vitae est magnum Dei donum, 324. — Etiam in parvulis, in amentibus et in eis, qui statim post justificationem moriuntur, perseverantia finalis est magnum Dei donum, 325. — Perseverantia finalis est magnum Dei donum, licet ad illam cooperatio liberi arbitrii requiratur, 326. — Quamvis justi habent jus ad gloriam, non habent jus, ut ipsis perseverantia finalis debeatur, 327. — S. Augustinus docet perseverantiam finalem obtinendam esse oratione, 328. — Assignatur discrimen inter donum perseverantiae et confirmationem in gratia, 329.

Praeparatio ad gratiam sanctificantem. Quid sit sanctificatio: ponitur explicatio Conc. Tridentini, 556. — Praeparatio seu dispositio alia est physica, alia moralis; praeparatio physica videtur rejicienda, 557. — Exponitur doctrina Lutheri et Calvini de re praesenti, 558. — Sola fides catholica est praeparatio ad justificationem, et est sola fides admittenda et a Conc. Vaticano definitur, 559. — Fides catholica est necesaria ad justificationem, et hoc probatur ex S. Scriptura, ex Conciliis et ex PP., 560, 561, 562. — Fides disponens ad justificationem debet esse supernaturalis, 563. — Quaenam sit fides vere disponens ad justificationem probatur ex S. Scriptura, ex Symbolis et PP., 564, 565, 566. — Probatur quaenam fides sit rejicienda, 567, 568. — Solvuntur difficultates ex S. Scriptura, 569, 570, 571, 572. — Solvitur difficultas, quae sumitur ex sensu, quo fides accipitur, 573. — Ponuntur et explicantur aliae difficultates ex S. Scriptura, 574. — Proponuntur quae ad justificationem credenda sunt, 575. — Quid sit praeparatio ad justificationem; variae ejus divisiones, 576. — Actus qui enumerantur a Tridentino, 577. — Quid requirant haeretici, quit catholici, 578. — Sola fides non sufficit ad justificationem, et hoc probatur ex S. Scriptura, ex Conciliis et ex PP. 579, 580, 581. — Praeter Scripturam alii actus requiruntur, et hoc probatur, 582, 583, 584, 585. — Praeparationes sunt vere tales, et hoc ostenditur ex S. Scriptura, 586, 587, et hoc ipsum probatur ex PP. et ex Tridentino, 588, 589. — Actus praeparatorii ad gratiam sanctificantem debent esse liberi, et probatur hoc ex S. Scriptura et ex S. Augustino, 590, 591. — Solvuntur difficul-

tates, quae exponuntur ex S. Scriptura, 592, 593. — Justificatio gratuita et justificatio per verbum Dei non excludit praeparationem distinctam etiam a fide, 594, 595. — Explicantur difficultates ex Patribus, 396.

Q

Quaesita circa meritum. Haec quaesita, quae habentur a n. 933 a 942, jam sunt expresse proposita in indice generali posito initio tomi.

R

Retributio meritorum ex aliqua justitia. Variae species justitiae, 879. — Opiniones theologorum, 880. — Admittendum Deum remunerasse merita ex aliqua justitia, 881, 882. — Haec autem justitia videtur esse tum distributiva tum commutativa, 883. — Solvuntur opposita, 884, 885, 886.

S

Salesius (S. Franciscus). Hic Sanctus videtur praedeterminationi physicae omnino oppositus, 509.

Scientia gratiae sanctificantis non datur. Doctrina catholica, errores haereticorum, 785, 786. — Nemo certitudine fidei scire potest se esse justum, 787; et hoc probatur ex S. Scriptura, 788, 789; ex PP. 790; et ratione, 791. — Immo de hac re nec certituto stricta haberi potest, 792. — Solvitur quod ex S. Scriptura opponitur, 793; et quod ex aliis capitibus objicitur, 794, 795, 796. — De certitudine status gratiae, quam habere possumus in hac vita, 797.

Societatis Jesu theologorum sententiae de gratia efficaci. Hi auctores concordes sunt in gratia efficaci explicanda, nec differunt nisi in modo loquendi, nec recte distinguitur inter molinismum et congruismum, 466. — Tamen Patres Societatis differunt in praedefinitionibus explicandis, in declaratione influxus gratiae actualis et in praedestinatione ad gloriam, 467.

Species impressae. Quid sint, et earum munus, 275; species hujusmodi debent esse entitative supernaturales ad cognoscendas res supernaturales intuitive, 275. — Species ad cognoscendas res supernaturales abstractive possunt esse naturales, 276, 277, 278. — Species impressae pro cognitione supernaturali abstracta non sunt infusae 279. — Non est connaturale cognoscere per species supernaturales ea, quae sunt supernaturalia, sed cognita abstractive, 280. — Repraesentatio non est supernaturalis ratione speciei, 281. — Pro scientia supernaturali non sunt necessariae species supernaturales, 282. — Species relictae ab actibus intellectus et voluntatis supernaturalibus, sunt naturales, 283.

Status innocentiae et naturae lapsae. Status innocentiae et naturae lapsae. Ad gratiam habitualem quod spectat, non est differentia substantialis inter statum innocentiae et naturae lapsae; per utramque habentur gratia sanctificans et virtutes per se infusae. S. Augustinus, quem theologi communiter sequuntur, haec ponit discrimina: 1.° Gratia innocentiae non fuit ex meritis Christi; gratia naturae lapsae est ex meritis Christi. 2.° In statu innocentiae non erat concupiscentiae, quae habetur in statu naturae lapsae. 3.° Homo in statu innocentiae cum gratia et libero arbitrio posset perseverare, si vellet; in statu naturae lapsae accipit homo velle perseverare, et potentiorem gratiam. 4.° In statu innocentiae accipit homo adjutorium, sine quo non posset perseverare, et cum quo posset perseverare, si vellet; in statu naturae lapsae datur posse perseverare, et ipsum velle. 5.° In statu innocentiae posse perseverare erat penes liberum arbitrium, quatenus per liberum arbitrium cum illuminatione intellectus, habitus per se infusi determinabantur ad agendum; nunc autem est donum gratiae et posse et velle perseverare. 6.° In statu innocentiae fuit datum adjutorium sine quo perseverari non posset;

nunc datur adjutorium cum quo homines fiunt perseverantes, 330.—Ad explicandum discrimen inter gratiam actualem status innocentiae et naturae lapsae dantur plures sententiae, 331. — Probabilius videtur in statu innocentiae non requiri gratiam excitantem voluntatis, et hoc probatur ex S. Augustino, 333 et etiam ratione theologica, 334. — Etiam in statu innocentiae requiritur voluntatem illuminari ab intellectu, et habere gratiam habitualem, 334, 335. — Non probatur S. Augustinum aut alium Patrem admisisse gratiam excitantem voluntatis, 336, 337. — In natura lapsa voluntas per se requirit gratiam excitantem, 338. — Explicatur adjutorium sine quo non et adjutorium quo, 339, 340.

T

Tentationes. Tentatio. Quid sit, et quotuplex, 179. — Tentationes vinci possunt modo salutari, modo honesto et modo vitioso; omnes tentationes originem ducunt vel ex carne, vel ex mundo, vel ex diabolo. Juxta aliquos nulla tentatio sine gratia vinci potest; alii tenent omnem tentationem singillatim sumptam non posse sine gratia superari, 180. — Probatur tentationes leves posse vinci sine gratia, 181, 182. Nec Scriptura, nec PP. requirunt gratiam ad singulas leves tentationem superandas, 183.—Conc. Arausicanum requirit gratiam ad superandam tentationem modo salutari, 184. — In singulis tentationibus possumus Deum orare, ut securius vincamus, aut ut vincamus salutariter, 185. — Ad providentiam generalem Dei pertinet non sinere daemones pro eorum arbitrio tentare, 186. — Probatur ex S. Scriptura hominem non posse vincere tentationes graves colective sumptas, 187. — Id ipsum probatur ex documentis pontificiis et ex Conciliis, 188. — Item ex Patribus, 189. — Item ratione, 190. — Immo ostenditur ex S. Scriptura hominem nec unam tentationem vere gravem superare posse, 191. — Hoc ipsum probatur ex Conciliis et Pontificibus, 192. — Similiter ex Patribus, 193. — Atque etiam ratione 194. — Censendum est Deum tribuere hominibus auxilia necessaria ad vincendas tentationes. 195. — Quamvis quis posset vincere gravem tentationem modo inhonesto, non inde sequitur posse illam vincere per motivum virtutis, 196. — Unde haeretici pro sua falsa secta possunt vincere graves tentationes, sed non modo honesto, non per motivum virtutis, 197.

Thomas (Sanctus), de efficacia gratiae. Jam ostensum est in Tractatu *De Deo Creatore* S. Thomam esse contrarium praedeterminationi physicae, 493.—Speciatim hic ostenditur S. Thomam esse contrarium gratiae efficaci per physicam praedeterminationem, 494, 495, 496, 497. — Aliqua notantur ex doctrina S. Thomae, 498, 499, 500. — Solvuntur ea, quae ex S. Thoma opponuntur, 501, 502, 503, 504, 505, 506, 507.

V

Virtutes theologicae et morales per se infusae. Quid sit virtus; quid sit virtus per se infusa; quid sit virtus theologica per se infusa; quotuplex est, 713; utrum virtutes theologicae a gratia sanctificante dimanent, 714. — Ostenditur dari tres virtutes theologicas ex S. Scriptura, 715; ex S. Gregorio Magno, 716; ex Tridentino, 717; ex Catechismo Conc. Tridentini, 718; ratione, 719; ex S. Thoma, 720; per se infusas, 721; ostenditur esse realiter inter se distinctas, 722; et tantum tres, 723.— Negatur alias virtutes habere idem objectum formale ac virtutes theologicas, 724. — Propter unitatem divinae substantiae non est tantum una virtus theologica, 725; nec caritas est ipse Deus, 726. — Virtutes per se infusae a gratia sanctificante dimanant, 727, 728; neque huic rei opponitur supernaturalitas nec separatio fidei et spei a gratia sanctificante, 729, 730. — Neque huic rei opponitur in angelis non dari omnes virtutes,

quae in hominibus dantur, 731; nec quod in statu viae non datur lumen gloriae, nec scientia per se infusa, 732. — Actus salutares non fluunt immediate a gratia secundum S. Thomam, 733. — Quid sin virtutes morales per se infusae, et quo modo theologicis distinguantur, 734. — Admittendae sunt virtutes mtrales per se infusae, et hoc probatur ex S. Scriptura, 735; ex S. Augustino, 736; ex Innocentio III, et ex Conc. Viennensi, 737; ratione, 738. — Virtutes morales non sunt infinitae, 739; et ducunt hominem ad Deum, 740.

Corrigenda

PAG.	LIN.	ERRATA	CORRIGE
40	30	**nullo mereri**	**nullo modo mereri**
40	37	Ruiz de Montova	Ruiz de Montoya
61	29	**THESIS**	**THESIS II**
110	2	**deum**	**Deum**
143	14	**244.**	**244. Praemitt. 2.º**
159	16	indeliberatos?	indeliberatos
185	17	(5,	(5)
206	36	Denz-Barwart	Denz-Bannwart
233	4	**Refuntantur**	**Refutantur**
291	45	Schaeemann	Schneemann
385	40	**537**	**573**
457	4	**gratiam santificantem**	**gratiam sanctificantem**
458	13	**delentnr**	**delentur**
479	19	**De inhabilitatione**	**De inhabitatione**
513	16	**De beatudinibus**	**De beatitudinibus**
556	13	*Utrum gratia*	*Utrum meritum*
565	1	**THESIS**	**THESIS II**
607	44, 2.ª col.	816	817
608	3, 1.ª col.	802	803
608	9, 2.ª col.	814, 816	815, 817

234.02
M922

5779

MUNCUNILL, S.J., JOANNE

AUTHOR

Tractatus de Gratiae Christi

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Abeam	
	O'Neill	
	Corcoran	
	STORAGE - CBPL	

5779